




Omnia quotquot extant D. Ambrosij Episcopi Mediolanensis opera

<https://hdl.handle.net/1874/428933>

SECUNDVS TOMVS
DIVI AMBROSII OPE-
RVM, PVGNAS CONTINENS, HOC
EST, EA QVAE PERTINENT AD CONFVTA-
tionem hæreticorum ac Gentium.



BASILEAE M. D. LV.

SECUNDVS TOMVS

DIUI AMBROSII OPE

RVM. PAGINAS CONTINENS. HOC

EST. EA RAS TERTIUS AN CONSTAT

NONNUN. TERTIUS ORDINIS. CANTON.



ANASTASIVS M. D. LV.

DES. ERASMVVS ROTERODAMVVS PIO LECTORI S. D.

Hic Secundus tomus, optime lector, exhibebit tibi pugnas aduersus hereticos, quamquam ea res frequenter & in cæteris operibus incidit, præsertim in enarrationibus. In hoc ordine sunt duo libelli de Vocatione omnium gentium, quos arbitror alterius esse. Cuius rei si nullum esset aliud argumentum, tanta tamen est totius phraseos dissimilitudo, ut primo statim gustu lector deprehendat alium loqui quam Ambrosium. Atque utinam tales multos libellos Ambrosianis admiscuisset, qui hos admiscuit. Tales imposturas facile tulerimus, quæ pro auro supponant aurum. Ineptum autem sit, nec admodum refert, diuinare quis fuerit, quum ætas illa tot habuerit eruditos ac eloquentes viros. Res ipsa loquitur, hominem fuisse in sacris literis diligenter exercitatum, ingenio sano & acuto. Ipsa phrasis sic Isocraticis illis schematibus modulata tinnulaque est, ut, quod est in hac affectatione difficillimum, præsertim in argumẽto subtili, nusquam desideres sermonis perspicuitatem, nusquam offendaris odio captatae concinnitatis, nec usquam frigeat affectatio sententiarum argutularum: sed quod puer in Rhetorum scholis didicerat, feliciter accomodat ad seriem scripturarum tractationem. Nec deest orationis copia, idque citra tædij sensum. Pelagianorum meminit cap. 7. quos haud scio an nouerit Ambrosius. Siquidem Pelagius sub extremam Hieronymi ætatẽ coepit apud Italos impetate celebris esse. Nec Hieronymus in Catalogo meminit librorum quos scripsit aduersus Pelagium. Cõtextuit autem Catalogum uiuo etiamnum Ambrosio. Rursus lib. ij. capite octauo refert hæc uerba ex libro cuiusdam Pelagiani. Habet gratia quod adoptet, non habet unda quod diluat. Capite decimo, hoc est ultimo, subindicat se fuisse Romanum, aut certe Italum, hunc in modum loquens: At alij Barbari dum Romanis auxiliantur, quod in suis nosse non poterant, in nostris didicere regionibus, & ad firmas sedes cum Christianæ religionis institutione remearunt. Quanquam fateor, hoc argumentum esse dilutius, eo quod id tẽporis pleræque mundi regiones parebãt imperio Romano. Stylus non prorsus abhorret à phrasi Eucherij Lugdunensis episcopi. In Veteris testamenti citatione nusquam utitur nostra translatione, ne in Nouo quidẽ per omnia cõuenit cum hac nostra: quod sanè uetustatis est indicium.

C A T A L O G V S.

De uocatione Gentium.	II.
De fide ad Gratianum.	V.
De spiritu sancto ad eundem.	III.
De fide contra Arrianos.	I.
De incarnationis dominicæ sacramento.	I.
De mysterio Paschæ.	I.

Libros De Vocatione Gētiū, de quorum authore D. Erasmus Rot. dubiam profert sententiam, nos ex multorum ueterum exemplariū collatione, Prosperī Aquitanici esse deprehendimus, cuius & alia præclara extant opuscula, quorum phrasis cum istis libris pulchrè cōuenit. Quapropter eos hinc submouendos esse censueramus (nisi typographo aliter fuisset uisum, qui nihil ex hoc tomo ademptū uoluit, quod hæcenus Ambrosio, etiam falsò fuit adscriptum) ut reliquis eius uiri scriptis adiungantur: quod ut fiat, si deus uitam concesserit, nos operam dabimus. Est & eiusdem authoris epistola ad Demetriadem uirginem conscripta, quæ inter Ambrosianas ultimum locum tenet. Huic quoq; tribuit D. Erasmus commentarios, qui in Cantica canticorum inter Origenica opera habentur: quos sanè ab homine pulchrè docto & diserto cōscriptos esse constat, qualis citra cōtrouersiam is est, qui hos De Gentium Vocatione libros contexit. Porro librum qui in hoc tomo De Fide cōtra Arrianos titulum habet, non esse Ambrosii, Augustini sententia docet, qui in epistola ad Fortunatianum, quæ est numero centesima undecima, quædam ex eo citat, non quidem Ambrosii, sed Gregorij Nazianzeni titulo. Ea suo loco notata uidebis. Videat diligēs lector num ab Ambrosio è Græca lingua in Latinam sit conuersus, & hoc modo inter Ambrosiana recenserit meruerit. Vale.

CAPITA LIBRI I. DE VOCATIONE GENTIVM.

- De quæstione inter defensores liberi arbitrii & prædicatores gratiæ tractata, deq; scopo ac ordine autoris. Cap. I
- De uoluntate humanæ animæ, & quotuplex sit illa uoluntas, tum quod deus nunquam non hominum uniuersorum curam agat. Cap. II
- De huius quæstionis tractatione, cum bonæ uoluntatis homo esse incipit, num corrigatur prior uoluntas, an alia ei detur. Et in sacris literis, Omnes aliquando pro Aliquis dicitur. Cap. III
- Soluit calumniã dicentium autorem per superius dicta contradicere Apostolo definenti, Quod deus uelit omnes homines saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Et quod profunditas diuinorum mysteriorum atque iudiciorum à nobis non sit perquirenda. Cap. IIII
- Cur anterioribus seculis dimissæ sint omnes Gentes ingredi uias suas, uno tantum Israele excepto, quare deus unum hominẽ det gratiam, alteri autem deneget. Cap. V
- Qualis sit natura humana sine gratia. Cap. VI
- Cur saluator omnium, non omnibus dederit ut cognoscerent uerum deum, Cur etiam quidam paruuli salui fiant renati, alij pereant non renati. Cap. VII
- Fides unde nascatur, & unde acquiratur. Cap. VIII
- Quod Deus sit autor omnium uirtutum & omnis boni. Cap. IX

5

DIVI AMBROSII EPI- SCOPI MEDIOLANENSIS DE VO- CATIONE OMNIUM GENTIVM LIB. I.

De quaestione inter defensores liberi arbitrij & praedcatores gratiae tracta-
ta, deq; scopo ac ordine autoris. Cap. I



INTER defensores liberi arbitrij, et praedcatores gratiae dei, magna & difficilis dudum uertitur quaestio. Queritur enim utrum uelit deus omnes homines saluos fieri. Et quia negari hoc non potest: cur uoluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur. Cumq; hoc secundum uoluntates hominum fieri uideatur, gratia uidetur excludi: quae si meritis redditur, constat eam non donum esse, sed debitum. Vnde iterum queritur, cur hoc donum sine quo nemo saluus est ab eo qui omnes saluari uult, non omnibus conferatur. Atq; ita contrarium disputationum nullus terminus reperitur: dum non discernitur quid manifestum, quid sit occultum. De hac igitur compugnancia opinionum, qua mensura & temperantia sentiendum sit, quantum dominus adiuuerit, adnitar inquirere, exercens atq; discutiens modulum facultatis meae in his quae cordi meo sobrie (quantum arbitror) inhaeserunt: ut si in eas regulas processerit stylus, quae nihil habeant prauitatis: non solum nobis, sed & alijs utile sit ad aliquem nos limitem peruenisse, quem non debeamus excedere. Primitus itaq; de uoluntatis humanae moribus & gradibus disputandum est. Inter quam & gratiam dei quorundam non sana discretio est, existimantium quod praedicatione gratiae liberum negetur arbitrium, nec aduertentium eadem regula sibi posse obijci quod gratiam negent, cum eam humanae uoluntatis non ducem uolunt esse, sed comitem. Si enim tollitur uoluntas, ubi ipsa est uerarum origo uirtutum? Si tollitur gratia, ubi ipsa est bonorum causa meritorum?

Cap. II

De uoluntate humanae animae, & quotuplex sit illa uoluntas, tum quod deus nunquam non hominum uniuersorum curam agat. Ed iam auxiliante Christo quod tractandum concepimus, inchoemus. Omnis animae humanae, quantum intelligere atq; experiri datur, naturaliter quaerit.

Iscuntq; inest uoluntas: qua aut appetitur quod placet, aut declinatur quod displicet. Huius uoluntatis, quantum ad naturalem pertinet motum & ex uitio primae praerogationis infirmum, genera sunt duo, secundum quae uoluntas hominis aut sensualis, aut animalis est. Sed cum adest gratia dei, accedit ei per donum spiritus tertium genus, ut possit fieri spiritalis, & per hunc excellentiorem motum omnes affectus undecumq; nascentes supernae rationis lege diiudicet. Sensualis igitur uoluntas, quam & carnalem possumus dicere, non erigitur supra eum motum qui de corporis sensibus nascitur, qualis est in animis paruulorum: qui licet nullo iudicio rationis utantur, ostendunt tamen aliquid se uelle, aliquid nolle, cum uidendo, audiendo, odorando, gustando, tangendo, & ea quibus delectantur amant, & ea quibus offenduntur oderunt. Quid autem est amare, nisi uelle? aut quid est odisse, nisi nolle? Habent ergo etiam ipsi uoluntatem suam, quae etsi prouidendi & consulendi impios atq; ignara sit, in his tamen amat agere quae carnis sensibus blandiuntur, donec uigor rationalis ingenij per maturiora ministeria corporis excitetur, & ad famulantium sibi membrorum usum non alieno motu, sed sua lege moueatur. Ab hoc ergo sensuali appetitu, in quo remanent ij quos etiam in annis maioribus excordes uidemus & fatuos, ad animale surgitur uoluntatem: quae priusquam spiritu dei agatur, etiam si supra sensualem motum sese attollere potest, tamen sine sui amoris participatione in terrenis occiduisq; uersatur. In hac humana etiam ingenia, si corporeae uoluptati non turpiter seruiant, & cupiditates suas iustitiae atq; honestatis legibus temperent, nihil supra mercedem gloriae temporalis acquirunt. Et cum praesentem uitam decenter exornent,

aeternae tamen beatitudinis praemium non habent: quia rectas actiones & bona studia sua non ad eius laudem atque honorem referunt, a quo acceperunt, ut in ipsa animali discretionem sublimius saperent, & excellentius ceteris eniterent. Cum enim quidam non solum ad instituta utilissimarum artium, & doctrinas liberalium disciplinarum, sed etiam ad inquisitionem summi boni aciem mentis intenderint, & inuisibilia dei, per ea quae facta sunt, intellecta conspexerint, non agentes gratias tamen deo, nec confitentes illum sibi esse huius facultatis auctorem, sed dicentes se esse sapientes, hoc est non in deo, sed in semetipsis gloriantes, quasi ad veritatis inspectionem suis studiis atque rationibus propinquassent, evanuerunt in cogitationibus suis. Et quod illuminante dei gratia inuenerant, obcaecante superbia perdidierunt: relapsi a superna luce ad tenebras suas, hoc est ab incommutabili atque aeterno bono ad mutabilem corruptibilemque naturam. Cum ergo tales in amorem sui recidunt, et ita sibi met placent, ut totum quod in se laudibile iudicant, non ad dona dei referant sed sibi vindicent, & studio propriae voluntatis adscribant, procul ab illa spiritali exulant voluntate, & nihil in se habent quo ad vitam prouehant aeternam, incipientes in semet ipsis etiam illa temporalia dei dona corrumpere, & a bono eorum usu in consuetudinem innumerabilium transire vitiorum. Quamuis enim scriptum sit, quod cum disperseret excelsus gentes, quemadmodum dispersit filios Adam, statuit terminos Gentium secundum numerum angelorum dei facta est portio domini populus eius Iacob, funiculus haereditatis eius Israel: & scriptum sit dominum dicere ad Israel: Eritis mihi sancti, quia ego sanctus sum, dominus deus uester, qui segregavi uos ab omnibus gentibus esse mihi: Et quamuis scriptum sit in libro Hester, dicente Mardocho: Gratias tibi domine, quoniam fecisti noua signa & prodigia, qualia non sunt facta in gentibus, diuidens omne seculum in sortes duas, elegisti unam tibi populi tui, relinquens aliam gentibus: Et Paulus & Barnabas dicant: Et nos mortales sumus, similes uobis homines, annunciantes uobis conuertere ad deum uiuum, qui fecit caelum & terram, & mare, & omnia quae in eis sunt, qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi uias suas: Quamuis ergo haec & multa similia, ueritatis scriptura pronunciet, secundum ipsam tamen credimus & piissime confitemur, quod nunquam uersitati hominum diuinae prouidentiae cura defuerit. Quae licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suae dona subtraxit, ut propheticas uoces & praecipua legalia conuincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse. Unde & inexcusabiles facti sunt, quia deos sibi dei dona fecerunt: & quae creata erant ad utendum, uenerati sunt ad colendum. In quam impietatem etiam illa gens quam sibi ab omnibus gentibus dominus segregauit, tota trasisset, nisi misericordiae suae propositum sustentandis electorum lapsibus praetendisset. Nam plenae sunt paginae ueteris testamenti de Israelitica deflectionis relatu, ut aperte appareat diuinae semper fuisse gratiae, quod non omnis ille populus discessit a domino. Ita humana natura in primi hominis praeruaricatione uitiata, etiam inter beneficia, inter praecipua & auxilia dei, semper in deteriore est procliuior uoluntate, cui committi non est aliud quam dimitti. Haec itaque uoluntas uaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audiendum, in cupiditatibus caeca, in honoribus tumida, curis anxia, suspitionibus inquieta, gloriae quam uirtutum auidior, fame quam conscientiae diligentior, & per omnem sui experientiam miserior, fruendo ijs quae concupiscit, quam carendo, nihil in suis habet uiribus, nisi periculi facilitatem: quoniam uoluntas mutabilis quae non ab incommutabili uoluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni. Quamdiu ergo homini ea placent quae deo displicent, uoluntas eius animalis est: quia etiam si in bonis moribus agat, male adhuc uiuit, si non in dei gloriam uiuit. Hoc est enim proprium & praecipuum piorum, ut in domino gloriantur, nec se nisi in deo diligant. Bene enim se amant, qui in se opera dei amant. Nam et deus hoc amat in nobis, quod ipse fecit: & hoc odit, quod ipse non fecit. Si ergo opus dei amamus in nobis, bonam uoluntatem recte amamus in nobis: quae utique si opus dei non esset, amanda non esset. Quis autem homo, nisi mala uoluntatis fuerit, bonam in se non amat uoluntatem, quae superni agricolae prima plantatio est? Dicente enim Veritate: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus coelestis, eradicabitur: quicquid non est eradicandum, manifestum est a patre esse plantatum. Bona autem uoluntas, omnium uirtutum germen est pri-

est primum, quæ innixa originæ suæ, in illa æterna & incommutabili uoluntate requiescit, ut uere sit spiritalis: quoniam qui adhæret deo, unus spiritus est, dum per communionem illuminantis & illuminati, iustificantis & iustificati, regentis & subditi, omnis actio ad unum refertur: & quod ad unum refertur, utriusq; est: quia nec à deo alienari potest, quod dedit, nec ab homine quod accepit.

De huius quæstionis tractatione, cum bonæ uoluntatis homo esse incipit, num corrigatur prior uoluntas, an alia ei detur. Et in sacris literis, Omnes, aliquando pro Aliquibus dicitur.

Cap. III

H. Ie tractandum uidetur utrum cum bonæ uoluntatis esse homo incipit, eadem quæ in ipso erat, corrigatur uoluntas: an alia ei quam non habebat, & quæ priori repugnet, detur. Quod ut euidentius appareat, altius id non pigeat inquirere. Omnes homines in primo homine sine uitio cõditi sumus, & omnes naturæ nostræ incolumitatem eiusdem hominis preuaricatione perdidimus. Inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis animiq; corruptio, inde ignorantia & difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, sacrilegi errores, timor uanus, amor noxius, iniusta gaudia, pœnitenda consilia, & non minor miseriarum multitudo quam criminū. His ergo atq; alijs malis in naturā humanā irruentibus, fide perditā, spe relicta, intelligentia obcæcata, uoluntate captiua, nemo in se unde repararetur inuenit: quia etsi fuit qui naturali intellectu conatus sit uitijs reluctari, huius tantum temporis uitam steriliter ornauit, ad ueras autē uirtutes æternamq; beatitudinem non profecit. Sine cultu enim ueri dei, etiā quod uirtus uidetur esse, peccatum est: nec placere ullus deo sine deo potest. Qui uero deo non placet, cui nisi sibi & diabolo placet? A quo cum homo spoliaretur: non uoluntate, sed uoluntatis sanitate priuatus est: quia nec detrudi ab innocentie statu posset, nisi uoluntate peccaret. Quæ ergo natura erat bona, qualitate facta est mala. Et ille animi motus qui nunquam potest sine aliquo esse amore, hoc est sine aliqua uoluntate, non perdidit appetitum, sed mutauit affectum: id recipiens desiderio, quod debuit refutare iudicio. Cū igitur homo ad pietatem redit, (de quo ideo dictum est: Spiritus uadēs, & non rediens, quia nisi illum deus conuerteret, non rediret) non fit nouum figmentum, nouaq; creatura, non alia in eo creatur substantia, sed eadem quæ fuerat labefactata, reparatur. Nec aliud ab eo aufertur nisi uitium, quod natura non habuit. Fuit enim in Adam natura sine uitio, qui per uoluntatis inobedientiam mala multa contraxit, & in posteros magis magisq; multiplicanda transfudit. Quæ ut uincantur, atq; in nihilū deducantur, non efficit nisi gratia Saluatoris, qui opus suum opere suo reparat. Sicut enim dicit Ioannes Apostolus: In hoc apparuit Filius dei, ut soluat opera diaboli. Et sicut rumpit uincula captiui, sic uestit nuditatem spoliati, sic sanat uulnera sauciati: ut quod in ipso agit, etiā per ipsum geratur. Cui utiq; contra hostem suum non expedit sine protectore confligere. Cum illo enim habet certamen, à quo aliquando superatus est. Non ergo fidat de uiribus suis, quæ etiā cum essent integræ, non steterunt: sed per illum quarat uictoriam, qui solus non est uictus, & omnibus uicit. Et si querit, non dubitet querendi affectum ab illo se accepisse quem querit. Nec quia spiritu dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non habere, quod ne tunc quidem perdidit quando diabolo uoluntate se dedit, à quo iudicium uoluntatis deprauatum est, non ablatum. Quod ergo non interfectum est per uulnerantem, non tollitur per medentē. Vulnus sanatur, non natura remouetur. Sed quod in natura periit, non restituitur nisi ab authore nature. Dicit dominus: Et responsam domui Israel, & domui Iude testamentum nouum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum in die qua apprehendi manū eorum, ut educerē illos de terra Aegypti, quia ipsi non perseuerauerunt in testamento meo, & ego eos neglexi, dicit dominus: Quia hoc est testamentum quod disposui domui Israel post dies illos, dicit dominus: Dabo leges meas in sensu ipsorum, & in corde ipsorum scribam eas, & ero illis in deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit unusquisq; proximum suum, & unusquisq; fratrem suum, dicēs: Cognosce dominū: quia omnes cognoscent me à puillo eorum usq; ad magnū, quia propitius ero iniquitatibus eorū, & peccatorum eorum memor nō ero. Et dabo illis uiam alteram, & cor aliud, ut me timeant omnes dies in bonum ipsis, & filijs eorum post eos: & constituā illis testamentum eternū quod nō auertā

1. Corin. 6

Psam. 77

1. Ioan. 3

Hierem. 31

- post eos, & timorem meū dabo in cor eorū ne discedant à me, & uisitato eos ut bonos eos faciam. Per Esaiam quoq; de gratia sua dōminus, qua ex omnibus hominibus nouā creaturam facit, eadem prænunciat dicens: Ecce faciam noua quæ nunc orientur, & cognoscetis ea, & faciam in deserto uiam, & in sicca terra flumina. Benedicent me bestiaæ agrī, Sirenæ & filiaæ Struthionū, quod dederim in deserto aquā, & flumina in sicca terra ad potandū genus meū electū, populū meū quem mihi acquisiui, ut enarrent uirtutes meas. Et iterū: Per me ipsum iurō, nisi exhibit de ore meo iustitia, & uerba mea non auertentur, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua deo. Si ergo impossibile est ista non fieri, quia nec incerta præscientia dei est, nec mutabile consilium, nec inefficax uoluntas, nec falsa promissio: omnes isti de quibus hæc prædicta sunt, sine cuiusquam exceptione saluantur. Dat enim leges suas in sensum ipsorum, eosq; in cordibus eorum digito suo scribit, ut agnitionem dei non doctrinae humane opere, sed magisterio summi eruditoris accipiant: quia neq; qui plantat, neq; qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat deus. Omnes hi à pusillo usque ad magnum cognoscunt deum, quia ut uenirent ad Christum, à patre audierunt atque didicerunt. omnes educti ab errore diriguntur in uiam uitæ, omnibus corde mutato recta sapere & recta uelle donatur, omnibus timor quo in mandatis dei erudiantur, inseritur. Fit in deserto uia, & terra arida fluminibus irrigatur, ut qui prius ad confitendum deum os non aperiebant, & uelut muta atque irrationabilia animalia in feritatem transierant bestiarum, diuinorum eloquiorum fontibus mundati benedicant & laudent deum, enarrantes uirtutes & mirabilia misericordiae eius qui elegit eos, & in filios adoptauit, ac noui testamenti fecit hæredes. Si autem (ut Apostolus loquitur) hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat, quomodo fieri potest ut ex ulla parte diuina promissio resoluatur? Manet prorsus & quotidie impletur quod Abraham dominus sine conditione promissit, sine lege donauit: quia etsi quidam quibus hæc prædicata sunt, non crediderunt: incredulitas eorum fidem dei non euacuauit. Est enim deus uerax, omnis autem homo mendax. Et illi quidem qui audito Euangelio credere noluerunt, inexcusabiliores facti sunt, quam si nullum præconium ueritatis audissent. Sed certum est eos apud præscientiam dei, Abraham filios non fuisse, nec in illorū sorte numeratos, de quibus dictum est: Benedicetur in semine tuo omnes tribus terræ. Credituros enim promissit qui dixit: Et non docebit unusquisq; proximum suum, & unusquisq; fratrem suum dicens: Cognosce dominum: quia omnes cognoscent me à pusillo eorum usque ad magnum. Reconciliandos promissit qui dixit: Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorū memor non ero. Obedituros promissit qui dixit: Dabo illis uiam alteram, & cor aliud, ut timeant me omnes dies. Perseueratur os promissit qui dixit: Timorē meū dabo in cor eorū, ne discedant à me: & uisitato eos, ut bonos eos faciā. Postremo omnes sine cuiusquā exceptione sibi obsequuturos promissit qui dixit: Per me ipsum iuro, nisi exhibit de ore meo iustitia, & uerba mea non auertentur, quia mihi flectet omne genu, & confitebitur omnis lingua deo. Hic si dicamus nō fieri quod deus iurauit esse faciendū: falsitate deo (quod absit) & mendaciū adscribimus ueritati. Si autē (ut pietas fidesq; persuasionis firmitas apparebit, cū multa adhuc hominū milia dæmonijs seruiant, & idolis geditas nouerimus, in qua apud illū iam uniuersitas humana discreta est, & siue de bonis siue de malis loquatur, ita unius partis meminit, quasi neminem hominū prætermittat: Nam cum dicit Apostolus: Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua: nunquid nō omnes homines uidetur dixisse renouatos? Aut cum dicit: Quia in ipso complacuit omnem plenitudinē habitare, & per ipsum reconciliari omnia in ipso: nunquid nō ita loquitur quasi neminem uelit exortem huius reconciliationis intelligi? Aut cum ait: Nouissimis istis diebus locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem uniuersorum: nunquid aliud sonat forma sententiæ, quam omnes homines in Christi hæreditate à patre esse transcriptos, secundū prophetiā Dauid dicentis: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: Dicente enim domino: Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me: nōne uniuersorū uidetur promissa cōuersio? Aut

fior. Aut eū de Ecclesia prophetatur & dicitur: Omnis uallis replebitur, & omnis mons
 & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in uias planas: nunquid ullus
 hominum uidetur omissus, qui nō significatus sit Christo esse subdendus? Quid cum di-
 citur: Et ueniet omnis caro in cōspectu meo ut adōrent in Hierusalem, dicit dominus:
 Aut illud: Et erit in diebus illis, Effundam de spiritu meo super omnem carnē: Aut illud:
 Alleuat dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos: nunquid non ita pronun-
 ciatum est, quasi ab hoc dei munere nemo discretus sit: Habet ergo populus dei plenitu-
 dinem suam, & quamuis magna pars hominum, saluantis gratiam aut repellat aut negli-
 gat, in electis tamen & præsctis, atq; ab omnium generalitate discretis, specialis quæ-
 dam censetur uniuersitas, ut de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus ho-
 minibus omnes homines uideantur assumpti: sicut etiam cum de impijs sermo est ita lo-
 cutionem suam diuinus stylus ordinat, ut ea quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes
 homines pertinere uideantur: ueluti est illud quod ait Ioānes Baptista: Qui de cœlo ue-
 nit, super omnes est: quod uidit & audiuit, testificatur, & testimoniū eius nemo accipit.
 Aut illud Apostoli: Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Aut illud quod
 psalmus Dauidicus canit: Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut uideat
 si est intelligens, aut requirens deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, nō
 est qui faciat bonum, non est usq; ad unum. His igitur & alijs documentis, quæ possunt
 ab inquirentibus numerosiora proferri, non dubie demonstratur interdum & pro par-
 te terræ omnem terram, & pro parte mundi totum mundum, & pro parte hominū om-
 nes homines nominari, quorum tamen discretionē plerumq; scriptura cito aperit, ut sen-
 sus legentis ab uniuersitatis appellatione ad partem quæ intelligenda est transferatur: si-
 cut est illud Apostoli dicentis: Predicamus Iesum Christum crucifixum, Iudæis quidem
 scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis uero uocatis Iudæis atq; Græcis Christum
 dei uirtutem, & dei sapientiam. Nunquid ipsis Christus uirtus quibus scandalum, aut ip-
 sis sapientia quibus stultitia? Sed quoniā quidam ex eisdem iustificabuntur fide, quidam
 autem sua impietate obdurabuntur: unum credentium & non credentiū genus sub uo-
 catorū appellatione discreuit, ut quos à fide significabat alienos, eos quamuis audissent
 Euangelium, ostenderet uocationis extraneos. Hac regula per Esaiam promittit sermo
 diuinus, dicens: Educam cæcos in uiam quam nō nouerunt, & semitas quas nesciunt cal-
 cabunt: & faciam illis tenebras illucescere, & praua in directū. Hæc uerba faciam, & nō
 derelinquā eos. Sed quod sequitur, Ipsi autem conuersi sunt retro, ad partem quandā ge-
 neris ipsorum referendum est, non ad eos de quibus ait: Non derelinquam eos. Iterū di-
 cit dominus ad Iacob: Noli metuere, quia tecum sum. Ab Oriente adducam semen tuū,
 & ab Occasu colligā te. Dicā Aquiloni, adduc: & Africo, noli uetare, adduc filios meos
 de terra longinqua, & filias meas à summo terræ: omnes in quibus uocatum est nomen
 meum. In gloriam enim meam parauī illum, & finxi & feci illum. Quod autem sequitur,
 Et produxi plebem cæcam, & oculi eorum sunt cæci, & surdas aures habent, non potest
 eis ulla ratione congruere, quos in gloriam suam parasse se dicit. In ijs quippe omnibus
 uerbis quæ de uno hominum genere dicuntur, alijs personis priora, alijs posteriora con-
 ueniunt. Apud Apostolū quoq; quod in parte populi agitur, sub totius populi nūcupa-
 tione narratur, & in reliquis plenitudo censetur. Cum enim de Iudæorum obcæcatione
 differeret, & quosdam ex ipsis gratia saluos fieri demonstraret, Dico ergo, inquit, nun-
 quid repulit deus populum suū? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham de
 tribu Beniamin: non repulit deus plebē suam quam præsctiuit. Plebs ergo præsctita, plebs
 non repulsa, ij sunt qui in Christo iustificati sunt. Et quod de omni Israele dici uidetur, in
 ijs tantum quos sibi gratia electio reliquos fecit, ostenditur, sicut sequentiā apostolici
 sermonis enarrāt. Adiungit enim & dicit: An nescitis in Helia quid dicit scriptura, quæ
 admodum interpellat deum aduersus Israel? Domine prophetas tuos occiderunt, alta-
 ria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit
 illi responsum diuinum? Reliqui mihi septem milia uirorum, qui non curauerūt genu
 Baal. Sic ergo, inquit, & in hoc tempore reliquæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt.
 Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Non ergo
 omnis Israel reprobatus, nec omnis electus est, sed partē cæcitas uoluntaria auertit, par-
 tem sibi

Esa. 40 1

Esa. 66

Ioelis. 2

Psalm. 144

Ioann. 3

Philip. 2

Psalm. 13

1. Corin. 1

Esa. 42

Esa. 43

Rom. 11

Rom. 11

Rom. 11

tem sibi illuminatio gratuita reseruauit: & tamen ita de eis sermo habetur, ut & in ijs qui pereunt, & in ijs qui salui fiunt, nulla totius generis uideatur facta discretio. Nam cum legitur: Secundum Euangelium quidem inimici propter uos, secundum electionem autem dilecti propter patres: ita locutio sonat, tanquam eosdem dicat dilectos, quos dixit inimicos. Sed hanc caliginem Apostolus ipse detersit dicendo: Quia cæcitas ex parte in Israel contigit: ut unum genus in duas species intelligeremus esse diuisum: & omnem hominem, omnem plenitudinem, omnem Israel, non semper ad uniuersitatem, sed plerumque ad partem esse referendum. Inter has autem formulas locutionum, etiam illam in scripturis dictionem debemus aduertere, qua id quod ad diuersorum temporum homines pertinet, ita promittitur, quasi de una eiusdem ætatis generatione dicatur, sicut est quod sanctus Petrus Apostolus scribens sui & futuri temporis gentibus ait: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut uirtutes annuncietis eius qui de tenebris uos uocauit in admirabile lumen suum: qui aliquando non populus, nunc autem populus dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. Nunquid cum prædicarentur hæc, adhuc illi homines permanent, quos omnes deus in præteritis generationibus dimiserat ingredi uias suas, & iidem ipsi qui prius traditi fuerant uoluntatibus suis, nunc de tenebris in lumen admirabile uocabantur? Nonne illi iam defecerant, iam in hoc mundo non erant, nec ab errore ad ueritatem reditus olim mortuis suppetebat? Et tamen quod post multa secula gratia in posteris impiorum sit, loquendi consuetudo perstrinxit, ut ipsi uideantur nunc eligi, qui prius fuerant derelicti. Pertinent autem hæc non ad eosdem homines, sed ad eiusdem gentis homines: & uocatio quæ illuxit prope mundi finem, ad præteritam non recurrit ætatem. Ita modo quodam & ipsi & non ipsi sunt, de quibus & quibus ista dicuntur, dum in aliquo speciali à generalibus non diuiduntur, in aliquo uero à communibus separantur.

1. Petri. 2

Soluit calumniam dicentium autorem per superius dicta contradicere Apostolo diffinienti, Quod deus uelit omnes homines saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Et quod profunditas diuinorum mysteriorum atque iudiciorum à nobis non sit perquirenda.

Cap. IIII

1. Timot. 2

S

Ed cum legerint hæc uel audierint qui amant calumniosa certamina, dicent nos per huiusmodi disputationis Apostolo contradicere definienti, quod deus omnes homines uelit saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Quam particulam uerborum Apostoli ita nos integre pleneque suscipimus, ut nihil ei de præcedentibus siue subiectis quæ ad ipsam pertinent subtrahamus: quoniam ut cætera diuinorum eloquiorum testimonia sequestremus, hic locus sufficit ad euacuandum quod calumniose obijciunt, & ad defendendum quod impie diffitentur. Scribens itaque ad Timotheum Paulus Apostolus ait: Obsecro igitur primo omnium, fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt: ut quietam & tranquillam uitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram salutaris nostri deo, qui omnes homines uult saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Unus enim deus, & unus mediator dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. De hac ergo doctrinæ apostolicæ regula qua Ecclesia uniuersalis imbuit, ne in diuersum intellectum nostro euagemur arbitrio, quid in ipsa uniuersalis Ecclesia sentiat requiramus: quia nihil dubium esse poterit in præcepto, si obediëntia cõcordet in studio. Præcepit itaque Apostolus, imò per Apostolum dominus qui loquebatur in Apostolo, fieri obsecrationes & postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, ac pro ijs qui in sublimitate sunt. Quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum & omnium fidelium deuotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit, in qua huiusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo ubique Ecclesia deo non solum pro sanctis & in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Iudeis quorum cæcitati lumen Euangelij non refulget, pro hæreticis & schismaticis qui ab unitate fidei & charitatis alieni sunt. Quid autem pro istis

petit, nisi

peccat, nisi ut relictis erroribus suis conuertantur ad deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, & de ignorantia tenebris liberati in agnitionem ueniant ueritatis? Quod quia ipsi prestare sibi nequeunt, malae consuetudinis pondere oppressi, & diaboli uinculis alligati, neque deceptiones suas euincere ualent, quibus tam pertinaciter inhæserunt, ut quantum amanda est ueritas, tantum diligant falsitatem: misericors & iustus dominus pro omnibus sibi uult hominibus supplicari: ut cum uideamus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus deum prestatuisse, quod ut prestaret oratus est: & gratias agentes pro ijs qui salui facti sunt, speremus etiam eos qui nondum illuminati sunt, eodem diuinae gratiae opere eximendos de potestate tenebrarum, ut in regnum dei priusquam de hac uita exeant transferantur. Quod si aliquos, sicut uideamus accidere, saluantis gratia praeuenerit, & pro eis oratio Ecclesiae recepta non fuerit: ad occulta diuinae iustitiae iudicia referendum, & agnoscendum est secreti huius profunditatem nobis in hac uita patere non posse. Ex parte enim scimus, & ex parte prophetamus, & uideamus nunc per speculum in aenigmate. Nec sapientiores aut sciētiore beatissimo Apostolo sumus qui cum de gratiae potentia disputaret, magnorum mysteriorum ingressus arcanum, ijs quae impossibile erat enarrare, succubuit. Cum enim dixisset: Nolo uos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis uobis ipsis sapientes, quia caecitas ex parte in Israel contigit, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui eruat & auertat impietates ab Iacob, & hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum. Secundum Euangelium quidem inimici propter uos, secundum electionem uero dilecti propter patres. Sine poenitentia enim sunt dona & uocatio dei. Sicut enim aliquando & uos non credidistis deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem: ita & isti nunc non crediderunt in uestra misericordia, ut & ipsi misericordiam consequantur. Conclulit enim deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. Cum ergo haec diuinorum operum mysteria supra mensuras humane intelligentiae excellentia, quodam mentis suae profudisset excessu, totam expositionis rationem transtulit ad stuporem, & admirator eorum quae protulerat, exclamauit & dixit: O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiae eius. Quis enim cognouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

1. Corin. 13

Rom. 11

Esa. 59

Cur anterioribus seculis dimissae sint omnes Gentes ingredi uias suas, uno tantum Israele excepto: quare deus uni homini det gratiam, alteri autem deneget? Cap. v

Ramissa enim docentis assertio, locum dabat multimodae quaestioni, ut uarietate per tot populos ac tempora gratiae dei causa quaereretur: cur scilicet anterioribus seculi dimissae essent omnes Gentes ingredi uias suas, uno tantum Israele, qui diuinis eloquijs erudiretur, excepto, & ad cognitionem ueritatis electo, cuius infidelitas locum tandem saluandis Gentibus fecerit: tanquam si unus populus in fide sui generis permaneret, misericordia dei caeteris se nationibus prestare non posset. Cur denique ipsi quorum diminutio salus Gentibus est, ab obsecratione sua non liberentur priusquam ingrediatur Gentium plenitudo: quasi illuminari cum omnibus nequeant, qui omnes facta omnium Gentium adoptione saluandi sunt: Aut quomodo omnis Israel subleuata obsecratione saluandus sit, cuius innumerabilis multitudo in sua infidelitate deficiens ad tempora saluandis promissa non peruenit: Vel quomodo ipsarum Gentium, quarum prius non est facta uocatio, dicatur nunc ingredi plenitudo, cum tanta promiscuae aetatis & conditionis hominum milia in omnibus nationibus quae sunt sub caelo, sine Christi iustificatione moriantur: Sed horum mysteriorum iudiciorumque causas pius & doctus magister maluit ad altitudinem diuitiarum sapientiae dei scientiaeque suspendere, quam iustissimae ueritatis & misericordissimae bonitatis subtractum ab humana cognitione secretum temeraria inquisitione discutere: nihil omittens de ijs quae non oportet ignorari, nihil contrectans de ijs quae non licet sciri. Multa enim sunt in dispensatione operum diuinorum, quorum causis latentibus soli monstrantur effectus, ut cum pateat quod geritur, non pateat cur geratur: negotio in medium deducto, & in occultum ratione subducta: ut in eadem re & de inscrutabilibus praesumptio comprimatur, & de manifestis falsitas refutetur. Neque enim

Rom. 11

Nec enim si nescio cur ille Græcus creetur, hic Barbarus: iste in diuitiis, ille in egestate nascatur: hunc ualida proceri corporis pulchritudo sublimet, illum debiliū membrorum exilitas contracta deformet: iste à catholicis editus in ueritatis cunabulis nutriatur, ille hæreticorum progenies cum ipso lacte matris hauriat uirus erroris: si deniq; mille alias differentias in habitu corporum, in qualitatibus animorum, in conditione temporum, in more regionū diiudicare non possum: ideo quod omnium horū deus sit conditor atque ordinator, ignoro. Qui utiq; singulorum hominum ita & corpora creauit & spiritus, ut præter illam secuturam ex uniuscuiusq; studio uoluntariam diuersitatē, ipsa conditionis exordia dissimillima numerositate uariaret. Turbarent autem nos & in diuersum distraherent multæ uaniloquorum opiniones, qui de incognoscibilibus deuenire in inconuenientia præsumperunt, & has originales inæqualitates fati, quæ nulla sunt, & syderibus deputarunt, nisi certissima notitia teneremus deum creatorem de elementis naturalibus prout uult uas unumquodq; formare, & unam naturam animarum, unam naturam corporum placitis sibi temperare mensuris. Quæ utiq; opéra dei humanæ intelligentiæ cognoscibilia essent, si innotescere debuissent, & manifestaretur cur ita quidq; fieret, nisi quod ita fieret, scire sufficeret. Dicit dominus ad Moysem: Quis dedit os homini, & quis fecit mutum & non audietem & uidentem & cæcum? nonne ego dominus deus? Et per Esaiam: Nonne ego fecundum & sterilem feci? dicit dominus. In libro Ecclesiastico legitur: Bona & mala, uita & mors, paupertas & honestas à deo sunt. Et Iob dicit: Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Et idem de omnium rerum humanarū profectu & defectu disputans, omnesq; mutationes ad iudicia dei referens, Apud ipsum est, inquit, sapientia & fortitudo: ipse habet consiliū & intelligentiā. Si destruxerit, nemo est qui edificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat: si cōtinuerit aquas, omnia siccabuntur: si emiserit eas, subuertent terram. Apud ipsum est fortitudo & sapientia, ipse nouit & decipientem, & eum qui decipitur. adducit cōsiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem. Balthæum regū dissoluit, & præcingit fune renes eorum. ducit sacerdotes in gloriosos, & optimates supplantat, cōmutans labium ueracium, & doctrinam senū auferens, effundens despectionem super principes, & eos qui oppressi fuerant releuans. qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem umbrā mortis. qui multiplicat gentes, & perdet eas, & subuersas in integrum restituet. Qui immutat cor principū terræ, & decipit eos, ut frustra incedant per inuium. palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios. Et iterum idem dicens uoluntatem dei irritam esse non posse, Ipse enim, inquit, solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius, & anima eius, quodcūq; uoluerit, hoc fiet. Liberatur pars hominum parte pereunte. Et si hoc uoluntatum meritis uelimus adscribere, ut malos neglexisse gratia, bonos autē elegisse uideatur: resistet nobis innumerabilium caussa populorum, quibus per tot secula nulla celestis doctrinæ annuntiatio coruscauit, nec meliores fuisse eorū posteros possumus dicere, de quibus scriptum est: Gentium populus qui sedebat in tenebris, lucem uidit magnam, & sedentibus in tenebris & umbra mortis lux orta est illis. Et ad quos apostolus Petrus dicit: Vos autem genus electum, regale sacerdotiū, gens sancta, populus acquisitionis, ut uirtutes annuncietis eius qui de tenebris uos uocauit in tam admirabile lumen suum: qui quondam non populus, nunc autem populus dei, quorum aliquando non est misertus, nunc autem miseretur. Non ergo meritis minorum tribuitur quod non meruere maiores. par enim impietas & patres accusabat & filios, eademq; ignorantia cæcitas omnes simul in eisdem mergebat errores. Sed cur illorum non misertus & horum misertus sit deus: quæ scientia comprehendere, quæ potest inuestigare sapientia? Latet discretionis ista ratio, sed non latet ipsa discretio. Non intelligimus iudicantē, sed uidemus operantem. Quid calumniatur iustitiæ occultæ, qui gratias debemus misericordiae manifestæ? Laudemus & ueneremur quod agitur, quia tutum est nescire quod tegitur. Respice autem & ad uniuersalem multitudinem paruulorum, in quibus excepto illo quo in damnationē nascitur gens humana delicto, nec præterita possunt merita nec futura censerī. Omnes enim de quibus nunc loquimur, ante ullum intelligentiæ usum, ante liberum uoluntatis arbitrium, alij ad æternam beatitudinem regenerati, alij

ad perpe-

ad perpetuam miseriam trāseunt non renati. Si originalem culpam fateris, omnis numerus in reatu est: si moralem innocentiam quæris, omnis summa sine vitio est. Non inuenit quod discernat humana iustitia, sed habet quod eligat inenarrabilis gratia dei. In abscondito est consilium, sed non latet donum: opus exerit pietas, causam obscurat potestas. Sed tam indubitabile est quod non uidetur, quam quod uidetur: quia auctori manifesti operis negari confessio etiam incognita non potest equitatis. Quod si & ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitijs & sceleribus ætatem, sacramentum baptismatis Christi in ipso uitæ sine renouantur, & sine ullo suffragio bonorum operum in regni cœlestis consortiū transferuntur: quo intellectu diuinum iudiciū comprehendentes, nisi ut indubitanter agnoscas gratuita esse dei munera: & sicut nulla sunt tam detestanda facinora, quæ possint gratiæ arcere donū, ita nulla posse tam præclara opera exire, quibus hoc quod gratis tribuitur, per retributionis iudicium debeatur. Vilesceret enim redemptio sanguinis Christi, nec misericordiæ dei humanorum operum prærogatiua succumberet: si iustificatio quæ sit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur: ut non minus largientis, sed merces esset operantis. Vnde autē posset probari quod ad euacuandū originale peccatū, nulla idonea esset industria, nisi & impij & facinorosi per lacrum Christi assumerentur in regnū, agnoscerētq; qui in sua iustitia gloriantur, quam nihil dignum agere possint adoptione filiorum dei si ad regenerationis non peruenerint sacramentum: cum eadē qua scelestissimi peccatores cōditione teneantur: pares futuri in sanctificatione, si affuerit regeneratio, simul perituri si cessauerit ablutio. Si ergo etiam ex nequissimis in ipso uitæ exitu gratia inuenit quos adoptet, cum tamen multi etiam qui minus nocentes uidentur, doni huius alieni sint: quis hoc aut sine dispensatione dei fieri, aut sine profunda dicat æquitate decerni? Quod utiq; non ideo iniquum est, quia occultum est: sed ideo æquum est, quia iudicium dei esse non dubium est. Quod enim ab illius pender arbitrio, qua sententiā iudicari debeat, priusquam iudicetur incertum est. Cum autem res ad finem suum uenerit, nemini liberum est de exitu conqueri: quia certissimum est nihil aliter deum facere debuisse, quam fecerit. Qui multimoda uocationis uarietatem ad unam gratiam pertinentem, etiam illa regula euangelicę comparationis adstruxit, qua ostendit patrem familias diuerso tempore conducentem operarios uineę sub pactione denarij, quo uitę æternę significatur æqualitas, ubi sine dubio hora undecima intromissi in uineam, totius diei operarijs exæquati, istorum de quibus nunc loquimur, præferunt sortem, quos ad commendandam gratiæ excellentiam in defectu diei & conclusionē uitæ diuina indulgentia munerauit: non labori præcium soluens, sed diuitias bonitatis suæ in eos quos sine operibus eligit, effundens: ut etiam ij qui in multo labore sudarunt, nec amplius quam nouissimi acceperunt, intelligant donum se gratiæ, non operum accepisse mercedem. Vnde si & nos aduersum patremfamilias murmuremus, eo quod nouissime uocati totius diei operarijs cœquantur, nec amplius multa opera quam pene nulla mereantur: dicetur nobis quod unū eorum responsus est: Amice, non facio tibi iniuriā. nōne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & uade: uolo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi dere mea facere quod uolo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Certe huic calumniatori iniusta uidebatur hæc largitas. Et quid eruditionis retulit? quid rationis accepit? Non est ei dispensationis huius reuelata iustitia, nec ad inspectionem secreti latentis admissus est: sed ut à discutiendis dei iudicijs abstineret, opposita est ei bonitas miserantis, & uolentis potestas, quasi illi & ab Apostolo diceretur: O homo, tu quis es qui respondeas deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare me fecisti sic? Omnibus ergo hominibus cuiuslibet generis, cuiuslibet conditionis & ætatis causa percipiendę gratiæ uoluntas dei est, apud quam ratio electionis abscondita est ab ea gratia incipientibus meritis, quam accipere sine meritis. Quæ si possent bona esse sine gratia, non diceretur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. & Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis uitam in uobis. Sed diceretur: Nisi quis fuerit iustus & bonus, beatus in æternum esse non poterit. Nec opus esset per aquam & spiritum renasci, si per mandatum sufficeret erudiri. Et euacuaretur fides, quæ credit per baptismum

omnia peccata dimitti, si gratia non malis & impijs, sed bonis & rectis doceretur impendi. Origo itaq; ueræ uitæ ueræq; iustitiæ in regenerationis est posita sacramento, ut ubi homo renascitur, ibi etiam ipsarum uirtutum ueritas oriatur. Et incipiunt ad perpetuam gloriam proficere per fidem, qui uix ad temporalem uanæ laudis poterant peruenire mercedem. Siue enim Iudæus legis scientia tumens, siue Græcus studio sapientiæ naturalis inflatus, priusquam iustificetur per fidem Christi, conclusus est sub peccato: & si in sua infelicitate perstiterit, ira dei manet super eum, illa scilicet in Adæ prauaricatione contracta, de qua Apostolus loquitur dicens: Et uos cū essetis mortui delictis & peccatis uestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentia, in quibus & nos aliquando cōuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes uoluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Et iterum: Qui eratis illo tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorū, promissionis spem non habentes, & sine deo in mundo. Et iterum: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Et iterum: Gratias agentes patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris, & potestate tenebrarū, & transfudit in regnum filij dilectionis sue. Et iterum: Eramus & nos aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs, & uoluptatibus uarijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri: non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem uitæ æternæ.

Qualis sit natura humana sine gratia.

Cap VI

Iude. 1 **E**st ut breuissime pateat qualis sit natura humana sine gratia, dicat Iudas apostolus quid agat uel ignorantia imperitorum, uel doctrina sapientium. Hi autem, inquit, quæcunq; quidem ignorant, blasphemant: quæcunq; autem naturaliter ut muta animalia norūt, in his corrumpuntur. Dicat etiam sub uerbis Zachariæ euangelista Lucas, ante illuminationē gratiæ in qua humanū genus nocte uersetur, & de quibus ignorantia tenebris dei populus eruitur: Et tu, inquit, puer propheta altissimi uocaberis, præibis enim ante faciē domini parare uias eius, ad dandā scientiā salutis populo eius in remissionem peccatorū ipsorū, propter uiscera misericordiæ domini, in quibus uisitauit nos oriens ex alto, lucere ijs qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in uia pacis. Hæc autē uiscera misericordiæ dominus nō ad unius tantū populi redemptionem, sed omnium nationū impendit salutē, dicente Euangelista: Quia Iesus moriturus erat pro gente, non tantū pro gente, sed etiam ut filios dei dispersos congregaret in unum. Hoc enim ait illa uox domini, quæ per quandam pietatis tubam toto terrarum orbe resonantem, omnes homines & inuitat, & conuenit. Nam cū dixisset: Cōfitebor tibi pater domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: Ita pater, quoniam sic beneplacitū est ante te: ad didit: Omnia mihi tradita sunt a patre meo, & nemo nouit filium nisi pater, neq; patrem quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Et deinde adiecit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego uos reficiam. Tollite iugum meum super uos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suauē est, & onus meum leuē est. Ioannes uero Baptista in euangelio Ioannis prophético spiritu protestatur dicens: Qui de cœlo uenit, super omnes est. quod uidit & audiuit, testificatur, & testimonium eius nemo accipit. Qui accipit testimonium eius, signauit quoniā deus uerax est. Igitur quantum attinet ad humani generis cæcitatem, longa ignorantia & superbia nocte contractam, uenit in hunc mundum creator mundi, & mundus eū nō cognouit. Lux lucet in tenebris, & tenebræ eā nō comprehenderunt. Qui super omnes est, quod uidit & audiuit, testificatur, & testimonium eius nemo accipit. Sed quia nō frustra deus dei filius uenit in mūdum, & dedit semetipsum pro omnibus, mortuusq; est non tantum pro gente, sed etiam ut filios dei dispersos congregaret in unum, & uniuersis dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis:

ti estis: & seruato sibi incognoscibilis electionis arbitrio, dat sui patrisque notitiam quibus eam uoluerit revelare: omnes filij lucis, filij promissionis, filij Abrahę, filij dei, genus electum, regale sacerdotium, ueri Israelitę, pręcogniti & pręordinati in regnum dei, qui eos uocauit non solum ex Iudeis, sed etiam ex Gentibus: testimonium eius qui de cęlo uenit accipiunt, significantes quia deus uerax est, id est, expresse significantes in sui saluatione quoniam deus uerax est, implens & perficiens quod promisit Abrahę omnium gentium patri: qui pollicente deo quod heres futurus esset mundi, non hęsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans glorię deo, & plenissime sciens quoniam quod promisit, potens est & facere. Quis autem tam alienus est a fide Abrahę, quis tam degere ab uniuersarum gentium patre, qui promissionem dei aut non impleri, aut ab alio pręter eum qui promisit, dicat impleri? Ille quidem erit mendax, deus autem est uerax. Et omnis qui accipit testimonium eius, hoc signat, hoc indicat, quod per lucem illuminantem factus est uidens, factus est obediens, factus est intelligens, sicut Ioannes Euangelista testatur dicens: Scimus quia mundus totus in maligno positus est, & scimus quia filius dei uenit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus uerum deum, & sumus in uero filio eius.

1. Petr. 2

Rom. 3
1. Ioann. 5

Cur saluator omnium, non omnibus dederit ut cognoscerent uerum deum.

Cur etiam quidam paruuli salui fiant renati, alij pereant non renati. Cap. VII

I uero quęritur cur saluator omnium hominum non omnibus dederit hunc sensum, ut cognoscerent uerum deum, & essent, id est, permanerent in uero filio eius: quamuis credamus nullis hominibus opem gratię in totum fuisse subtractam, de quo plenius in sequentibus disseremus: tamen ita forte hoc uelut sit, sicut illud absconditum est, cur antea omnibus gentibus prętermisissis, unum populum sibi quę ad ueritatis cognitionem erudiret exceperit: de quo iudicio dei si non est cōquerendum: multo minus de hoc quod cū electione omnium gentium geritur, murmurandum est. Quę enim deus occulta esse uoluit, nō sunt scrutanda: quę autē manifesta fecit, nō sunt neganda: & in illis illicite curiosi, & in istis damnabiliter inueniamur ingrati. Non autem ignoramus esse quosdam tam inconsideratę pręsumptionis, & tam superbe arrogantię, ut quod pręcipuus magister Gentium non ab hominibus neque per hominem sed diuinitus eruditus, supra mensuram scientię suę longe & alte remotum esse confessus est, audeant falsi nominis temerare doctrina, & nihil illic occultum, nihil uelint esse secretum, ubi Apostolus non quid sentiendum esset aperuit, sed quid non scrutandum esset ostendit. Nullis etenim (quod supra iam diximus) studijs, nullis ingenijs indagare concessum est quod iudicio quouē cōsilio deus incōmutabiliter bonus, incōmutabiliter iustus, semper pręscius, semper omnipotens, ideo omnia in incredulitate concluderit, ut omnium misereatur, & tamen illis seculis quibus unum Israelē erudiebat, innumerabiles populos impiorum illuminare distulerit, & nunc eundem Israelē, donec uniuersitas Gentium introeat, obcęcatum esse patiat, pereuntē in tot milibus nascentium atque morientium, & saluandum in eis quos mundi finis inuenerit. Quo mysterio toto scripturarum corpore dilatato, innotuit quidem nobis quid factum sit, quid fiat, quid uere faciendum sit: sed quare ita fieri placuerit, ab humana intelligentię contemplatione subtractum est. Isti autem qui nescire aliquid erubescunt, & per occasionem obscuritatis tendunt laqueos deceptionis, omnem discretionem qua deus alios eligit, aliosque non eligit, (multi enim sunt uocati, pauci autem electi) ad merita humanę referunt uoluntatis, docentes scilicet neminem gratis, sed ex retributione saluari, quia naturaliter omnibus sit institutum, ut si uelint, possint ueritatis esse participes, eisque affluere gratiam a quibus fuerit expetita. Quę definitio, ut interim de gratię ueritate taceatur, de his uidetur aliquam ostentare ratiunculam, qui libero utuntur arbitrio. De paruulis uero quibus sine ullo bonę uoluntatis merito in originali uulnere cū ceteris mortalibus causa communis est, nihil potest expositionis afferri, qua doceatur cur isti salui fiant renati, illi pereant nō renati, sub illius prouidentia & omnipotentia in cuius manu est anima omnis uiuentis, & spiritus uniuerse carnis hominis, & cui dicitur: Breues dies hominis sunt, numerus dierum eius apud te est. Non autem puto istos uoluntatum patronos, simplicitate illorum tam impudenter usuros, ut aut fortuito ista dicant accidere, aut nō renatos asserant nō perire. Apertē enim aut cum Paganis conuincere

Galat. 1

Rom. 11

Matth. 20

Iob. 14

tur sentire de fato, aut cum Pelagianis transfusum in posteros Adæ negare peccatū. Facto autem non baptizari paruulos nec Pelagiani potuerunt dicere, sed quia eos liberos à peccato ausi sunt profiteri, meruere damnari. Cum autem de discretione omnium hominū quæstio uentilet, & ab omnibus hominibus paruuli nequeat separari, simulq; de totius ætatis hominibus Veritas dixerit: Filius hominis uenit quærere & saluare quod perierat, frustra profunditatem inscrutabilis gratiæ per liberum arbitriū conantur aperire, qui causam electionis in eorum cōstituunt meritis, qui eliguntur. Et cum multa de maiorum uoluntate ac iudicio inepta & falsa protulerint, in paruulorum tamen discretione deficiunt, nec possunt de eius quæstionis ratione reddita gloriari, quæ de omnibus hominibus tractatur, & non de omnibus expeditur. Multiformitas autē & magnitudo diuinæ gratiæ probat istos contra ueritatem etiam quod de maiorum uoluntatibus loquuntur, astruere, eorumq; persuasioni diuinorū eloquiorū testimonia repugnare. Quæ si omnia sermoni nostro uelimus annectere, modus non erit differendo. Quæ tamen si se recordationi offerunt, non omittentur, ut quantū satis est, manifestetur omne hominis bonum meritum ab initio fidei usq; ad perseuerantiæ consummationem, donum atq; opus esse diuinum.

Fides unde nascatur, & unde acquiratur.

Cap. VIII

Igitur fides quæ bonæ uoluntatis & iustæ actionis est genitrix, quo ipsa fonte nascatur, Apostolus Paulus exponat, qui pro Romanorū fide deo gratias agit, dicens: Primum quidem gratias ago deo meo per Iesum Christum pro omnibus uobis, quia fides uestra annunciatur in uniuerso mundo. Ad Ephesios quoq; scribens: Propterea, inquit, & ego audita fide uestra quæ est in domino Iesu, & dilectione in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro uobis, memoriam uestri faciens in orationibus meis, ut deus domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ det uobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis uestri, ut sciatis quæ sit spes uocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis. De fide etiam Colossensiu similiter gratias agēs: Gratias agimus, inquit, deo & patri domini nostri Iesu Christi, semper pro uobis orantes, audientes fidē uestrā in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem quæ reposita est uobis in cœlis. Et ut alia bona ab eodem bonorum authore percipiant, quid pro eis oret enarrans. Ideo, inquit, & nos ex quā diē audiuius, non cessamus pro uobis orantes & postulantes ut impleamini agnitione uolūtatis eius in omni sapientiā & intellectu spiritali, ut ambuletis dignè deo placentes, in omni opere bono fructificantes & crescentes in scientia dei, in uirtute confortati secundum pōtentiam claritatis eius in omni patientia & longanimitate cū gaudio. Item ad Thessalonicenses, qui spiritu fidei dilectionisq; seruibāt: Gratias agimus, inquit, deo semper pro omnibus uobis, memoriam facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei uestræ & laboris & charitatis & sustinētis spei domini nostri Iesu Christi ante deum & patrem nostrum. Et infra: Ideo & nos gratias agimus deo sine intermissione, quoniam cū accepissetis à nobis uerbum auditu dei, accepistis nō ut uerbū hominū, sed (sicut est uerè) uerbū dei, qui operatur in uobis qui creditis. Potuit ne plenius aut euidentius demonstrari dei esse donum, credentium fidem, quam ut ideo agerentur gratiæ deo, quoniā ij quibus uerbum dei per homines prædicabatur, non quasi de hominum sermone dubitarunt, sed tanquā deo loquenti per homines crediderunt, qui in ipsis est operatus ut crederent? In secunda quoq; ad eosdē Thessalonicenses epistola de fide in Christo proficientiū ita Apostolus loquitur: Gratias agere debemus deo semper pro uobis fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides uestra, & abundat charitas uniuscuiusq; uestrū in inuicē, ita ut & nos ipsi in uobis gloriemur in ecclesiis dei pro patientia uestra & fide in omnibus persecutionibus uestris & tribulationibus quas sustinetis in exemplum iusti iudicij dei, ut digni habeamini in regno dei, pro quo & patimini. Petrus quoq; Apostolus ex deo haberi fidē prædicans, ita scribit: Scientes quod non corruptibilibus auro & argento redempti estis de uana cōuersatione uestra paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi Iesu, præcogniti quidē ante constitutionē mundi, manifestati autē nouissimis temporibus propter uos qui per ipsum fideles estis in deum, qui suscitauit eū à mortuis

mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides uestra & spes esset in domino. Item idem in secunda epistola de fidei perceptione sic loquitur: Simon Petrus seruus & Apostolus Iesu Christi, his qui coequallem nobis adepti sunt fidem per iustitiam domini & saluatoris Iesu Christi. Vnde autem habeatur spiritus fidei, Ioannes apostolus manifestissime docet dicens: Omnis spiritus qui confitetur Iesum in carne uenisse, ex deo est: Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex deo non est, & hic est Antichristus. Item dicit ab eo recipi Euangelium, in quo est spiritus ueritatis. Nos, inquit, ex deo sumus, qui nouit deum, audit nos: qui non est ex deo, non nos audit. In hoc cognoscimus spiritum ueritatis, & spiritum erroris. Item in actibus apostolorum Petrus apostolus fidem esse per dominum Iesum pronuncians: Hunc, inquit, quem uidetis & nostis, confirmauit nomen eius, & fides qua per eum est, de dit integram sanitatem istam in conspectu omnium uestrum. De fide quoque Lydia, cuius inter alias mulieres qua Euangelium pariter audiebant, dominus cor aperuit, ita in eadem narratur historia. Die autem sabbatorum egressi sumus extra portam iuxta flumen, ubi uidebatur esse oratio, & sedentes loquebamur mulieribus qua conuenerant: & quaedam mulier Lydia purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens deum, audiuit, cuius dominus cor aperuit ut intenderet ijs que dicebantur a Paulo. Non autem ex humana sapientia esse fidem, sed ex inspiratione diuina, ipsius ueritatis uoce firmatur. Dicente enim domino ad discipulos suos: Vos autem quem me esse dicitis? respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius dei uiui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in caelis est. Paulus uero apostolus hanc ipsam fidem secundum mensuram dari pro arbitrio largientis ita predicat: Dico enim per gratiam qua data est mihi, omnibus qui sunt inter uos, non plus sapere quam oporteat sapere, sed sapere ad sobrietatem, sicut unicuique diuisit deus mensuram fidei. Item idem unitatem rectae fidei, & consensionem in honorem dei a deo esse commendans: Deus autem, inquit, patientiae & consolationis det uobis id ipsum sapere in aliterum secundum Iesum Christum: ut unanimes uno ore honorificetis deum & patrem domini nostri Iesu Christi. Et infra: Deus autem spei repleat uos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis spe in uirtute spiritus sancti. Quo testimonio non solum fides, sed etiam gaudium & pax, & abundantia spei docentur nisi in uirtute sancti spiritus non haberi. Ad Ephesios uero scribens Apostolus de diuinitis gratiae pro malis bona retribuentis, & de fide qua non ex nobis, sed ex dei dono habetur, haec loquitur: Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam suam charitatem qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia salui facti sumus, & coresuscitauit & considere fecit in caelestibus in Christo Iesu. Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex uobis. Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, qua praeparauit deus, ut in illis ambulemus. Proprium ergo hoc habet noua creatura per gratiam, ut qui figmentum dei sunt, qui natiuitate caelesti conduntur in Christo, non ocio torpeant, nec desidia resoluantur, sed de uirtute in uirtutem proficiant, per uiam bonorum operum ambulando hoc est enim fingi, hoc de uetere creatura nouam fieri, hoc de imagine terreni hominis ad imaginem caelestis hominis reformari, quod totum siue palam per cooperatores gratiae, siue occulte per subministrationem spiritus. Ille inchoat, ille auget & perficit, cuius aedificatio, & cuius figmentum sumus.

Quod deus sit autor omnium uirtutum & omnis boni.

Cap. IX

Bunde, quantum arbitror, his testimonijs (quamuis & alia documenta a gregari potuerint) demonstratum est, fidem qua iustificatur impius, nisi ex dei munere non haberi, eamque nullis meritis precedentibus tribui, sed ad hoc donari, ut principium possit esse meritorum: ut cum ipsa data fuerit, non petita, ipsius iam petitionibus bona caetera consequantur. Vnde itaque quaedam de plurimis assumenda sunt testimonia, qua in diuersitate donorum ostendant gratiae largitatem. Ex deo utique esse, ut homo uiam dei eligat, & ut surgat a lapsu, psalmus Davidicus canit, dicens: A domino gressus hominis dirigentur, & uiam eius uolet. Cum ceciderit, non collidetur: quia dominus supponit manum suam. Item idem quod duce deo ueniatur ad deum: Emitte lucem tuam, & ueritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum

Ambr. Tot. 2.

b 3 tuum, &

2. Petri. 1

1. IOANN. 4

Act. 3

Matth. 16

Rom. 12

Rom. 15

Ephes. 2

Psalm. 36

Psalm. 43

- tutum, & in tabernacula tua. Item quod in domino sit hominis fortitudo, & dei uoluntas praeueniat liberandum. Fortitudinem, inquit, meam ad te custodiam, quia deus susceptor meus, deus meus, uoluntas eius praeueniet me. In prouerbijis quoque legimus de sapientia & intellectu: Quoniam dominus dat sapientiam, & a facie eius scientia & intellectus. Item in eodem libro de dispensationibus sapientiae dei, sine qua nullae rectae sunt actiones, ita dicitur: Meum consilium & mea tutela. ego prudentia, mea autem uirtus. Per me reges regnant, & tyranni per me obtinent terram. Item alibi, quod nemo possit recte incedere nisi domino dirigente: A domino corriguntur gressus uiri, mortalis autem quomodo intelligit uias suas: Item alibi: Omnis uir uidetur sibi iustus, dirigit autem corda dominus. Et infra: Praeparatur uoluntas a domino. Item ibidem de cogitatione atque consilio: Multae cogitationes in corde uiri, consilium autem domini obtinet. In libro uero Ecclesiasticae dicitur quod & habere necessaria, & eis bene uti, donum sit dei: Non est, inquit, bonum homini nisi quod mandit & bibit, & ostendit animae suae bonum in labore suo. Et quidem haec uidi ego, quia a manu dei est. Quoniam quis manducabit aut pascet absque illo: Item in eodem libro legitur quod corda & opera iustorum in manu sunt dei, & tantum in studiis suis proficiant, quantum ille donauerit. Quantumcumque laborauerit homo ut quaerat, non inueniet: & quodcumque dixerit sapiens ut sciat, non poterit inuenire: quia uniuersum hoc dedi in cor meum, & cor meum uniuersum hoc uidit, quia & iusti, & sapientes, & operationes eorum in manu dei. In libro autem Sapientiae de eodem gratiae opere ita dicitur: Quoniam ipse & sapientiae dux est, & sapientium emendator. in manu enim illius & nos, & sermones nostri, & omnis sapientiae & operum scientia & disciplina. De continentia quoque quod ex dei habeatur munere, eadem scriptura sic loquitur: Ut sciam quia aliter non possum esse continens, nisi deus det: & hoc ipsum erat sapientiae scire, cuius esset hoc donum. Cuius sententiae Pauli apostoli doctrina concordat in prima ad Corinthios haec scribentis: Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum: sed unusquisque proprium habet donum ex deo: alius sic, alius uero sic. Dominus uero in Euangelio secundum Mattheum haec de continentiae dono insinuasse narratur. Dicentibus namque discipulis suis: Si ita est causa uiri cum uxore, non expedit nubere: dicit illis Iesus: Non omnes capiunt uerbum istud: sed quibus datum est a patre meo. De timore dei & sapientia in Ecclesiastico legitur: Corona sapientiae timor domini. utraque autem dona sunt dei. Item de eodem: Timor domini super omnia se superposuit. beatus cui donatum est habere timorem domini. Esaias quoque de diuitijs spiritualibus, quarum author est dominus, ita loquitur: In thesauris salus nostra aduenit. sapientia, & pietas, & disciplina a domino, hi sunt thesauri iustitiae. Item de altitudine diuitiarum sapientiae & scientiae dei, cuius bonitas nullius merito praeuenitur, haec dicit: Qui mensus est manum aquam, & coelum palmo, & uniuersam terram pugillo, qui statuit montes in libra, & rupes in statera. Quis cognouit sensum domini, aut quis eius fuit consiliarius, qui instruat eum, aut quem consuluit, & instruxit eum, uel quis ostendit ei iudicium, aut uiam prudentiae quis ostendit ei, uel quis prior dedit ei, & retribuetur illi: Unde & in libro Job secundum eundem sensum leguntur domini uerba, dicentis: Quis ante dedit mihi, ut retribuam illi? Omnia quae sub caelo sunt, mea sunt. Hieremias uero quod a deo sit homini recta sapientia, sic profatur: Scio domine quia non est in homine uia eius, nec uiri est ut dirigat iter suum. Item quod ad deum conuersio cordis ex deo sit, per ipsum dominus protestatur & dicit: Restituam illos in terram istam, & reaedificabo & non destruam, & plantabo eos, & non euellam, & dabo illis cor ut sciant me, quia ego sum dominus, & erunt mihi in populum, & ego ero illis in deum, quia conuerterentur ad me ex toto corde suo. Item idem praedicans quod ut deus cognoscatur ex deo sit: Et scient, inquit, quia ego dominus deus illorum: & dabo illis cor cognoscendum me, & aures audiendi. Quod autem omne uerbum bonum & omne opus sanctum summum ministratio sit spiritus sancti, sine quo nihil recte agatur, in prima ad Corinthios Paulus apostolus docet, dicens: Ideo notum uobis facio, quod nemo in spiritu dei loquens dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere dominum Iesum nisi in spiritu sancto. Diuisiones uero gratiarum sunt, idem autem spiritus: & diuisiones ministracionum sunt, idem autem dominus: & diuisiones operationum sunt, idem uero deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo

tur sermo sapientiae, alij autem sermo scientiae secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanctorum in uno spiritu, alij prophetatio, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum, Haec autem omnia operatur unus atque idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Tantum uero unumquemque habere gratiae, quantum dominus donauerit, idem Apostolus ad Ephesios ait: Vnum corpus, & unus spiritus, sicut uocati estis in una spe uocationis uestrae, unus dominus, una fides, unum baptismum, unus deus & pater omnium, qui super omnes est, & super omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi: propter quod dicit: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Item idem in secunda ad Corinthios dicit, quod ne ad cogitandum quidem quod spiritale est, idonei simus nisi per gratiam dei: Fiduciam autem talem habemus per Christum ad deum, non quod sufficientes simus aliquid cogitare a nobis quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nobis ex deo est, qui & idoneos fecit nos ministros noui testamenti, non littera, sed spiritu. Littera enim occidit, spiritus autem uiuificat. Et iterum in eadem epistola docens bonorum operum effectum & sufficientiam a dei gratia ministrari: Potens est autem, inquit, deus omnem gratiam abundare facere in uobis, ut in omnibus per omnia sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in aeternum. Qui autem ministrat semine seminanti, & panem ad manducandum praestabit, & auget incrementa frugum iustitiae uestrae, ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem. Ad Ephesios uero scribens Apostolus docet quod omnia bona quibus placeat deo, dona sint dei, & quod ab ipso peti oporteat, ut ea non habentibus tribuat: Huius rei, inquit, gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelo & in terra nominatur, ut det uobis secundum diuitias gloriae suae uirtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus uestris, in charitate radicati & firmati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo & longitudo, sublimitas & profundum, supereminentem scientiam charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundantius quam petimus aut intelligimus, secundum uirtutem qua operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Iesu, in omnia secula seculorum, amen. Omnis autem boni deum esse auctorem, cuius dona nec incerta sunt nec mutabilia, sed ex aeterna uoluntate ueniunt, Iacobus Apostolus ita loquitur: No lite errare fratres mei dilecti. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius. Cui & Zacharias propheta concinit, dicens: Saluabit dominus in die illo sicut oues populum suum, quoniam lapides sancti uoluntur super terram ipsius: quia si quid bonum, ipsius est: et si quid optimum, ab ipso est. In Euangelio uero secundum Mattheum, quod scientiae & intellectus dona sint dei, quae quibus uoluerit largiat, ita dicitur: Tunc accedentes discipuli eius dixerunt: Quare in parabolis loqueris ad eos? At ipse respondens ait illis: Quia uobis datum est nosse mysteria regni caelorum, illis autem non est datum. Ioannes quoque Euangelista pronunciat neminem aliquid boni habere nisi quod desursum acceperit, dicens: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de caelo. In eiusdem uero Euangelio doctrina est ipsius Veritatis, quod nemo ueniat ad filium, nisi attractus a patre: quia uenturum deus & intelligentem et obedientem facit. Nemo, inquit, potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Scriptum est enim in Prophetis: Et erunt omnes dociles dei. Omnis qui uenit a patre, & didicit, uenit ad me. Et infra: Propter hoc dixi uobis, quia nemo potest uenire ad me, nisi datum fuerit ei a patre meo. In fide autem & in operibus bonis proficere ac perseverare usque in finem, muneris atque auxilij esse diuini, sanctorum scripturarum confirmat autoritas. Etenim scribens Paulus Apostolus Philippensibus ait: Confidens hoc ipsum, quia qui coepit in uobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu. Huius autem testimonij uirtutem, quidam uolens ad sui sensus prauitatem conuertere, ita quod dictum est, qui coepit in uobis, uolebat intelligi, quasi dictum esset, qui coepit ex uobis: ut & initium & consummatio operis non ad deum, sed ad hominem refer-

Ephes. 5

2. Corin. 13

2. Corin. 9

Psalm. 111

Ephes. 5

Iacobi. 1

Zacharias. 9

Matth. 13

Ioan. 6

Philip. 1

- retur, qui & incipere & perficere uoluisset. Sed hanc insanissimam superbiam in eadem
Philip. 2 epistola excellentissimus gratiæ prædicator elidit, dicēs: In nullo terreamini ab aduersa
 rijs quæ est illis causa perditionis, uobis autem salutis, & hoc à deo: quia uobis donatum
 est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. Et iterum:
 Cum metu, inquit, & tremore uestrā salutē operamini: deus est enim qui operatur in uo
 bis & uelle & perficere pro bona uoluntate. Item in prima ad Thessalonicēses docet ex
 deo esse principium & profectum consummationemq; uirtutū, dicēs: Ipse autē deus, &
 pater noster, & dominus Iesu dirigat uiam nostram ad uos: uos autē dominus multipli
 cet & abundare faciat charitatem in inuicem & in omnes, quemadmodū, & nos in uos,
 ad cōfirmanda corda uestra sine querela in sanctitate uitæ ante deū & patrē nostrum in
 aduētū domini nostri Iesu Christi, cum omnibus sanctis eius. Ad Corinthios quoq; scri
 bens, & omnium uirtutum proficientem perseverantiā dei donum esse commendans:
1. Corin. 1 Gratias, inquit, ago deo meo semper pro uobis in gratia dei quæ data est uobis in Chri
 sto Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni uerbo & sapientia, sicut testi
 monium Christi cōfirmatum est in uobis, ita ut nihil uobis desit in ulla gratia, expectan
 tibus reuelationem domini Iesu Christi: qui & confirmabit uos usq; ad finem sine crimi
 ne, in diem aduentus domini nostri Iesu Christi. Item ad Romanos de charitate Christi,
 qua eos quos diligit inseparabiles facit, id est, usq; in finem perseverātes: (nam quid est
 aliud perseverare, q̄ tentatione nō uincit?) Quis nos, inquit, separabit à charitate Chri
 sti? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculū, an gladius:
 sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, existimati sumus sicut oues oc
 cisionis. Sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Item ad Corinthios de
 uictoria quam perficit Christus: Stimulus, inquit, mortis peccatum est: uirtus uerò pec
 cati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis uictoriā per Iesum Christum dominū no
 strum. Item ad Thessalonicenses de perseverantiā quā deus tribuit: Ipse autem, ait, deus
 pacis sanctificet uos per omnia, ut integer spiritus uester & anima & corpus sine quere
 la aduentum domini nostri Iesu Christi seruetur. Fidelis est qui uocauit uos, qui etiam fa
 ciet. Item ad Thessalonicenses, quod omnia bona nostra siue in loquendo, & in eis per
 seuerantia, dona sint dei, ita prædicat dicens: Ipse autē dominus noster Iesus Christus, &
 deus & pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationē eternā, et spem bonam in gra
 tia, exhortetur corda uestra, & confirmet in omni opere & sermone bono. De cætero
 fratres orate pro nobis, ut sermo domini currat, & clarificetur, sicut & apud uos, & ut li
 beremur ab importunis hominibus & malis. Non enim omnium est fides. Fidelis au
 tem deus est, qui & confirmabit nos, & custodiet à malo. Petrus quoq; Apostolus unde
 esse uirtutem perseverantiæ, doceat, audiamus: Deus autē, inquit, omnis gratiæ, qui uo
 cauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos, ipse perficiet, con
 firmabit solidabitq; cui est uirtus & potestas in secula seculorum. Ioannes uerò Apосто
 lus quod uictoria sanctorum opus dei sit habitantis in sanctis, ita loquitur: Vos ex deo
 estis filioli, & uicistis mundū: quoniā maior est qui in uobis est, quā qui in mūdo. Item
 idem: omne quod natū est ex deo, uincit mundum, & hæc est uictoria quæ uincit mun
 dum, fides nostra. In Euangelio autē secundū Lucam, deum dare ut in fide perseveretur,
 ita promittitur: Dixit autē Iesus Petro: Simon, Simon, ecce Satanās postulauit, ut uos cer
 neret sicut triticum. Ego autē rogauī pro te Petre, ne deficiat fides tua: & tu conuersus,
 confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationē. In Euangelio quoq; Ioannis, de
 ouibus Christi quæ de manu ipsius à nullo rapiunt, hæc legimus dicere ueritatē: Sed uos
 non creditis, quia non estis de ouibus meis. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego no
 ui illas, & sequuntur me, & uitam æternam do illis, & non peribunt in eternum, nec quis
 quam rapiet eas de manu mea. Item in eodem Euangelio, de ijs quos pater dat filio, qui
 & omnes ueniunt ad filium, & quorū nullus perit, hæc ipsius domini ore dicuntur: Om
 ne quod dat mihi pater, uenit ad me, & eum qui uenit ad me, non eiciam foras: quia de
 scendi de cælo, non ut faciam uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me pa
 tris: ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in no
 uissimo die. Multa sunt alia in canonicarum, quæ uitandę prolixitatis studio præterimus:
 quoniam quæ assumpsimus, nec pauca sunt, nec obscura, nec leuia: quibus plenissime
 declaratur,

declaratur, omnia quæ ad promerendam uitam æternam pertinent, sine gratia dei nec inchoari, nec augeri posse, nec perfici, & contra omnem electionem de libero arbitrio gloriantem, illam inuictissime reniti sententiam dicentis Apostoli: Quis enim te discer nit: Quid autem habes quod nõ accepisti: Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis: Igitur profunditas illius quæstionis quam secundum admirationem Apo stoli impenetrabilem cõfitemur, per liberi arbitrij uelle & nolle non soluitur: quia licet in sit homini bonum nolle, tamen nisi donatum non habet bonum uelle, & illud contra xit natura per culpã, hoc recipit natura per gratiam. Sed quid illud sit, quod hæc eadem natura in omnibus hominibus ante reconciliationem mala, in omnibus misera, non in omnibus iustificatur, & à pereuntibus quadam sui parte discernitur ab eo qui uenit quæ rere & saluare quod perierat, humano sensu prorsus nõ potest indagari. Quantumlibet enim impiorum malignitas accusetur resistens gratiæ dei, nunquid probabuntur eam, quibus est collata, meruisse: aut illa uirtus gratiæ quæ sibi quos uoluit subdidit, conuer tere eos qui inconuertibiles permãserunt, non potuit: Tales fuerunt qui sunt attracti, qua les ij qui in sua duritiã sunt relictii. Sed illis tribuit gratia stupenda quod uoluit, istis retri buit ueritas iusta quod debuit: ut iudicium dei magis inscrutabile sit in electione gratiæ, quam in retributione iustitiæ. Veruntamẽ ne illa pars fidei qua pie credimus deum uel le ut omnes homines ueritatis agnitione saluentur, per hoc quod de effectibus gratiæ euidenter ostenditur, infirmata uideatur, annitendum est auxiliante Christo ut nobis stabilitas huius definitionis appareat. Sed quia necessaria inquisitionis negocium non leuem operam sibi poscit impendi, secuturam disputationem ab exordio alterius uo luminis inchoemus.

1. Corin. 4

Luc. 19

FINIS LIBRI PRIMI.

CAPITVLA LIBRI II. DE VOCATIONE
OMNIVM GENTIVM.

Quod tria sint quibus in quæstione superius disputata inhæreri debeat, quodq; deus ius tus sit ordinator, & quemadmodum secundum ea quæ prædicatoribus à domino ius sa sunt, nullarum nationũ facta sit discretio, nemoq; sit exceptus, sed ad omnes homi nes missum sit Euangelium, et gratia salutaris dei omnibus hominibus apparuerit. Et de mysterio eius quod dictum fuit Apostolis: In uiam gentium ne abieritis; &c. ac de occultis dei iudicijs in hominum uocatione. Cap. I

Quod ipsam cognitionem ueritatis & perceptionem salutis nõ quisquam suis meritis, sed ope & opera diuinæ gratiæ perueniat. Cap. II

De consideratione differentiarum quibus diuinæ gratiæ opera & dona uariata sunt. Caput III

Quod auersio à deo non sit diuinæ constitutionis, sed propriæ uoluntatis. Cap. IIII

Quod etiam ante aduentum Christi nationes quæ alienatæ à conuersatione Israel spem non habebant, ob hoc non sint excusabiles. Et quomodo propter persecutiones bo norum Christus populum suum auxerit. Cap. V

Quod Christus pro omnibus impijs & peccatoribus mortuus fuerit. Cap. VI

Quomodo mysterium Vocationis Gentium prophetis fuerit cognitum & Apostolis. Caput VII

Quare tanta multitudo nõ reparatorũ infantium à perpetua alienetur salute. Ca. VIII

Quomodo gratia tanquam famulam & receptricem donorum suorum præparet uo luntatem. Cap. IX

De recapitulatione in hoc secundo libro definitorum, & operis conclusione, quemad modum uidelicet deus omnes homines uelit saluos fieri. Cap. X

D I V I

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIO-

LANENSIS DE VOCATIONE OMNIUM GEN-
TIVM, LIBER SECVNDVS.

Quòd tria sint quibus in quæstione superius disputata inhærerè debeat, quodq; deus iustus sit ordinator, & quemadmodum secundum ea quæ prædicatoribus à domino iussa sunt, nullarum nationum facta sit discretio, nemoq; sit exceptus, sed ad omnes homines missum sit Euangelium, & gratia salutaris dei omnibus hominibus apparuerit. Et de mysterio eius quod dictū fuit Apostolis: In uiam Gentium ne abieritis, &c. ac de occultis dei iudicijs in hominum uocatione. Cap. I



Emotis abdicatisq; omnibus concertationibus quas intemperantium disputationum gignit animositas, tria esse perspicuum est, quibus in hac quæstione de qua Secundum uolumen incipimus, debeat inhærerè. Vnum quod profitendum est, deum uelle omnes homines saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire: Alterū, quod dubitandum non est, ad ipsam cognitionem ueritatis, & perceptionem salutis, non suis

quenquam meritis, sed ope atq; opere diuinæ gratiæ peruenire: Tertium, quod confitendum est, altitudinem iudiciorum dei, humanæ intelligentiæ penetrabilem esse non posse: & cur non omnes saluet, qui omnes uult saluos fieri, non oportere disquiri: quoniam si quod cognosci non potest, non quaratur inter primam ac secundam definitionem, non remanebit causa certaminis, sed secuta ac tranquilla fide utrumque prædicabitur,

Rom. 9

utrumque credetur. Deus quippe apud quem non est iniquitas, & cuius uniuersæ uicæ misericordia & ueritas, omnium hominum bonus conditor, iustus est ordinator, neminem indebitè damnans, neminem debite liberans, nostra plectens cum punit noxios:

Psal. 62

Psal. 50

sua tribuens cum facit iustos: ut obstruatur os loquentium iniqua, & iustificetur deus in sermonibus suis, & uincat cum iudicatur. Nec dānati iusta querimonia, nec iustificati uerax est arrogantia: si uel ille dicat non meruisse se pœnam, uel iste asserat meruisse se gratiam. Sicut autem ea quæ ad manifestationem gratiæ ex diuinis proferuntur eloquijs, nulla possunt ratione, differendi arte uiolari, ut perspicue consonantesq; in tanta numerositate sententiæ ad aliquod prauæ interpretationis trahantur incertum: ita etiam quod de

saluatione omnium hominum in eodem scripturarū corpore reperitur, nulla contraria argumentatione temerandum est, ut quanto hoc ipsum difficiliore intellectu capitur, tanto fide laudabiliore credat. Magna enim fortitudo est consensionis, cui ad sequendā ueritatem auctoritas sufficit etiā latente ratione. Proinde uigilanter cōsideremus, præ-

Matth. 28

dicatoribus Euangelij quid à domino iubeatur. Secundum Matthæum quippe sic ait: Data est mihi potestas omnis in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docetes eos seruare omnia quæcunq; mandauit uobis: et, Ecce uobiscum sum omnibus diebus usq; ad cōsummationem

Mar. 16

seculi. Secundum Marcum uerò eisdem Apostolis ita dicitur: Ite in orbem uniuersum, prædicate Euangelium uniuersæ creature: & qui crediderit, & baptizatus fuerit, ipse saluus fiet: qui uerò nō crediderit, damnabit. Nunquid hac præceptione ullarū nationū ullorūue hominum facta discretio est? Neminem merito excepit, neminē separauit genere, neminem conditione distinxit. Ad omnes prorsus homines missum est Euangelij

Matth. 28

crucis Christi: & ne prædicantium ministeria humano tantū uiderentur opere peragenda: Ecce ego, inquit, uobiscum sum omnibus diebus usq; ad cōsummationem seculi. Id est cum sicut oues introieritis in medium luporum, nolite de uestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, qui uos usq; ad cōsummationem seculi in hoc opere

Matth. 3

ut nulla sæuientium crudelitate superemini. In mea enim potestate prædicabitis, & per me fiet, ut inter contradicentes, inter furentes, Abrahæ filij de lapidibus suscitentur. Ego insinuabo quod docui, ego faciam quod promisi. Tradent enim uos in concilijs, in synagogis suis flagellabunt uos, & ante reges & præsidēs stabitis propter me in testimonium

illis &

illis & gentibus. Cum autem tradēt uos nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. *Matth. 10*
 Nō enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Tradet enim frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parētes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomē meū. Qui autē perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Apparuit ergo (ut Apostolus ait) gratia salutaris dei omnibus hominibus, & tamen ministri gratiæ odio erant omnibus hominibus. & cum alij essent qui oderant, alij qui odijs persequentium premebantur: neutra tamen pars nuncupatione omnium hominum priuabatur: habente quidem salutis suæ damnum rebellium portione, sed obtinente plenitudinis censum fidelium dignitate. Dicit enim Ioannes *1. Ioan. 2*
 Apostolus: Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrē Iesum Christū iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantū, sed etiam pro totius mundi. Magni autem & inenarrabilis sacramenti mysterium est, quod prædicatoribus quibus dictum est: Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium uniuersæ creaturæ: iisdem prius dictum fuerat: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne introieritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel. Quamuis enim ad omnium hominum uocationem Euangelium dirigeret, omnesq; dominus saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uellet uenire, non tamen sibi dispensationū suarū abstulerat potestatem, ut aliter quàm occulto iustiq; iudicio statuerat, consilij sui ordo decurreret. Vnde locum non habent contumacium murmura querelarum, quia quod deus fieri uoluit, constat non aliter fieri debuisse quàm uoluit. Posteriore uerò tempore cum iam dominus Iesus in dei patris gloria cōsederet, & prædicatores uerbi suscepto ne gocio deseruirent, uolentes Apostoli euangelizare uerbū in Asia, uetiti sunt ab spiritu sancto, & disponentes ire in Bithyniam, prohibiti sunt ab spiritu Iesu: non utiq; negata illis populis gratia, sed quantū apparuit retardata. Nā postea etiā apud ipsos fides Christiana conualuit. Quæ autem fuerit differendæ uocationis causa, non claret, & tamen rei gestæ docemur exēplo, quod inter generalia uel promissa, uel opera, uel præcepta, quedam deus à communibus excepta causis occultiore nouit ordinare ratione, credo ut interpositis quibusdā obumbrationibus ea quæ secretius micant, mirabilius innotescant, negligentior fiat acies de facilitate cernendā, & quodammodo dormitet assuetis, si non excitetur insolitis. Has autem incognoscibiles illuminationū dilatiōes, inter quas utiq; multi in infidelitate deficiunt, non solum in populis remotioribus impiorum, sed etiam in ciuitatibus fidelium per plurimas domos ac familias nouimus fieri, dum Christianæ fidei etiam qui Christiani futuri sunt aduersantur. Multi enim quod oderunt, amabunt: quod non recipiunt, prædicabunt. Et quis inter hæc querulis aut curiosis notum faciet, cur adhuc sol iustitiæ quibusdam gentibus non oriatur, & à tenebrosis cordibus etiam nunc radios suos ueritas reuelanda cōtineat? Cur corrigendū tam diu sinantur errare, & quod senibus in fine præstandū est, per tam longam nō tribuatur ætatem? Cur filijs iam in Christum credentibus necdum credant parentes? Et rursum à religiosis parētibus soboles praua discordet? Cum tamē deo, qui inceptorum fidei incrementiq; largitor est, secundum ipsius præceptū quotidie pro omnibus supplicetur: ut & si exaudit, nota sit gratia miserationis: & si non exaudit, intelligatur iudiciū ueritatis. Sed ne in præteritis quidem seculis hæc eadem gratia, quæ post domini nostri Iesu Christi resurrectionem ubique diffusa est, & de qua scriptū est, Illuxerunt coruscationes tuæ orbī terræ, defuit munitum, omnesq; aliæ nationes suas uias ingredi, hoc est secundū propriam permissa sint uiuere uoluntatem, non ita se tamē æterna creatoris bonitas ab illis hominibus auertit, ut eos ad cognoscendum se atq; metuendum nullis significationibus admoneret. Cœlū quippe ac terra & mare, omnisq; creatura quæ uideri atq; intelligi potest, ad hanc præcipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimētis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur authoris, implente omnia spiritu dei, in quo uiuimus, mouemur, & sumus: quoniā & si lōge est à peccatoribus salus, præsentia tamē salutis ipsius ac uirtute nihil uacuum est. Igitur sicut dicit Propheta: Misericordia domini plena est terra: quæ nullis unquam seculis, nullis generationibus defuit, eamque prouidentiam qua uniuersi-

*Matth. 10**Titum. 2**1. Ioan. 2**Mar. 16**Matth. 10**1. Timo. 2**Acto. 16**Malach. 4**Psal. 76**Actu. 17**Psal. 118*

uniuersitatem rerum administrat & continet, regendis alendisq; naturis semper impendit, dispositum habens ex incommutabilis aeternitate consilij, quibus quidq; temporibus distribueret, & multiformis gratiae suae inscrutabiles inuestigabilesq; mensuras, per quae dona ac sacramenta uariaret. Sicut enim ista gratiae largitas quae in omnes gentes nouissime effluxit, non euacuat eam quae super unum Israel sub lege rorauit, nec praesentes diuitiae fidem praeteritae abrogant parcitati: ita nec de illa cura dei, quae Patriarcharum filiis proprie praesidebat, conueniendum est gubernacula diuinae misericordiae caeteris hominibus fuisse subtrahenda, qui quidem in comparatione electorum uidentur abiecti, sed nunquam sunt manifestis occultisque beneficijs abdicati. Legimus enim in Actibus Apostolorum Paulum & Barnabam Apostolos Lycaonijs dicere: Viri, quid haec facitis? Et nos mortales sumus, similes uobis homines, annunciantes uobis ab his uanis conuerti ad deum uiuum, qui fecit caelum & terram, & mare, & omnia, quae in eis sunt: qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi uias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens, de caelo das pluias & tempora fructifera, impletis cibo & iactitia corda uestra. Quod est autem hoc testimonium quod semper domino deseruiuit, & nunquam de eius bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues & ordinata largitio, per quae humanis cordibus quaedam aeternae legis tabulae praebentur, ut in paginis elementorum, ac uoluminibus temporum, communis & publica diuinae institutionis doctrina legeretur? Caelum ergo, cunctaque caelestia, mare & terra, omniaque quae in eis sunt, consono speciei suae ordinationisque concentu protestabantur gloriam dei, & praedicatione perpetua maiestatem sui loquebantur authoris. Et tamen maximus numerus hominum qui uias uoluntatis suae ambulare permissus est, non intellexit, nec secutus hanc legem est, & odor uitae qui spirabat ad uitam, factus est ei odor mortis ad mortem: ut etiam in illis uisibilibus testimonijs discerneretur quod littera occideret, spiritus autem uiuificaret.

2. Corin. 2
ibidem. 3

Quod ad ipsam cognitionem ueritatis, & perceptionem salutis non quisquam suis meritis, sed ope & opera diuinae gratiae perueniat.

Cap. II

Quod ergo in Israel per constitutionem legis & prophetica eloquia gerebatur, hoc in uniuersis nationibus, totius creaturae testimonia & bonitatis dei miracula semper egerunt. Sed cum in illo populo cui utraq; eruditio praesuit nemo nisi gratia iustificatus sit per spiritum fidei, quis ambigat eos qui de quibuscunq; nationibus quibuslibet temporibus deo placere potuerunt, spiritu gratiae dei fuisse discretos? Quae etsi parciore antea atq; occultiore fuit, nullis tamen saeculis se negauit, uirtute una, quantitate diuersa, consilio incommutabili, opere multiformi. Nam & in istis diebus quibus totum mundum ineffabilium donorum flumina rigant, non idem modus omnibus, nec eadem mensura conferunt. Quamuis enim per ministros uerbi et gratiae dei eadem cunctis ueritas praedicetur, eadem cohortatio adhibeatur, dei tamen agricultura est, dei aedificatio, cuius uirtus inuisibiliter agit, ut incremento proficiat quod edificatur aut colitur: sicut attestatur Paulus Apostolus, dicens: Quid igitur est Apollo? quid uero Paulus? Ministri eius cui credidistis, unicuique sicut dominus dedit. Ego Platanus, Apollo rigauit, sed deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, deus. Qui plantat autem, & qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adiutores, dei agricultura estis, dei aedificatio estis. Agriculturae ergo huius atq; aedificationis in tantum quisque adiutor & operarius ac minister est, in quantum unicuique dominus dederit. Et isti qui ministrorum labore excoluntur, ad eum proficiunt modum ad quem illos incrementi author eueixerit. In agro enim domini non uniformis nec una plantatio est. Et quamuis in unum decorem totius templi structura conueniat, non idem tamen locus est, nec idem usus omnium lapidum: sicut & in uno corpore non omnia membra eundem actum habent, dicente Apostolo: Nunc autem posuit deus membra, et unum quodque eorum sicut uoluit. Haec uero membra unde apta, unde utilia, unde sint pulchra, idem doctor exponit, dicens: Ideo notum uobis facio quod nemo in spiritu dei loquens dicit anathema Iesu: & nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Diuisiones uero gratiarum

1. Cor. 3

1. Cor. 12

rum sunt, idem autē spiritus: & diuisiones ministracionū sunt, idē autē dominus: & diuisiones operationum sunt, idem uerò deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alij sermo scientiae secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij operatio uirtutū, alij prophetatio, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum: hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Hæc magistro Gentium tanta luce, tanta euidentia prædicante, qua ratione, quia causa dubitandum est, an omnium nobis uirtutum germen ex deo sit: uel quis nisi insipientissimus de differentia diuinorum munerum conqueratur, aut imparibus ascribendum meritis arbitretur, quod non æqualiter de superna liberalitate confertur? Si enim hæc distributio secundum præcedentium operum merita proueniret, non ipsorum donorum catalogū tali cōclusionē Apostolus terminaret, ut diceret: Hæc autē omnia operatur unus atque idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Vbi utique si meritorum causas uoluisset intelligi, diceret: Diuidens singulis prout merentur: sicut plantatoribus aut rigatoribus præmium deuotionis spondit, dicens: Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Datur ergo unicuique sine merito unde tendat ad meritum, & datur ante ullum laborem meritū, unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem. Quod ita esse etiam Euangelicæ ueritatis testimonio agnoscitur, ubi per comparationem dicitur, quod homo peregre proficiscens uocauit seruos, & tradidit illis substantiā suam: & uni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij uerò unum, unicuique secundum propriam uirtutem, id est, secundum propriam & naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum: quia aliud est posse operari, aliud operari: & aliud est posse habere charitatem, aliud habere charitatem: & aliud est capacem esse continentiae, iustitiae, sapientiae, aliud uerò esse continentē, iustū, atque sapientē. Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est, quia reparabilem & sanabilem esse, de natura est: reparatum autem & sanatum esse, de gratia est. Denique isti quibus secundum modulum capacitatis suae, quem in eis distributor substantiæ præuidebat, dispar creditus est numerus talentorum: non meriti remunerationem, sed operis acceperunt materiam. In qua duorum seruorum uigilantissima industria non solum gloriosis laudibus honestatur, sed etiam in æterna domini sui gaudia intrare præcipitur. Tertij uerò pigrum ocium, & desidiosa nequitia sic punitur: ut & uituperationis dedecoretur opprobrium, & portione quam acceperat, exuatur. Dignus enim erat perdere inutilem fidem, qui non exercuerat charitatem. Vnde & in subsequenti sermone quo apertissime declaratur futuri forma iudicij, sedente filio hominis in sede maiestatis suae, antequam facta cōgregatione omnium Gentium alij ducuntur ad dexteram, alij ad sinistram constituendi: laudatis dextris de operibus charitatis, nihil aliud sinistris obijcitur, quam misericordiae beneuolentiaeque neglectus. Acceperant ergo etiam isti fidem; sed non sectati fuerant dilectionē: nec de non seruato, sed de non aucto munere damnabuntur. Quamuis enim omnia bona, dona sint dei, à deo tamen quaedam etiam non petita tribuuntur, ut per ipsa quae accepta sunt, ea quae nondum sunt donata, quaerantur. Semper quippe quod iacitur in terram, non ob hoc seritur, ut ipsum solum maneat, sed ut fructum afferendo, multiplex atque numerosum sit. Cui quidem profectus ab illo est qui dat incrementum: sed terra uiuens, & de gratiae iam imbre foecunda, habet quod ab ipsa expectetur ad id quod accepit, augendum.

1. Corin. 3

Math. 25

Rom. 11

De cōsideratione differentiarū quibus diuinae gratiae opera & dona uariata sunt. Ca. III
 Is recte (ut arbitror) quantum dominus tribuit pertractatis, ad id unde digressa est disputatio, reuertamur: ad considerationem scilicet differentiarum quibus diuinae gratiae opera ac dona uariata sunt. Altitudo quippe diuinarum sapientiae & scientiae dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles uiae, sic semper misericordiam suam & iudicium temperauit, ut secretissima aeterni consilij uoluntate noluerit in omnibus super omnes generationes aut super omnes homines, equalis donorum suorum esse mensuras. Siquidem aliter eos iuuerit, quos ad cognoscendum se, caeli & terrae testimonijs conueniebat: aliter illos quibus non solum elementorum famulatu, sed etiam doctrina Legis, Prophetarū oraculis, miraculorū signis & angelorum

cooperationibus confulebat. Et multo magis aliter misericordiam suam uniuersis hominibus declarauerit, quando filius dei factus est filius hominis, ut inueniretur ab eis, qui eum non querebant, & appareret ijs qui illum non interrogabant, & non in uno tantum populo Israeliticae stirpis excelleret, sed in omni gente quae est sub coelo, multiplicatum Abrahamae semen oriretur, in qua haeredum successionem non filij carnis, sed filij promissionis intrarent. Et quanta in preteritis seculis super caeteras nationes, tanta nunc esset in gente Iudea parcitas gratiae: cum tamen introducta plenitudine Gentium, etiam ipsorum ariditati earundem rigationum inundatio spondeatur. Quae itaque causae sint harum sub eadem gratia dissimilitudinum, quae uel rationes, sanctis scripturis non loquentibus, quis loquetur? Et cum in eis scientia Pauli apostoli a disputatione transeat ad stuporem: cuius erit tanta praesumptio, qui haec differendo, existimet aperienda potius quam silentio miranda. Patienter igitur & aequanimiter ignoretur tam remotum ab humana cogitatione secretum: nec tamen quia nequeunt clausa penetrari, ideo etiam resecretor est praetereundus introitus. Manifestauerunt enim diuinorum eloquiorum multae auctoritates, & continua omnium seculorum experimenta docuerunt, iustam dei misericordiam, misericordemque iustitiam nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis iuuandisque eorum mentibus defuisse. Semper etenim pluit super bonos & malos, semper solem suum oriri fecit super iustos & iniustos, semper uirales auras praebuit, semper diei & noctis uicissitudines ministravit: ubertatem agris, multiplicationem seminibus, foecunditatem generandis hominibus semper impendit. Et si quando aliquid horum minuit, benignis correctionibus auersionem desidiamque male utentium castigauit, ut miserationes eius quaererent in aduersis, cuius iustitiam non timuerant in secundis. Denique si ad ipsa mundi exordia recurramus, inueniemus omnium sanctorum qui diluuium praecesserunt, dei spiritum fuisse rectorem, propter quod & filij dei nominati sunt: quoniam sicut ait Apostolus: Quicumque spiritu dei aguntur, hi filij sunt dei. Et cum iidem neglecta obseruantia patrum, illicitis se reprobis connubijs miscuissent, atque ob nephariam societatem digni exterminio iudicarentur, dominus ait: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam caro sunt. Unde apparet quod iste populus cuius generationes discreto ordine cum annorum numero digeruntur, spiritalis antea fuit, ea utique uoluntate cui spiritus sanctus praesidebat, sic impendens moderaminis sui regimen, ut declinandi ad uitia non adimeret potestatem, qua potestate hic populus si non uteretur, non relinqueret deum, nec relinqueretur a deo, essetque ille de quo dictum est: Felix qui potuit transgredi, & non est transgressus. Quam diu ergo apud deum mansit, ea uoluntate mansit, quam deus inspirauit & rexit. Praeparatur enim (sicut scriptum est) uoluntas a domino. Sed huius praeparationis non unus semper prouectus, nec una mensura est: quoniam multis modis & innumerabilibus differentijs gratiae opera & dona uariantur, inque ipsis singulis generibus munerum dissimiles sunt gradus, & impares quantitates. Sicut enim in germinibus herbarum atque lignorum quae terra producit, non una species, nec unum in omnibus genus est, sed singula quaeque in sui seminis forma, & in suae stirpis qualitate gignuntur: plenum autem decorum non statim ut eduntur accipiunt, sed certis & ordinatis prouehuntur augmentis, donec ad perfectam sui habitus quantitatem per succedentia sibi incrementa perueniant: ita & semina charissimum, plantaeque uirtutum non in omni agro cordis humani totum hoc pariter quod factio. Exerit quidem frequenter potens & misericors deus mirabiles istos suae operationis effectus, & quibusdam mentibus non expectata profectuum mora, totum simul quicquid collaturus est, inuehit. In Abrahamae lumbis Leui sanctificatur, & simul cum eo domus Aaron & sacerdotalis ordo benedicitur. In Isaac de repromissione concepto, & contra spem steriliu senum nato, omnium gentium uocatio, & tota Christi forma praecoditur. Iacob nullo merito suffragante dilectus priusquam nascatur eligitur. Hieremie dicitur: Priusquam te formarem in utero, noui te: & priusquam exires de uulua, sanctificaui te. Ioannes intra Elizabeth matris uiscera spiritu sancto repletus exultat, & ut nullus inter natos mulierum maior sit, prius sentit initia gratiae, quam naturae. Sed cum & alia similia documentorum exempla non desint, quae breuitatis studio praeterimus: multo tamen crebrior, multoque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quicquid superna largitas donat,

donat, accrescit, ut conferendorum munerum causæ de ijs quæ sunt collata, pariantur. Quidam accepta fide diffidentia non carent, quam utiq; inesse sibi nouerat qui dicebat: *Marc. 9*
Luc. 17 Credo domine, adiuua incredulitatē meam. Quam nec illi abesse penitus à suis animis sentiebant qui dixerūt: Domine auge nobis fidem. Quidam quod credunt, non intelligunt, & multi diu in suæ simplicitatis modulo detinentur. Multi uerò cito intellectus lumen accipiunt. Ipsa autem intelligentia non in omnibus eundem habet uigorem, aut similem facultatem. Et plurimi cum & fide & intellectu uideantur ornatī, laborant tamen indigentia charitatis: & ijs quæ fide & intellectu uident, nequeunt inharere: quoniā perferari in eo non potest, quod nō toto corde diligitur. Donū quoq; ipsius charitatis nō semper eiusmodi est: ut quicquid ad plenitudinē ipsius pertinet, simul à percipiente sumatur. Est enim amor qui potest alio amore superari. Et sepe dilectio dei ex mundi dilectione marcescit, nisi ad eum feruorē spiritu sancto inflānante profecerit, qui nullo extinguī frigore, nullo possit tepore languere. Cum itaq; in hoc inenarrabili dono dei omnium summa donorum, & quædam sit cunctarum uita uirtutum: ad hoc cætera conferuntur, ut habeat animæ fidelis intētio, per quæ ad perfectā charitatem possit eniti. Quæ quoniam non solum ex deo, sed etiam deus est, stabiles & perseverantes atq; insuperabiles facit quos flumine suæ uoluptatis impleuerit. Qui autem istarum aquarū dulcedinē nesciunt, adhuc de mundi huius torrentibus bibunt, aut etiam si aliquid primoribus labris de uitæ fonte gustauerunt, inebriari tamen atereo Babylonis calice delectantur: suos profusus decipiuntur arbitrio, sua uoluntate labuntur: & si in hac desidīa perseverant, ipsi se ijs quæ acceperē, dispoliant. Facile enim quælibet bona sine charitate possunt perire, quæ non possunt sine charitate prodesse.

Apoca. 16

Quod auersio à deo non sit diuinæ cōstitutionis, sed propriæ uoluntatis. Cap. III

Hæc autem summam breuiterq; perstricta ad id ualent, ut certissime nouerimus nullum fidelium à deo non discedentem relinqui, neq; cuiusquā ruinam ex diuina esse cōstitutione dispositam: sed multis qui iam iudicio rationis utuntur, ideo liberum esse discedere, ut non discessisse sit præmium: & ut quod non potest, nisi cooperante spiritu dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit uoluntate non fieri. Quæ uoluntas in malis actionibus sola esse potest, in bonis autem sola esse nō potest. Quamuis enim secundū naturā sit homini ut bonæ uoluntatis sit, uirtū tamen quod per malam uoluntatem irruit in naturam, non naturæ superatur uirtute, sed gratiā. Regebatur ergo primus ille populus dei spiritu dei, & à maledicti ac prædamnati populi societate ac moribus per eruditionē sancti spiritus abstinebat, custodiens discretionem sui à permixtione carnalium, quorum mala tam diu sustinuit patientia dei, quandiu boni per id quod eos nō imitabantur, placere potuerūt. Vbi uerò etiā boni malorum imitatione corrupti sunt, & per uoluntatis defectum in eādē nequitiam conspirauit uniuersitas: quos (excepta Noe domo) una impietas prophanauit, sentētia una deleuit. Bonitas autem dei ne illi quidem parti defuit, quæ in charitate non stetit, & ab initio sui ueneno diabolici liuoris intumuī. Principē enim gentis impiæ sancti fratris meritis inuidētē, eademq; eius parricidiali corde meditantem, dignatur dominus paterno mitigare consilio, dicens ad Cain: Vt quid tristis factus es? ut quid concidit uultus tuus? Nonne si recte offeras, recte autē non diuidas, peccasti: Quiesce. Ad te enim erit cōuersio eius, & tu dominaberis eius. Depone, inquit, ortam de inuidiæ emulatione tristitiā, & flammās odiij crudelis extingue. Nihil tibi Abel nocuit, nec mihi placendo te læsit: de spexi munera tua meo iudicio, nō illius uoto. Opus enim bonū negligenter egisti: recta fuisset oblatio tua, si fuisset recta discretio. Sciens cui offerres, scire debueras quid uoueres. Non dignè inter me & te diuisisti, quoniam tibi electiora seruasti. Tuus ergo hic error est, tuumq; peccatum. quiesce, & noli in insontem fratrem moueri, ad te potius tua culpa reuocetur. noli peccato regnū in te dare, sed tu potius in ipsum sume dominatū. Poenitendo enim nec in maius facinus progredieris, & ab eo in quo te doles displicuisse, mundaberis. Cum ergo talia ad Cain loqueretur deus, nūquid ambiguū est uoluisse eū, & quantū ad uedendi modum sufficiebat, egisse, ut Cain ab illo impietatis furore resipisceret: Sed malitia pertinax inde facta est inexcusabilior, unde debuit esse correctior. Et utiq; præsciebat deus ad quem finē insanientis esset progressura conceptio. Neq; ex eo

Gene. 6

Ibidem. 4

quod falli scientia diuina non poterat, necessitate peccandi urgebatur facinus uoluntatis: a cuius utiq; intentione atq; effectu potuit incolumitas Abel illæsa defendi, nisi placuisset deo cū magna laude patientiæ suæ, ut temporalis furor impij fieret perpetuus honor iusti. Posteris uerò istius fratricidæ, quāuis in progenitoris sui moribus uiuerēt, nunquam se diuinam bonitatem negasse quis non facile aduertat, si consideret quantum eis prodesse potuerit tam longa patientia dei, tam diues bonorū temporaliū copia, & multiplicatæ fœcunditatis tam numerosa propagatio: quæ beneficia licet obduratis nihil remedij & emendationis attulerint, probant tamen auersionem eorum nō diuinæ fuisse constitutionis, sed propriæ uoluntatis. In conseruatione autem Noe filiorumq; eius & nuruum, in quibus omnium Gentium seminarium disponebatur, quanta diuinæ gratiæ opera reuelata sint, sancta scriptura manifestat, dum in illa mirandæ capacitatis arca, uniuersi generis animalium quantū reparationis aderat, receptrice, congregatura ad se omne hominum genus Ecclesia figuratur, dum per lignum & aquā redemptio crucis Christi, & ablutio regenerationis aperitur, dum in ijs qui ex illa mūdi uastatione saluati sunt, omnium Gentium plenitudo benedicitur, dum donum fœcunditatis iteratur, & solo effu suffocatorum & sanguinis interdicto, libertas edēdi quod placuerit, augetur, salutisq; securitas in testimonio uersicoloris arcus, hoc est in signo multiformis gratiæ consecratur. Quæ utiq; mysteria atq; sacramenta non unius tantum familiæ paucissimos tunc homines, sed in ipsis omnes eorum posteros imbuebant, ut quod eruditioni impendebatur parentum, proficeret scientiæ filiorum. Iam uerò procurrente humanæ propagationis augmento, cū ipsa mortalium numerositas de suis multiplicationibus superbiret, & secundum elationis suæ altitudinē cœlo cuperet molem immodicæ instructionis inserere, quā mirabilis erga cohibendā hāc insolentiā fuit diuinæ censura iustitiæ: Quæ unam illorum populorum loquelam notis sibi inuicem significationibus consonantem septuaginta & duarum linguarum uarietate confudit: ut & inter dissonas uoces operantium pereunte concordia, insanæ molitionis machina solueretur, & habitando orbi terrarum daret incolas malæ congregationis opportuna dispersio. In isto autem opere prouidentia dei præordinabantur miracula gratiæ Christianæ, quæ omnem hanc dispersionem in illius ædificationis erat uocatura compagem, in qua omne genu flectitur deo, & omnis lingua confitetur, quoniam Iesus in gloria dei patris est. Hanc latitudinē gratiæ in plenitudine dispositorum temporū reuelandæ, facta ab Abrahamā promissio dei signis iam luculentioribus indicabat, quando duplex eius successio, filij scilicet carnis, & filij promissionis, multitudinē arenarum comparabatur & siderū, & uir senex per annosam uxoris sterilitatem ab spe iam prolis alienus, credebatur laudabili fide per germen unius filij, patrem futurū esse se mundi, prospiciens illū in semine suo, imò conspiciens, qui dixit: Abrahamā diem meum uidit, & gauisus est. Qua fide Abrahamā cū iustificaretur, nondum mandatum circūcisionis acceperat, sed cū esset in præputio naturali, reputata est fides eius ad iustitiam, & eadem fides signaculū circūcisionis acceperat in eo corporis membro, per quod semen procreationis peruenturum erat ad eam carnem, in qua sine carnali semine dei filius deus uerbum caro fieret, ac de Abrahamæ filia Mariā uirgine nasceretur assumptis omnibus in huius natiuitatis consortium, qui in Christo per spiritum sanctum regenerati, quod Abraham credidit, credidissent.

Quod etiā ante aduentū Christi nationes quæ alienatæ à conuersatione Israel, spem non habebant, ob hoc non sint excusabiles. Et quomodo propter persecutiones bonorum Christus populum suum auxerit.

Gene. 12 H Acc autem fides antequam ueniret, hoc semen de quo Abrahamā dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes terre: intra unius stirpis populum cōtinebatur, uigente apud ueros Israelitas spe redemptionis nostræ, quoniā et si fuerūt ex alienigenis quos temporibus legis ueritas illustrare dignata sit, tamē tā pauci fuerunt, ut uix recognoscant an fuerint. Neq; ob hoc excusabiles sint nationes, quæ alienatæ à conuersatione Israel, spem non habentes, & sine deo in hoc mundo sub ignorantia tenebris perierūt: quia hæc abundantia gratiæ quæ nūc uniuersum mundū rigat, pari antea largitate non fluxit. Adhibita enim semper est uniuersis hominibus quædā supernæ mensura doctrinæ: quæ et si parciore occultiorisq; gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut dominus

dominus iudicauit, quibusdā ad remedium, omnibus ad testimonium; ut non dubiē, sed euidēter appareat, quod nisi ubi abundauit peccatū, superabundaret gratia, nūc quoq; uniuersum genus humanum similis obcæcaret impietas. An forte (ut pleriq; garrunt) meliora, quam ueterū ingenia nostris seculis orta sunt, & aptiores diuinis donis animas tempora extrema pepererunt? Quod etiā si ita esset, ad bonitatem id referendū esset authoris, qui uocandis ad uitam æternam populis, ea quæ nō reniterentur, corda sinxisset. Sed nihil prorsus nouatum est in generatione carnali, nec generosior auis minorū orta successio est, cum potius in hominibus illius temporis quo mundi redemptor aduenit, quanto erat propago tardior, tanto sit iniquitas inuenta robustior. Probauit hoc Iudaici furoris impietas: & quam apta Euāgelio Christi fuerit illa generatio, nō solū populū, sed etiam scribarum, & principū, ac sacerdotū corda docuerunt: quibus parum fuit in agnū dei tollentem peccatum mundi, contra testificationem legis, contra oracula prophetarum, contra diuinarum experimenta uirtutū, seditionibus, contumelijs, sputis, alapis, colaphis, lapidibus, flagris, & ad postremum crucis atrocitate sæuisse, nisi etiā testes refectionis eius eadē persequerentur insania: quā Apostoli quando à pontificibus flagellati sunt, ostenderunt in psalmo Dauidico prophetatā, dicētes: Domine, tu es qui fecisti cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: qui spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populū meditati sunt inania: astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus dominū, & aduersus Christum eius: Conuenerunt enim uerē in ciuitate ista aduersus sanctū filiū tuū Iesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consiliū decreuerunt fieri. Igitur ad manifestandam gratiam dei, quæ ex æterno eius incommutabiliq; consilio in salutem omnium Gentium disponebatur, non priora quasi incapacia declinata sunt tēpora, sed ista electa, quæ tales populos ediderunt, quorum ferox & uoluntaria iniquitas non consulendi affectu, sed intentione sæuendi peristeret facere quæ manus dei & consiliū decreuerunt fieri, ut mirabilior esset gratia & potentia dei, quæ de tam duris animis, tā tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus fecit sibi populū fidelē, subditū, sanctum: qui non per sapientiā huius mundi peruenit ad lumē sapientiæ dei, sed per illius donū de quo testatur Ioannes apostolus, dicēs: Scimus quia filius dei uenit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus uerū deum, & simus in uero filio eius. Cui testimonio apostolus Paulus consonat, dicens: Gratias agentes patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris, & de potestate tenebrarum, & transtulit in regnū filij dilectionis suæ. Et iterū idem: Eramus enim, inquit, aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs & uoluptatibus uarijs, in malitiā & inuidiā agentes, odibiles, odientes inuicem. Cum autē benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundū suam misericordiā saluos nos fecit per lauacrū regenerationis spiritus sancti, quē effudit in nos abundē per Iesum Christum saluatorem nostrum ut iustificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem uitæ æternæ. Potuit ne plenius, luculentius, uerius explicari, quæ merita hominū Christus inuenerit, & quos sibi mores subiicerit, quæ ad se corda cōuerterit, quando uenit mederi nō sanis, sed male habentibus, & uocare nō iustos sed peccatores: quoniā Gentium populū qui sedebat in tenebris, lucē uidit magnā & sedentibus in tenebris & umbra mortis, lux orta est illis: Fremebāt gentes, irascebantur populū, sæuiebant reges, & potestates cōtradicebant, superstitiones & totius mundi reluctabantur errores. Sed de resistentibus, furentibus, persequētibus, populū suū Christus augebat, & per uincula ac supplicia mortēsq; sanctorū roborabatur fides, uincebat ueritas, perq; uniuersum mundum dominici agri segetis multiplicabatur ubertas. Tanta enim desuper præbebatur cōstantia fidei, fiducia spei, fortitudo tolerantiæ, ut ille ignis dilectionis, quē in cordibus fidelium spiritus sanctus accēderat, nullo modo ab opprimentibus posset extingui: cum & qui cruciabantur, uehementius inardescerent: & qui seuebant, eandē quam persequiebantur, flammā sæpe cōciperent, qua beatus apostolus Paulus ignitus fidenter feruenterq; dicebat: Iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad dominū nostrū Iesum Christū, per quē & accessum habemus fide in gratiā istam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum dei, non solū autē, sed & gloriamur in tribu-

Roma. 5

Ioan. 1

Act. 4

1. Ioan. 5

Colos. 1

Titim. 1

Matth. 9

Esa. 9

Rom. 5

lationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio uero spem, spes autem non confundit, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Et iterum: Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die, existimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate dei quae est in Christo Iesu domino nostro. Haec charitas diffusa per spiritum sanctum fecit, ut mundus fidelium mundum uinceret impiorum. Haec Neronis crudelitatem, Domitiani furorem, multorumque post eos principum glorioso innumerabilium martyrum sine confudit, donante Christo imitatoribus suis de persecutionibus regum, aeternarum stemmata coronarum.

Quod Christus pro omnibus impijs & peccatoribus mortuus fuerit. Cap. vi

Nulla igitur ratio dubitandi est Iesum Christum dominum nostrum pro impijs & peccatoribus mortuum, a quorum numero liber inuentus est. Nonne est pro omnibus mortuus Christus? Sed prorsus pro omnibus mortuus est Christus. Nemo ergo omnium hominum ante reconciliationem, quae per Christi sanguinem facta est, non aut peccator aut impius fuit, dicente Apostolo: Si enim Christus cum adhuc infirmi essemus, iuxta tempus pro impijs mortuus est: uix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori: commendat autem suam charitatem deus in nobis, quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis iustificati sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filii eius, multo magis reconciliati salui erimus in uita ipsius. Idem autem Apostolus in secunda ad Corinthios ait: Charitas enim Christi urget nos iudicantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, ut & qui uiuunt, iam non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. De seipso uero quid pronunciet, audiamus: Fidelis, inquit, sermo & omni acceptione dignus, quia Christus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt illi in uitam aeternam. Siue ergo circumcisio, siue praeputium, peccato uniuersaliter concluderetur, unusque omnes reatus obstrinxerat, & inter magis minusque impios nemo erat qui posset absque Christi redemptione saluari: quae redemptio uniuerso se intulit mundo, & omnibus hominibus indifferenter innotuit: quando quidem in die quinquagesimo ab illo Pascha in quo se hostiam deo uetus agnus obtulerat, cum Apostoli & qui cum eis unanimes erant, repleti spiritu sancto linguis omnium Gentium loquerentur conueniebat excita miraculo diuersi generis hominum multitudo, ut Euangelium Christi in eis qui aderant, totus mundus audiret. Confluxerant autem (sicut scriptum est) Parthi & Medii, Elamitae, & qui inhabitant Mesopotamiam, Iudaeam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Libyae, quae est circa Cyrenen, & aduenae Romani, Iudaei quoque & Profelyti, Cretes & Arabes, audientes eorum linguis praedicari magnalia dei: quorum testificatio etiam in eas gentes quae remotiores sunt, longe lateque procurreret. Ad cuius rei effectum credimus providentia dei Romani regni latitudinem praeparatam, ut nationes uocandae ad unitatem corporis Christi, prius iure unius confociarentur impietatis: quamuis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere quos Roma, multosque iam populorum scepro crucis Christi illa subderint, quos armis suis ista non domuit. Quae tamen per Apostolici sacerdotij principatum amplior facta est arce religionis quam solio potestatis. Quod si forte, quemadmodum quaedam gentes, quod non uolunt, in confortium filiorum dei nouimus adoptatas, ita etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliqua nationes quibus nondum gratia saluatoris illuxit: non ambigimus etiam circa illas occulto iudicio dei tempus uocationis esse dispositum, quo euangelium quod nondum uiderunt, audiant atque suscipiant. Quibus tamen illa mensura generalis auxilij, quae desuper omnibus semper hominibus est praeparata.

est præbita, non negatur: quamuis tam acerbo natura humana vulnere fauciatâ sit, ut ad cognitionem dei neminem contemplatio spontanea plenè valeat erudire, nisi obumbrationem cordis uerâ lux discusserit, quam inscrutabili iudicio deus iustus & bonus non ita præteritis seculis quemadmodum in nouissimis diebus effudit. Vnde & beatus Apostolus Paulus scribens Colossensibus ait: *Mysterium quod absconditum fuit à seculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus uoluit deus honoras facere diuitias gloriæ sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in nobis.* Colof. 1

Quomodo mysterium uocationis Gentium prophetis fuerit cognitum &

Apostolis.

Cap. VII

N Vnquid hoc mysteriū etiā Prophetis incognitū fuit? & illi per quos spiritus sanctus loquebat, ea quorū ab ipsis fiebāt denunciationes, nesciebant? Non ita planè intelligendū puto, sed ipsis Gentibus absconditū fuisse mysterium, quod dominus quādo uoluit, & quibus uoluit reuelauit. Nā de uocatione Gentium quæ non erant populus dei, & quibus prius non misertus est, nunc autē miseret, in Deuteronomio ita dicitur: *Et uidit dominus, & zelauit, & iratus est propter iram filiorū suorū & filiarum, & dixit: Auertā faciem meā ab eis, & ostendā quid erit in nouissimo, quia generatio peruersa est filijs, in quibus non est fides in illis. Ipsi in zelū compulerūt me in hoc quod nō est deus, irritauerūt me in idolis suis, & ego in zelū incitabo eos in eis qui non erat gens, super gente insipiente irritabo eos.* Et Dauid hæc de adoraturis deū omnibus gentibus præcinit: *Omnes gentes quascunq; fecisti, uenient & adorabunt coram te domine, & glorificabunt nomen tuū. Et iterum idē: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Et iterū: Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Esaias quoq; similia annunciat, dicens: *Quoniā erit in nouissimis diebus manifestus mons domini, & domus dei in cacumine montiū, & exaltabitur super colles, & uenient ad eum omnes gentes. Et iterū idem: Et faciet, inquit, dominus sabaoth omnibus gentibus, in monte isto bibent in iucunditate uinū, ungentur unguenti to in monte isto, tradet hæc omnia gentibus, hoc enim consiliū super omnes gentes. Et iterum idem: Et reuelabit dominus brachiū suum sanctū in conspectu omniū gentiū, & uidebunt omnes gentes terræ salutē quæ à domino est. Et iterū: Ecce aduenæ ad te per me accedent, & ad te fugient. Et infra: Gentes quæ te non cognouerunt, inuocabunt te: & populi qui te nesciunt, ad te confugiēt. Osea quoq; paria prophetat, dicens: *Et erit in loco in quo dictum est eis: Non populus meus uos, ibi uocabunt filij dei uiui, & congregabuntur filij Iudæ, & filij Israel in idipsum. Et iterū: Miserebor non dilectæ, & dicā non populo meo: populus meus es tu. & ipse dicet: deus meus es tu. Sub Apostolis uerò cū ij qui in Christū ex circumcisione crediderāt, eos qui Gentiles erant, dicebanturq; preputium, iustificationū gratiæ arbitrarentur participes esse nō posse: docet beatus Apostolus Petrus quāmodò indiseretus apud deum uterq; sit populus, si in unitatē fidei ambo conuenerint. Cū autē, inquit, cœpisssem loqui, decidit spiritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio. Recordatus sum autē uerbi domini sicut dicebat: Ioānes quidē baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto. Si ergo eandem gratiā dedit illis deus sicut & nobis, qui credidimus in dominū Iesum Christū, ego quis eram qui possem prohibere deum? His auditis, tacuerūt, & glorificauerunt deum, dicentes: Ergo & Gentibus deus poenitentiam ad uitam dedit. Iacobus quoq; Apostolus de hac uocatione Gentium dicit: *Viri fratres audite me: Simon narrauit quemadmodū primum deus uisitauit sumere ex gentibus populum nomini suo, & huic concordāt uerba prophetarū, sicut scriptum est: Post hæc reuertar, & reedificabo tabernaculū Dauid, quod cecidit, & diruta eius ædificabo, & erigam illud, ut requirant ceteri hominū dominum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit dominus faciens hæc. notum à seculo est domino opus suum. Simeon quoq; ille cui responsum erat à spiritu sancto non eum uisurum mortem priusquā uideret Christū domini, de salute omniū Gentium quæ in Christo reuelabatur, hæc dixit: *Nunc dimitte seruum tuū domine, secundū uerbum tuum in pace: Quia uiderunt oculi mei salutare tuū, Quod parasti ante faciem omnium populorū, Lumē ad reuelationem gentium, & gloriā plebis tuæ Israel. His & alijs testimonijs scripturarum non dubiè demonstratur istam ditissimam, potentissimam, benignissimā gratiā qua in****

nouissimo mundi tempore omnes gētes in regnum Christi uocantur, prioribus seculis in occulto dei absconditam fuisse consilio. Et cur hac manifestatione qua nunc uniuersis nationibus innotescit, antea reuelata non fuerit, nullam posse scientiam comprehendere, nullam intelligentiam penetrare: cum tamen illud quod de bonitate dei piissime creditur, quia omnes homines uelit saluos fieri, & in agnitionē ueritatis uenire, nō oporteat nisi perpetuū æternūq; sentiri, secundū eas mēsuras quibus deus dona generalia specialibus nouit cumulare muneribus: ut & qui exortes gratiæ fuerint, de sua nequitia redarguantur: & qui eius lumine enituerint, non in suo merito, sed in domino glorient. In hoc sane angusto quidem, sed tamē recto intelligētīe tramite non parū difficultatis opponit consideratio paruulorum, qui nullo iudicio rationis utuntur, quo authoris sui beneficium sentientes, ad agnitionem ualeant ueritatis accedere, nec uidentur de neglectu opitulantis gratiæ iuste argui, in illa ignorantia naturaliter constituti, quam dubium non est nullam recipere scientiam, nullam sentire doctrinam.

Quare tanta multitudo non regenerantium a perpetua alienatur salute.

Cap. VIII

1. Timot. 2

Vnde cum omnes homines uelit deus saluos fieri, quid est quod alienatur a salute perpetua tanta infantium multitudo, totq; in his ætatibus hominū milia extra uitam relinquuntur æternam: quasi ad hoc tātum cōditi sint ab eo, qui neminem odiens creauit, ut quia in hunc mundū cum peccati carne uenerūt, insolubilis culpe uincula sine reatu propriæ actionis inciderent: quid hoc profundius, quid mirabilius esse potest? Neq; credi fas est, eos qui regenerationis nō adepti sunt sacramētum, ad ullū beatorū pertinere consortiū. Et magis stupendū, magisq; sit mirum, quod ubi actio nō offendit, ubi arbitriū non resistit, ubi eadē miseria, similis imbecillitas, causa communis est, non unū esse de tanta parilitate iudicium: & quales reprobatur abdicatio, tales adoptat electio. Veruntamē de hac altitudine discretionis dei non conturbabit cor nostrum, si firma & stabili fide omne iudiciū dei iustū esse credamus, nec appetamus habere cognitum, quod uoluit esse secretum: ut ubi inuestigari non potest quare ita iudicet, sufficiat scire quis iudicet. Quanquā non ita incognoscibilis ista sit quæstio, ut nihil sit quod de ea eruditionis possimus acquirere, si ad contemplandū id quod uideri potest, tranquillū sobriū cordis adhibeatur intuitus. Cum enim consideramus inter paganos, inter Iudæos, inter hæreticos, inter ipsos catholicos Christianos quā multiplex pereat numerus paruulorū, quos quantū ad proprias pertinet uoluntates, neq; bonū aliquid, neq; malū cōstat egisse: discimus super eos illā manere sententiā, quam humanū genus præuarricatione primū parentis excepit, cuius sententiæ rigor dum etiā circa tales non resoluitur, quā magnū illud peccatū fuerit demonstrat. Nemo autem putaretur nō innocens nasci, nisi etiā talibus esset noxiū nō renasci. De immaturitate uerò mortis non est ratio cōquerendi, cum semel in naturā nostrā per peccatū ingressa mortalitas obnoxii sibi omnē uitę nostrę fecerit diem. Esset enim, quoniā secundū aliquē modū immortalis dici homo posset, si esset tempus intra quod mori omnino non posset. Sed nunquā corruptio ita incorruptionis est particeps, ut non semper obnoxii sit defectiōni, quod debetur occasui. Vitæ huius principiū, mortis exordiū est: nec prius incipit augeri ætas nostra, quā minui. Cui si quid adijcitur spatij tēporalis, non ad hoc accedit ut maneat, sed in hoc trāsit ut pereat. Quod ergo ab initij sui die mortale est, qualibet occidat die, non contra legem mortalitatis occumbit, nec unquā ei uicinius est posse uiuere, quā posse deficere. Quamuis autē ex una causa omnium hominum sit orta mortalitas, non in unā tamen, sed in multiplicem imbecillitatem corruptibilis natura distrahitur. Et siue morbis, siue debilitatibus, siue uulneribus, non solū anni aut menses uel dies etatis humanæ, sed & omnes horæ omniāque momenta subiecta sunt. Nec est aliquod mortis genus aut ullus obeundi modus, qui non intra uniuersitatem mortalium in aliquam incidat portionem. Manet enim graue iugum super filios Adam a die exitus de uentre matris eorum, in diem sepulturæ in matrem omnium. Sed huius asperrimi iugī pondera non ita in Adæ filios irruerunt, ut diuina iustitia nihil eis suæ dimensionis adhiberet, quæ defectiōnum legibus ita defectura subiecit, ut ab eis moderationum suarum non auerteret potestatem. Ideo omnia omnes inciderent mala, quia per communem conditionem

Eccles. 40

nem

nem omnes omnibus subiacerent, sed ut generali necessitate uariata, causas sibi domi-
 nus indulgentiæ correptionisque seruaret, essetq; in uno omnium debito quod & mi-
 sericors remitteret, & iustus exigeret. Cum igitur iusta & omnipotens prouidentia dei
 incessabiliter uniuersa diiudicet, & nemo in hunc mundum ueniat, neque ab hoc mun-
 do exeat, nisi eo ortu atque decessu, quem rerum arbiter secundum altissimam scien-
 tiam suam sapientiamque decernit, sicut scriptum est in libro Iob: Quis ignorat quod Iob. 12
 omnia hæc manus domini fecerit, in cuius manu anima omnis uiuentis, & spiritus uni-
 uersæ carnis hominis: Et iterum: Breues dies hominis sunt, & numerus dierum eius a- Iob. 12
 pud te est, quis audeat causas operum & consiliorum eius inquirere? Inscrutabile enim
 est, ualdeque secretum cur tantis differentijs conditio humana uariata sit. Illum ab in-
 fantia usque in senectutem longæua carpit infirmitas, nec inter perseverantes dolores
 statuta deficit tempus gratis. Illum integris ualentem uiribus annosissimus uigor uege-
 rat. Huic in pueritia finis est, illi in adolescentia. Huic ultra iuuentutem non licet pro-
 gredi: illi impossibile est usque ad loquendi rudimenta grandescere. Quas uitæ metas
 multiformiter inæquales minus acerbas experiretur caduca mortalitas, si præsentis tan-
 tum seculi detrimenta pateretur, & non in æternas miserias caderent, qui hinc sine la-
 uacro regenerationis exissent. Sed cum inscrutabilis sit causa tam donorum quæ gratia
 tribuit, quam miseriarum quas natura promeruit: ipsa nos intelligentiæ difficultas ad
 nostrum remittit authorem. Et cum quærimus quomodo omnes homines saluos fieri
 uelit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per uoluntariam fidem percipien-
 da gratiæ sint capaces, non irreligiose arbitror credi, neque inconuenienter intelligi
 quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ e partem, quæ semper u-
 niuersis est impensa nationibus, qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ip-
 si per eosdem iuuarentur. Omnium namque exordia paruulorum, tota q; illa principia
 necdum rationalis infantia, sub arbitrio iacent uoluntatis alienæ, nec ullo modo eis nisi
 per alios consuli potest, & consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quo-
 rum uel recto uel prauo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita
 ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt. Et cum ipsi nec presentis uitæ de-
 siderium habuerunt, nec futuræ: quam ipsorum factum est nasci, tam ipsorum efficitur
 non renasci. Sicut autem circa maiores præter illam generalem gratiam parcius atque
 occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere,
 potètiore uirtute uocatio specialis exeritur, ita etiam circa innumeros paruulos eadem
 manifestatur electio: quæ quidē nec illis qui renati non sunt, in parentibus deficit, sed ipsi
 qui renati sunt, præ parentibus affuit: ita ut multis sæpe quos suorum impietas deseruit,
 alienorum cura seruiert, & ad regenerationem uenerint per extraneos, quæ eis non e-
 rat prouidenda per proximos. In quo opere gratiæ quis nisi arrogantissimus atq; uanis-
 simus de diuina iustitia conqueratur, quod non omnibus paruulis similis prouidentia
 consulat, omniaq; pericula quæ moriturorum regenerationem prohibere possunt, aut
 potestate submoueat, aut miseratione præueniat? Quod utiq; erga omnes ita fieret, si ita
 fieri omnino deberet. Non autem latet quantum cordibus fidelium desidia gignere-
 tur, si in baptizandis paruulis nihil de cuiusquam negligētia, nihil de ipsorum esset mor-
 talitate metuendum: quando quidem ut tales baptismo fraudarētur, nullo modo posset
 accidere. Hac uerò tam inamissibili felicitate infantium uehementissimè opinio illius
 roboraretur erroris, qui gratiam dei secundum merita hominū dari audet contra fidem
 catholicam prædicare. Videretur quippe inculpabili innocentia hoc tota æquitate de-
 beri, ut neminem eorum adoptio præteriret, quos nullus reatus perstringeret: nec impiet-
 à quodam de paruulorum baptismo dictum fuisset, Habet gratia quod adoptet, non ha-
 bet unda quod diluat. Sed hoc detestabiliter prædicatum omnes discipuli ueritatis intel-
 ligunt: & inde manifestum est eos qui salui fiunt, non merito, sed gratia liberari, quia si-
 ne baptismo mortuos perisse non dubium est. Qui utique nisi grauissimi peccati essent
 participes, non perirēt. Nunc autem occulta quidem dei discretionem, sed iusta, sic osten-
 ditur & quid conferat gratia, & quid præuaricatrix mereatur natura: ut nec contra do-
 num eleuetur superbia, nec cōtra periculū cesset industria. Siue igitē nouissima contem-
 plentur secula, seu prima, seu media, rationabiliter & pie credit omnes homines saluos
 fieri

fieri deum uelle, semperque uoluisse: & hoc non aliunde monstratur, quam de ijs beneficijs, eaque prouidentia dei, quam uniuersis generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim ac sunt huiusmodi dona ita generalia, ut per ipsorum testimonia ad quaerendum uerum deum possent homines adiuuari: quibus donis auctor suum per omnia secula protestantibus, specialis gratiae largitas superfusa est. Quae licet copiosius nunc quam ante praestetur, causas tamen distributionum suarum dominus apud scientiam suam tenuit, & intra secretum potentissimae uoluntatis occultuit: quae si omnibus uniuersimode afflueret, non laterent. Et quam nulla est ambiguitas de benignitate generali, tam de speciali misericordia nihil quod stupendum esset existeret, ac proinde illa esset gratia, ista non esset. Deo autem placuit & hanc multis tribuere, & illam a nemine submouere: ut ex utraque appareat non negatum uniuersitati, quod collatum est portioni: sed in alijs praualuisse gratiam, in alijs resiliuisse naturam. Hanc quippe abundantiore gratiam ita credimus, atque experimur potentem, ut nullo modo arbitremur esse uiolentam, quocumque in saluandis hominibus agitur, ex sola dei uoluntate peragatur, cum etiam ipsi paruulis per alienae uoluntatis subueniatur obsequium.

Quomodo gratia tanquam famulam & receptricem donorum suorum praeparat uoluntatem.

Cap. I. X

Gratia quidem dei in omnibus iustificationibus principaliter praeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam uoluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur, quae ad hoc praedictis est excitata praesidijs, ut diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum quod superno semine concepit ad studium: de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiae opitulatioe si proficit. Quae opitulatio per innumeros modos siue occultos siue manifestos omnibus adhibetur: & quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae: quod autem a multis suscipitur, & gratiae est diuinae, & uoluntatis humanae. Si uel igitur initia, siue profectus fidelium, siue usque in finem perseverantium cogitemus genus, nulla species cuiusquam uirtutis occurrit, quae uel sine dono diuinae gratiae, uel sine consensu nostrae uoluntatis habeatur. Ipsa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo quem uocat, primam sibi receptricem et famulam donorum suorum praeparat uoluntatem. Nam uirtus nolentium nulla est, nec potest asseri uel fidem, uel spem, uel charitatem eis inesse, quorum ab his bonis consensus alienus est. Hunc autem consensus non solum cohortatio praedicatorum, & incitamenta doctrinae, sed & metus gignit, propter quod scriptum est: Principium sapientiae timor domini. Qui quantislibet terroribus inferatur, non aliud agit, quam ut quem fecerit timentem, faciat & uolentem: nec solum uolentem, sed etiam sapientem. Unde & illud scriptum est: Beatus cui donatum est habere timorem dei. Quid enim tam beatificum quam hic timor, qui genitor eruditorque sapientiae est? In cuius utique deuotione deuota est & uoluntas, quae auctore gratiae eodem proficit timore, quo coepit. Cum ergo hic timor etiam per quandam uim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur, sed illa potius quae mentem premebat caligo discutitur, ut uoluntas deprauata prius atque captiua, recta efficiatur & libera. Unde sicut animus nihil uirtutis capit nisi radii ueri acceperit luminis, ita gratia nihil ei quem uocat, confert, nisi oculos in eo aperuerit uoluntatis. Quae in plerisque (sicut superius disputatum est) ab ipso initio sui ardentissima citis & magnis ditatur augmentis: in plerisque autem tarde cunctanterque proficiens, uix ad ea incrementa prouehitur, quae idoneam ad perseverandum habeant firmitatem. Dicit quidem dominus: Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum. Sed hoc ideo dictum est, ut illam fidem sine qua nemo ad Christum uenit, ex patris haberi munere nouerimus, secundum illud quod Apostolo dicitur: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in caelis est. Qui in cordibus trahendorum hoc egit ut crederent: hoc effecit, ut uellent. Non enim esset unde traherentur, si sequaces fide et uoluntate non essent: quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec ueniunt, neque accedunt qui dissentiunt, sed recedunt. Qui ergo ueniunt, amore ducuntur. dilecti enim sunt, & dilexerunt: quae siti sunt, & quae siterunt: & quod eos uoluit deus uelle, uoluerunt: qui

qui ad obediendum sibi ipsum uelle sic donat, ut etiam à perseueraturis illam mutabilitatem quæ potest nolle, non auferat. Alioquin nemo unquam fidelium recessisset à fide. Neminè concupiscentia uinceret, neminè tristitia elideret, neminè iracundia debellaret, nullius charitas refrigeret, nullius patientia frangeretur, & collatam sibi gratiam nemo negligeret. Sed quia hæc possunt fieri, & in consensum talium tentationū facilis nimum procliuisq; descensio est, nunquam debet in auribus fidelium uox illa domini non sonare, qua Apostolis dicitur: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Vbi si de uigilando tantum, non etiam de orando discipulos admoneret, solas liberi arbitrij uires uideretur hortatus. Sed cum addidit: *Et orate, satis docuit superni futurum muneris, ut eos etiam uigilantes tentationis procella nō uinceret.* Tale est & illud quod ait: *Simon, Simon, ecce satanas expostulauit ut uos cerneret uelut triticū, ego autem rogauit pro te, ne deficiat fides tua: & tu tandem conuersus, confirma fratres tuos, et roga, ne intretis in tentationē.* Si ergo defectura erat fides tanti Apostoli nisi pro eo Christus oraret, inerat ei proculdubio mutabilitas, quæ posset in tentatione nutare, & nō ita iam perseuerantig fuerat uirtute solidatus, ut nullis periculis esset obnoxius. Siquidē tam grauis eū perturbatio etiā post ista concusserit, ut in Caiphæ domo unius ancillæ interrogatione pauefactus, usq; ad trinā negationē Christi, cui moriturū se spopoderat, cōstantia deficiente perductus sit. Qui ergo tunc cōturbatū cor Apostoli, nō humanis, sed diuinis cōuenit oculis, & ad largos poenitudinis fletus potētī incitauit aspectu, potuit hanc firmitatem animi præcipuo cōferre discipulo, ut sicut ipsum dominū nihil ab explēde passiōis pposito deterebat, ita nec beatū Petrū ulla tunc formido superaret. Sed hæc stabilitas illius tātummodo propria fuit, qui solus uere potenterq; dicebat: *Potestatem habeo ponere animam meam, & potestatem habeo iterum sumere eam.* In ceteris uerò hominibus, donec caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnē, & donec spiritus quidē promptus est, caro autem infirma, incommutabilis animi firmitudo non potest reperiri: quoniam non huius, sed alterius uitæ est uerè perfecta & secura felicitas. In presentis autem agonis incerto, ubi tota uita tētatio est, & ab insidiati superbia nec ipsa est tutā uictoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licet innumeris sanctis suis donet uirtutem perseuerandi usq; in finem diuina protectio, à nullis tamen aufert quod ipsis repugnat ex ipsis, ut in omnibus studijs eorum atque conatibus semper inter se uelle & nolle decerter. Quam compugnantiam idem beatissimus Petrus etiam in ipsa palmarū omnium con summatione perpessus est. Si quidem hoc ipse dominus protestet & dicat: *Amen amen dico tibi, quādo iuuenis eras, præcingebas te, & ambulabas ubi uolebas: cum autē senueris, extends manus tuas, & alius te præcinget, & ducet quo tu non uis.* Hoc autē dixit, significās qua morte glorificaturus esset deū. Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortissimam petram quæ ab illa principali petra cōmunionem & uirtutis sumpsit & nominis, hoc desiderium semper habuisse, ut ei moriendi pro Christo cōstantia donaretur: Verum tamen ita ineuitabilis erat obluetatio trepidationis, ut uir martyrij auidissimus, adepturus quidem denunciaretur uictoriam passionis, sed non sine tentatione formidinis. Merito igitur nō solū incipientibus, uerum etiā à prouectissimis sanctis uniformiter domino supplicatur, & dicit: *Ne nos inducas in tētationē, sed libera nos à malo.* Vniuersis enim qui in fide & dilectione permanent, ab ipso donatur ne in tentatione superentur: ut qui gloriatur, in domino gloriatur: ipsamq; gloriā ipsdem quibus eam impertit, adscribit: ut quamuis auxilio dei intererint, tamen quia in se habebant unde caderent, ipsorum sit meritum quod steterunt. Igitur sicut qui crediderunt, iuuantur ut in fide maneant: sic & qui nondum crediderunt, iuuantur ut credant. Et quemadmodum illi in sua habent potestate ut exeant: ita & isti in sua habent potestate ne ueniant. Fitq; manifestum quod diuersis atq; innumeris modis omnes homines uult deus saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Sed qui ueniunt, dei auxilio diriguntur: qui non ueniunt, sua pertinacia reluctantur. Quamuis autem multi amantes tenebras suas, splendorem non recipiant ueritatis, & multi qui illuminati fuerant, tenebrescāt: uerbum tamē dei manet in æternū, & de promissionis ueritate nihil excidit. Intra cotidie præscita & promissa Gentium plenitudo, & in Abrahamæ semine omnis gens, omnis tribus, omnis lingua benedicat. Quod enim pater filio dedit, filius non amittit, neq; quisquā potest de manu eius eripere quod accepit.

Matth. 26

Luc. 22

Matth. 26

Ioann. 10

Matth. 26

Ioan. 21

Matth. 6

1. Cor. 1

1. Tim. 2

Es. 40

accepit. Firmum fundamentum dei stat, & mansuri in æternum templi edificatio non uacillat, præterita super omnes ueritate & misericordia dei: à quo quod & nemini negatur, & nulli debetur, in ijs quos promissit, effici. Ipse enim operatur omnia in omnibus. Sed omnia proculdubio iusta & bona. Vniuersæ enim uia domini, misericordia & ueritas. Qui sicut præsciuit ante secula quanta totius mundi hominũ multitudo, uel cõmunibus uia donis, uel specialibus adiuta præsijs, declinans tamẽ ab itinere ueritatis & uitæ ingressura esset latitudinem erroris & mortis: ita semper præcognitũ habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ, & per seruitutem obediẽtiæ ad æternam beatitudinem pertineret; ut nullo excidente de plenitudine promissorũ, qui nec prouectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus quos eligit ex omnibus. Vniuersitati quippe hominũ, quod abunde probauimus, ita multiplex atq; ineffabilis bonitas dei consuluit semper & consulit, ut neq; ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine ueritatis, neq; cuiquam sit liberum de sua iustitia gloriari, cum & illos propria nequitia demergat ad pœnam, & istos dei gratia perducatur ad gloriam.

De recapitulatione in hoc secundo libro definitorum & operis conclusione, quemadmodum uidelicet deus omnes homines uelit saluos fieri. Cap. x

Quod itaq; in principio secundi huius uoluminis insinuauimus, hoc nunc iterum commendamus, ut cum de gratiæ profunditate et altitudine disputatur, tribus illis saluberrimis & ueracissimis definitionibus simus innixi. Quorum una profitetur æternum & propriũ diuinæ esse bonitatis, ut omnes homines saluos fieri uelit, & in agnitionem ueritatis uenire, Alia simul prædicat omnẽ hominem qui saluus fit, quiq; in agnitionem ueritatis uenit, dei auxilio iuari & regi, utq; in fide quæ per dilectionem operatur permaneat, custodiri, Tertiã uerò temperanter & sobriè protestatur non omnem uoluntatis dei comprehendẽdi posse rationem, & multas diuinorum operum causas ab humana intelligentia esse subductas: ut cum in temporibus, in nationibus, in familijs, in paruulis, in nondum natis & genitis quædam aut uarie aut insigniter gesta noscuntur, non ambigimus ea ex illis esse quæ iustus & misericors deus in hoc transitorio seculo noluit sciri. Quod quidem ad utilitatem nostram dispositum sentiẽdum est, ut quoniam salui facti sumus, cui præparauit deus, quod oculus nõ uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, sicut constanter credimus uidendum quod nondum uidemus, ita patienter expectemus intelligendũ quod nondum intelligimus. Si ergo cesset insidiosa malignitas, si insolens præsumptio cõquiescat: his rectè (ut arbitror) pertractatis, nullius superest causa certaminis, neq; ultra necesse est nos interminabilibus quæstionibus occupari. Elaboratũ est enim, quantum dominus adiuuit, ut non solum in nouissimis diebus, sed etiam in cunctis retro seculis probaretur gratiam dei omnibus hominibus affuisse, prouidentia quidem pari, & bonitate generali, sed multimodo opere, diuersaq; mensura quoniã siue occulte siue manifeste, ipse est (ut Apostolus ait) saluator omnium hominum, maxime fidelium. Quæ sententia subtilissimæ breuitatis, & ualidissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc de qua egimus controuersã dirimit. Dicẽdo enim, qui est saluator omnium hominũ, confirmauit bonitatem dei super uersos homines esse generalem. Adijciendo autem, maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei diuinitus inspiratæ, ad summam atq; æternam salutem specialibus beneficijs prouehatur: quod utiq; nulla iniquitate agitur iustissimi & misericordissimi dei, cuius iudicium in his dispensationibus non cum arrogantia discutiendum, sed cum tremore laudandum est: siquidem in ipsis quoq; fidelium populis (quod iam superius ostensum est) non eadem omnibus nec paria conferantur, & ante ulla humanorum pondera meritorum, dissimillima diuinorum mensura sit munerũ. Si enim de parentum carnalium iudicijs conqueri nõ audemus, cum aliquos filios suos ante ulla morum examina, ante aliqua pietatis obsequia, indulgentiore amplectuntur affectu: in dominis quoq; erga famulos libera est dispositio, nec iuste à quoquam reprehenditur qui de unius conditionis familia quosdam sibi quos benignius honestaret, & quos liberius erudiret, elegit: nunquid de summi patris & ueri domini beneuolentissima æquitate causandum est, quod in magna domo eius innumeris differentijs uniuersa uariantur? Cumq; nemo aliquid boni habeat quod non ille donauerit, non omnes tamen iisdẽ uirtutibus

tutibus micant, aut eadem charismatum dote ditantur. Nec possumus hanc diuersitatē graduum causis aptare meritorū, cum totius boni meriti principalis causa sit gratia, de cuius opibus sumitur quicquid in singulis probabile reperitur. Sicut ergo de ijs quæ intra ecclesiam multiformiter spiritus sanctus operatur, impium est ullam querelam concordare concipere, ita etiam de illa providentia quæ infidelibus præsidet, nullatenus murmurandum est: quoniam & iustus & bonus arbiter nec uoluntatis inique est, nec discretio nis incerte, ut sibi immensa omnipotentis dei misericordia atq; iustitia putemus quod quisquā pereat, qui perire nō debeat. Nulla pars mundi ab euangelio uacat Christi, & licet illa generalis uocatio non quiescat, tamen etiā ista specialis iam uniuersis est facta cōmunis. Ex omni gente, ex omni conditione adoptantur quotidie milia senum, milia iuuenū, milia paruulorum, & effectibus gratiæ Christianæ etiā ipsa quibus mundus atteritur, arma famulantur. Quam multos enim qui in trāquillitate pacis, sacramentū baptismatis suscipere differebant, ad aquam regenerationis cōfugere instantis periculi metus impulit: & lentis tepidisq; animis quod diu cohortatio quieta non suauis, minax subito terror extorsit. Quidā ecclesiæ filij ab hostibus capti dominos suos Christi euāgelio māciparunt: & quibus conditione bellica seruebant, eisdem fidei magisterio præfuerunt. At alij Barbari dum Romanis auxiliantur, quod in suis locis nosse non poterant, in nostris didicere regionibus, & ad sedes suas cum Christianæ religionis institutione remeant. Ita nihil obistere diuinæ gratiæ potest, quo minus id quod uoluerit, impleatur, dū etiam discordiæ ad unitatem trahunt, & plagæ in remediā uertuntur, ut Ecclesia unde metuuit periculum, inde sumat augmentum. Ad quoslibet igitur rerum humanarū exitus se nostra cōuertat inspectio, nulla secula, nulla negocia, nullos generationū ortus atq; decessus ab æternis & inscrutabilibus iudicijs dei uacare reperiet. Omnes uarietatum compugnantia, & uniuersæ dissimiliū prouētuum cause, quas inuestigare & discernere non ualemus, in illa æterna scientia simul notæ, simulq; diuisæ sunt. Et nihil sibi inordinatum est etiam de necdum existentium qualitatibus actionum: quoniam non est in deo accidens motus, aut noua uoluntas, aut temporale consiliū, nec cogitatio eius cum rerū mutabilium inæqualitate uariatur, sed cuncta pariter tempora & temporalia sempiterno ac stabili comprehendit intuitu, & omnibus omnia iam retribuit, qui quæ sunt futura, iā fecit. Hinc illud est beati Pauli apostoli scribentis ad Ephesios: Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionē, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorū per Iesum Christū dominū nostrum, secundū propositū uoluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, & cætera quæ sub eiusdem sensus prædicatione connectit, docens donū atq; opus gratiæ in æterno semper dei mansisse cōsilio, omnesq; adoptionis filios, non solum in eo tempore quo iam existentes uocati sunt, sed etiam priusquam mundus conderetur, electos. In qua electione quicquid hominum in Christo præcognitum nō est, nulla eidē ratione sociabitur. Omnes enim qui in regnū dei de cuiuslibet temporis uocatio ne uenturi sunt, in ista quæ secula cūcta præcessit, adoptione signati sunt. Et sicut nullus infidelium in hac sorte numeratus, ita nullus piorum ab hac sorte discretus est. De plenitudine quippe mēbrorum corporis Christi, præscientia dei, quæ falli nō potest, nihil perdit, & nullo detrimento minui potest summa præcognita, atq; in Christo ante secula æterna præelecta, sicut ad Timotheū scribens Apostolus, dicit: Collabora Euangelio secundum uirtutē dei, qui nos liberauit, & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundū suum propositū, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora æterna. Contra hanc inuictæ ueritatis splendidissimam lucem, solent quidā nō sobrie dicere, superfluo ad acquirenda bonorum operum merita laborari, frustra etiam orationibus quibus deus exorāndus speratur, insisti, si ex incommutabili proposito eius Christianæ gratiæ subsistit electio: nec aliter quicquā procedere potest, quam omnipotentis uoluntate dispositū est. Sed qui se ingeniose hoc arbitrantur opponere, non intelligunt scientiam dei, quæ & præterita & præsentia & futura cōplectitur, tempore non teneri, et tam in conspectu eius ad stare ea quæ gerēda sunt, quam illa quæ aut geruntur, aut gesta sunt. Quod cum uerissimū sit, non indiget mora cernendi & discernendi illa uirtus, quæ

perpetuo ueroque contuitu creata & creanda, orta & oritura, acta & agenda simul aspici-
 cit: & quicquid in uniuersitate reru per secula preafinita euoluitur, ac multimo dis uarie-
 tatibus explicatur, id totum in eo iam ordine comprehendit, quem ex ipsius summo illo
 perfectoque iudicio mundi huius finis accipiet. Hac autem aeterna & semper tranquilla cog-
 nitio nulla nos urget necessitate peccandi: nec inde manat iniquitas, unde iustitia: quia
 cum bonus deus omnia bona fecerit, & mali nulla sit omnino natura, a liberis uoluntati-
 bus, quas utique bonum fuit liberas fieri, spontanea est orta transgressio, & natura mutabilis,
 cuius incolumitas ab incommutabili predebat essentia, a summo se bono dum proprio per-
 uerse delectat abruptit, cui nunc ruinae medetur gratia dei. Et propterea Iesus Christus ue-
 nit in hunc mundum; ut soluat opera diaboli, quae utique sic soluuntur, ut in destructione
 eorum, etiam ab istis quibus succurritur, laboretur, quoniam & hoc a salute donat. Ideo
 Rom. 7 beatus Apostolus: Non solum autem, inquit, sed & gloriamur in tribulationibus, sciens quod
 tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spes, spes
 autem non confundit, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum san-
 Ephes. 2 ctum qui datus est nobis. Itemque idem ad Ephesios: Gratia, inquit, saluati estis per fide,
 & hoc non ex uobis, dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Ipsius enim
 sumus signum, creati in Christo in operibus bonis, quae preparauit deus ut in illis am-
 bulemus. Deus ergo istos quos elegit sine meritis, dat unde ornentur & meritis. Et frustra
 dicitur quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur ut electi sint.
 Matt. 25 Virtutum quippe munera ociosa esse non possunt, quoniam sicut Veritas ait: Omni ha-
 bentur dabitur, non habenti autem etiam quod habet auferetur ab eo. Non igitur ad hoc
 datur continentia, ut concupiscentiis non repugnet: nec ideo cuiquam tribuitur sapien-
 tia & intellectus, ut non die ac nocte in domini lege meditetur. Quid agit donum dilectio-
 nis, si beneuolentiae sollicitudo non uigilat? Quis fructus est patientiae, si non habet fortitudo
 quod toleret? Aut quomodo in Christo pie uiuere ostenditur, qui nulla persecutioe pul-
 satus? Vel pax quae est a deo, & cum deo, nunquid bene quieta est si non discordat a mu-
 do? Aut amor dei poterit sine diaboli inimicitiis obtineri? Neminem prorsus dei gratia in-
 tentabilem facit, neque ob hoc celestium armorum praesidio a dextris & sinistris instruitur
 Christiana militia, ut cum nullo hoste colligat, cum laudabilius sit, atque foelicius pugnantem
 non potuisse uinci, quam desiderium non potuisse tetari. Orationum uero sollicitudinem diuinae
 Tob. 6 breuitatis omittam. In libro igitur Tobiae ad filium eius Tobiam Raphael angelus dicit: Me-
 mor esto mandatorum patris tui, quoniam precepit tibi accipere debere uxorem de gene-
 re patris tui. Et nunc audi me frater, noli computare demonium illud, sed postula eam. Et
 scito, quoniam dabitur tibi hac nocte uxor: & cum intraueris in cubiculum, tolle de ieco-
 re piscis illius, & impone super carbones, & odor manabit, et odorabitur illud demonium
 & fugiet, & non apparebit circa illam omnino in perpetuum. Et cum coeperis uelle esse cum
 illa, surgite primum ambo, & deprecamini dominum caeli, ut detur uobis misericordia &
 sanitas. Et nolite timere. tibi enim destinata est ante secula, & tu eam sanabis. Quamuis
 ergo quod statuit deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi:
 nec per electionis propositum, liberi arbitrii deuotio relaxatur: cum implenda uoluntatis
 dei ita sit praordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum,
 per exercitia uirtutum, fiant incrementa meritorum: & qui bona gesserint, non solum se-
 cundum propositum dei, sed etiam secundum sua merita coronentur. Ob hoc enim in re-
 motissimo ab humana cognitione secreto, praefinitio huius electionis abscondita est, et
 de nullo ante ipsius finem pronuciari potest, quod in electorum gloria sit futurus, ut per-
 1. Cor. 10 seuerantem humilitatem utilis metus seruet, & qui stat, uideat ne cadat. & si forte aliqua
 uictus tentatione corruerit, non absorbeat tristitia, nec de eius miseratione diffidat,
 Psal. 144 qui alleuat omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Dum enim in hoc corpore uiuif,
 nullius est negligenda correctio, nullius est desperanda reparatio. Oret itaque sancta Eccle-
 sia, & pro istis qui crediderunt, gratias agens, proficientem eis perseverantiam perat: pro istis autem
 qui extra fidem sunt, poscat ut credant. Nec ideo ab obsecrationibus cesset, si pro aliqui-
 bus exaudita non fuerit. Deus enim qui omnes uult ad agnitionem ueritatis ue-
 nire, non potest quenquam sine iustitia refutare.

- Expositio fidei nostræ.
- De uno deo.
- Expositio dogmatis Arriani.
- Non esse dissimilem patri filium dei.
- De sempiterno dei filio.
- Non esse creaturam dei filium.
- Quod facturam uel creaturam dei filium dicant Arriani.
- Definitio patrum de fide.

- Cap. I
- Cap. II
- Cap. III
- Cap. IIII
- Cap. V
- Cap. VI
- Cap. VII
- Cap. VIII

AMBROSIO RELIGIOSO SACERDOTI OMNI-
potentis dei, Gratianus Augustus.

Vp̄io ualde, quem recordor absentem: ut cum quo mente sum, cum eo etiã corpore sim præsentĩ. Festina igitur ad me religiosẽ dei sacerdos, ut doceas doctrinam ueram credentem: non quo contentioni studeam, aut uelim deũ uerbis magis quã mente complecti, sed ut magis aperto pectori reuelatio diuinitatis insidat. Docebit enim me ille quem nõ nego, quem fateor deum ac dominũ esse meum, non ei obijciẽs quã in me uideo creaturã, quia Christo nihil me addere posse confiteor: uelle tamen ut etiam patri me cõmendem filium prædicando. Nõ ego in deo uerebor inuidiã, non me talem laudatorẽ putabo, qui diuinitatem uerbis augeam. Ego infirmus & fragilis quantum possum prædico, non quantũ est ipsa diuinitas. Rogo te ut mihi des ipsum tractatum quem dederas, augẽdo illic de spiritu sancto fidelem disputationem, scripturis atq; argumentis deum esse cõuince. Diuinitas te seruet per multos annos, parens, & cultor dei æterni, quem colimus Iesum Christum.

DIVI AMBROSII ME- DIOLANENSIS EPISCOPI DE

FIDE AD GRATIANVM AVGVSTVM,
LIBER PRIMVS.

PROLOGVS.

REGINA Austri uenit audire sapientiã Salomonis, ut in libro Reg ^{3. Reg. 10}
norum legimus. Hiram quoq; rex ad Salomonem misit ut cogno- ^{2. Par. 2}
sceret eum. Tu quoq; sancte imperator Gratiane, ueteris imitator
historiã, fidẽ meã audire uoluisti. Sed nõ ego Salomon, cuius mire-
ris sapientiã, neq; tu unius gentis, sed totius orbis Augustus, fidẽ
libello exprimi censuisti: non ut disceres, sed ut probares. Quid e-
nim discas imperator Auguste, cũ ab ipsis cunabulis pio fuisti sem-
per affectu: Priusquam te, inquit, formarem in utero matris tuã, no- ^{Hier. 1}
ui te, & priusquam exires de uulua, sanctificauĩ te. Sanctificatio ergo nõ traditur, sed in-
funditur: & ideo diuina dona custodi. Quod enim nemo te docuit, utiq; deus author in-
fundit. Petis à me fidei libellũ sancte Imperator, profecturus ad prælium. Nosti enim fide ^{Gen. 14}
magis Imperatoris quã uirtute militum quari solere uictoriã. Nam & Abraham tre-
centos decem & octo duxit ad bellum, & ex innumeris trophæa hostibus reportauit: si-
gnoq; dominicæ crucis & nominis, quinq; regũ uictoriumq; turmarum subactõ robo-
re, & ultus est proximum, & filium meruit & triumphum. Iesus quoq; filius Naue, hostes ^{Ios. 6}
quos totius exercitus manu ualida superare non poterat, septem tubarum sacerdotaliũ
sono uicit, ubi ducem militiã coelestis agnouit. Ergo & tu uincere paras qui Christum
Ambr. to. 2 d 2 adoras:

adoras: uincere paras qui fidem uindicas, cuius à me libellum petisti. Mallem quidē cohortandi ad fidem subire officium, quàm de fide disceptandi. In altero enim religiosa cōfessio est, in altero incauta presumptio. Sed quoniam neq; tu cohortatione indiges, neque ego excusandi liber, ubi pietatis officium est, audax negocium uerecunda occasione suscipiam, ut de fide pauca disceptem, de testimonijs plura contexam. De cōcilijs id potissimum sequar, quod trecenti decem & octo sacerdotes, tanquam Abrahę electi iudicio, consona fidei uirtute uictores, uelut trophæum toto orbe subactis perfidis extulerunt: ut mihi uideatur hoc esse diuinum, quod eodem numero in cōcilijs fidei habemus oraculum, quo in historia pietatis exemplum.

Expositio fidei.

A Ssertio autem nostrę fidei hæc est, ut unum deum esse dicamus: neq; ut Genes filium separemus, neq; ut Iudæi natum ex patre ante tēpora, & ex Virgine postea editum denegemus, neq; ut Sabellius patrem confundamus & uerbum, ut eundem patrem asseramus & filium, neq; ut Fotinus initiū filij ex Virgine disputemus, neq; ut Arrius plures credendo & dissimiles potestates, plures deos Gentili errore faciamus, quia scriptū est: Audi Israel, dominus deus tuus, deus unus est. Deus enim et dominus nomen magnificētis, nomē est potestatis: sicut ipse dicit: Dominus nomen mihi est. Et sicut alibi propheta asserit: Dominus omnipotens nomē est ei. Dominus ergo est deus: uel quod dominetur omnibus, uel quod spectet omnia, & timeatur à cunctis. Si ergo unus deus: unum nomen, una potestas, una est trinitas. Deniq; ipse dicit: Ite baptizate gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. In nomine utiq; nō in nominibus. Ipse etiam dicit: Ego & pater unum sumus. Vnum dixit, ne fiat discretio potestatis: si mus addidit, ut patrem filiumq; cognoscas, quo perfectus pater perfectum filiū genuisse credatur: & pater & filius unum sint, non confusione, sed unitate naturę.

De deo uno.

V Num ergo deum, non duos aut tres deos dicimus, ut impia Arrianorum hæresis dum criminatur incurrit. Tres enim deos dicit, qui diuinitatem separat trinitatis, cum dominus dicendo: Ite baptizate gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti, unius esse trinitatē potestatis ostenderit. Nos patrē & filium & spiritum sanctum confitemur, ita ut in trinitate perfecta & plenitudo sit diuinitatis, & unitas potestatis. Omne regnū in se diuisum facile destruetur. Dominus hoc dicit. Non ergo diuisum est regnū trinitatis. Si diuisum nō est, unū est: quod aut unum non est, diuisum est. Tale ergo regnū esse cupiūt trinitatis, quod diuisione sui facile destruat. Imò quia nō potest destrui, constat nō esse diuisum. Non enim diuiditur unitas, nec scinditur: & ideo nec corruptelæ subditur, nec ætati. Non quicumq; inquit, qui dicit mihi domine, dñe, intrabit in regnū cœlorū. Nō ergo perfunctoria fides debet esse, Imperator Auguste. Scriptū est enim: Zelus domus tuę comedit me. Itaq; fideli spiritu & mēte deuota Iesum dominum inuocemus, deū esse credamus, ut in nomine eius quicquid à patre petimus impetremus. Pater enim se per filium uult rogari, filius uult rogari patrem. Concordat pietatis gratia, nec uirtutis facta discordant. Quęcunq; enim pater facit, eadē & filius facit similiter. Et similiter facit, & eadē facit filius: sed uult rogari patrē, in eo quod ipse facturus est, ut non impossibilitatis indicium, sed unitatem potestatis agnoscas. Iure igit adorandus atq; uenerandus est dei filius, qui mundum diuinitate sua condidit, & nostrum pietate sua informauit affectū. Et ideo bonum deum, sempiternum, perfectum, omnipotentem, uerum debemus credere, ut in lege accepimus & prophetis, scripturisq; diuinis ceteris, quia sine his deus non est. Non potest enim bonus non esse, qui deus est, cum in natura dei, plenitudo bonitatis sit: neq; ex tempore deus potest esse, qui fecit tempora. Neq; potest imperfectus deus esse: qui enim minor est, imperfectus utiq; est, cui desit aliquid quo maiorem possit æquare. Hęc igitur fidei nostrę prædicatio. Deus malus non est, deo impossibile nihil est, deus temporalis non est, deus minor non est. Si fallor, redarguant. Quia igitur deus Christus: & bonus utiq; & omnipotens, & sempiternus, & perfectus, & uerus est. Hęc enim in natura diuinitatis sunt. Aut igitur negent naturā diuinitatis in Christo, aut quę diuinę naturę sunt, deo negare non possunt. Certē ne quis possit errare, sequat ea quibus scriptura sancta ut intelligere possimus filiū significat. Verbum dicitur.

dicitur, filius dicitur, dei uirtus dicitur, dicitur dei sapientia. Verbum, quia immacu-
 tus: uirtus, quia perfectus: filius, quia genitus ex patre: sapientia, quia unum cum pa-
 tre, unum aeternitate, unum diuinitate. Non enim pater ipse qui filius, sed inter patrem &
 filium generationis expressa distinctio est: ut ex deo deus, ex manente manens, plenus e-
 pleno sit. Non sunt igitur haec nuda nomina, sed operatricis uirtutis indicia. Est enim ple-
 nitudo diuinitatis in patre, est plenitudo diuinitatis in filio, sed non discrepans, sed una
 diuinitas. Nec confusum, quod unum est: nec multiplex, quod indifferens. Etenim si om-
 niu credentium, sicut scriptum est, erat anima una & cor unum: si omnis qui adhaeret domi-
 no, unus spiritus est, ut Apostolus dixit: si uir & uxor in carne una sunt, si oes homines,
 quantum ad naturam pertinet, unius substantiae sumus, si hoc de humanis scriptura dicit, quia
 multi unum sunt, quorum nulla potest esse cum diuinis comparatio: quanto magis pater & fili-
 us in diuinitate unum sunt, ubi nec substantiae nec uoluntatis ulla est differentia? Nanque
 aliter quomodo unum deum dicamus? Diuersitas plures facit, unitas potestatis excludit nu-
 meri quantitate: quia unitas numerus non est, sed haec omniu ipsa principium est. Quanta ue-
 ro scriptura diuina patris & filij secundum diuinitatem expresserit unitatem, prophetica testa-
 tur oracula. Sic enim dicit dominus sabaoth: Labor Aegypti, & mercatus Aethiopum & Sa-
 bain, uiri excelsi ad te transibunt, & tui erunt serui, & post te sequentur alligati uinculis, &
 adorabunt te, & in te deprecabuntur, quoniam in te est deus, & non est deus praeter te.
 Tu enim es deus, & nesciebamus: deus Israel. Audis prophetica uocem? In te, inquit est
 deus, & non est deus praeter te. Quomodo hoc secundum Arrianos conuenit? Necessesse est ne
 gent aut patris aut filij diuinitatem, nisi eiusdem diuinitatis crediderint unitatem. In te, in-
 quit, est deus, quoniam in filio pater. Scriptum est enim: Pater qui in me manet, ipse loqui-
 tur: & Opera quae ego facio, & ipse facit. Sed & alibi in patre filius est, qui dicit: Ego in
 patre, & pater in me est. Dissoluatur si possunt hanc naturae proprietatem, & operis unitatem.
 Deus igitur in deo est, sed non duo dii. Scriptum est enim, quia unus deus: et dominus in do-
 mino, sed non duo domini, quia aequae scriptum est: Nolite duobus dominis seruire. Et
 lex dicit: Audi Israel, dominus deus tuus deus unus est. Et utique in eodem est testamento:
 Pluit dominus a domino. Dominus, inquit, a domino pluit. Sic & in Genesi habes: Et di-
 xit deus, & fecit deus. Et infra, Et fecit deus hominem ad imaginem dei: sed tamen non
 duo dii, sed unus deus fecit. Utrobique igitur unitas operationis seruetur & nominis. Nam
 utique cum legimus, deus ex deo, non duos deos dicimus. Denique habes in Psalmo quadra-
 gesimo quarto, quod & deum patrem dicit Propheta, & deum filium declarauit, dicens:
 Sedes tua deus in seculum seculi. Et infra: Vnxit te deus, deus tuus, oleo latitiae praecofor-
 tibus tuis. Deus est qui ungit, & deus qui secundum carnem ungitur dei filius. Denique
 quos habet unctionis suae Christus nisi in carne cofortes? Vides igitur quia deus a deo
 unctus, sed in assumptione naturae unctus humanae dei filius designatur, nec legis forma
 uiolatur. Et hic ergo cum dicitur: Pluit dominus a domino, unitatem diuinitatis agnosce.
 Operationis enim unitas non facit pluralem diuinitatem, sicut ipse dominus ostendit, di-
 cens: Credite mihi, quia ego in patre, & pater in me: alioquin uel propter opera ipsa cre-
 dite. Et hic aduertimus quod unitatem diuinitatis, per unitatem operum designauerit. Ut autem
 una deitas & patris & filij, & una dominatio probaretur, ne Gentilis aut Iudaica impie-
 tatis incurreremus errorem, prouidens Apostolus, quid sequi deberemus, ostendit dicens: V-
 nus deus pater, ex quo omnia, & nos in ipso: & unus dominus Iesus Christus, per quem
 omnia, & nos per ipsum. Sicut enim unum dicendo dominum Iesum Christum, patrem dominum
 non negauit: ita unum dicendo deum patrem, aequae a deitatis ueritate nec filium separauit.
 Vnde nec pluralitatem diuinitatis, sed unitatem potestatis ostendit: quia & in domina-
 tione diuinitas, & in diuinitate dominatus est, sicut scriptum est: Scitote quoniam dominus ipse
 est deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. In te igitur est deus per unitatem naturae, & non est de-
 us praeter te, per proprietatem substantiae, repulsam differentiae. In Hieremiae quoque libro
 unum deum scriptura dicit, & tamen & patrem & filium confitetur. Itaque sic habes: Hic
 est deus noster, & non aestimabitur alius ad eum: qui adinuenit omnem uiam disciplinae, et
 dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post haec in terris uisus est, & cum homini-
 bus conuersatus est. De filio dicit: Ipse enim est cum hominibus conuersatus, & dicit: Hic
 est deus noster, non aestimabitur alius ad eum. Qui discutimus eum, de quo tantus dicit

propheta, quod ad eum non possit alius aestimari. Quæ enim potest esse alia aestimatio, ubi diuinitatis unitas est? Confitebatur hoc populus in periculis constitutus: nesciebat ferere quæstionem, quia religionem timebat. Adesto sancte spiritus prophetis tuis quibus inesse confitesti, quibus credimus. Si prophetis non credimus, sapientibus credo huius mundi. Sed ubi sapiens, ubi scriba? Rusticus noster cum ficus insereret, inuenit quod philosophus ignorauit. Quæ stulta sunt enim huius mundi elegit deus, ut confundat quæ sunt fortia. Credimus Iudæis, quia notus aliquando in Iudæa deus: sed hoc ipsum negat, propter quod credimus, quia non norunt patrem, qui filium negauerunt. Vnum deum communis natura testatur, quia unus est mundus. Vnum deum fides significat, quia una fides noui & ueteris testamenti. Vnum spiritum sanctum testificatur gratia, quia unum baptisma in nomine trinitatis est. Vnum deum propheta dicunt, Apostoli audiunt. Vnum deum Magi crediderunt, & aurum thus & myrram supplices ad Christi cunabula detulerunt. Auro, regem fatentes: ut deum thure uenerantes. Thesaurus enim regni, sacrificium dei, myrrha est sepulture. Quid igitur uoluerunt sibi mystica munera, inter abiecta præsepia, nisi ut intelligeremus in Christo differetiam diuinitatis & carnis? Ut homo cernitur, ut dominus adoratur: latet in pannis, sed fulget in stellis. Cuna nascentem indicant, stellæ dominantem. Caro est quæ inuoluitur: diuinitas, cui ab angelis ministratur. Ita nec dignitas naturalis maiestatis amittitur, & assumptæ carnis ueritas comprobatur. Hæc est fides nostra. Sic se deus cognosci uoluit ab hominibus, sic tres pueri crediderunt, nec incendia circumiecta senserunt, cum infidos noxius ignis exureret, & fideles innoxia flamma roraret, quibus aliorum incendia refrigerabant, quia merito fidei perdidit suam pœna naturam. Aderat enim in specie angeli qui muniebat, ut in numero trinitatis, unius esset laudatio potestatis. Benedicebatur deus, uidebatur in angelo dei filius, sancta & spiritalis in pueris gratia loquebatur.

Expositio dogmatis Arriani.

Cap. III

Nunc consideremus quas Arriani dei filio inferant quæstiones. Dissimilem patri dicunt esse dei filium. Hoc si homini obijciatur, iniuria est. Ex tempore coepisse dicunt dei filium, cum conditor ipse sit temporum. Homines sumus, & esse nolumus temporales. Ex tempore coepimus, & sine tempore futuros esse nos credimus. Fieri nos optamus æternos, & quomodo negare possumus dei filium sempiternum, quem sempiternum docet atque demonstrat natura non gratia? Creatum dicunt. Quis autem thorè inter opera sua deputet, ut uideatur id esse quod fecit? Bonum negat. Sacriloga uox ipsa se damnat, ut indulgentiam sperare non possit. Negant uerum dei filium, negant omnipotentem, cum fateantur omnia facta per filium, omnia creata per dei esse uirtutem. Quid est enim uirtus, nisi perfecta natura? Negant etiam diuinitate unum esse cum patre. Deleant ergo Euangelium, deleant Christi uocem. Ipse enim dixit: Ego & pater unum sumus. Non ego hoc dico, Christus dixit. Nunquid fallax, ut mentiretur? Nunquid impius, ut quod non erat usurparet? Sed singula suis locis plenius digerentur. Nunc quoniam hæreticus dicit esse dissimilem, idque uersutis disputationibus adstruere nititur, dicendum est nobis quod scriptum est: Cauete ne quis uos deprædetur per philosophiam, & inanem seductionem secundum traditionem hominum, & secundum elementa huius mundi, & non secundum Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Omnem enim uim uenenorum suorum in dialectica disputatione constitunt, quæ philosophorum sententia definitur non adstruendi uim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialectica complacuit deo saluum facere populum suum. Regnum enim dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis.

Non esse dissimilem patri filium dei.

Cap. IIII

Dissimilem igitur dicunt esse. Nos negamus, imò potius horremus hanc uocem. Sed nolo argumento credas sancte Imperator, & nostræ disputationi: scripturas interrogemus, interrogemus Apostolos, interrogemus prophetas, interrogemus Christum. Quid multa? patrem interrogemus cuius honori studere se dicunt, si filius degener iudicetur. Sed non est honorificentia boni patris, filij iniuria. Non potest bono patri placere si filius degenerasse potius à patre, quam patrem æquasse credatur. Da ueniam sancte Imperator, si ad ipsos paulisper uerba conuerto. Sed quæ potissimum legam, Eudoxium,

Eudoxium, Eunomium, an Arrium uel Aetium eius magistros? Plura enim nomina, sed una perfidia, impietate non dissonans, communionem discordans: non dissimilis fraude, sed coitione discreta. Cur enim secum nolint conuenire, non intelligo. Eunomij personam defugiunt Arriani, sed eius perfidiam asserunt, impietatem exequuntur. Aiunt eum prodidisse effulius, quæ Arrius scripserit. Magna cæcitatibus effusio. Authorem probant, executores refutant. Itaque nunc in plures sese diuisere formas. Alij Eudoxium, alij Eunomium uel Aetium, alij Palladium uel Demophilum atq; Auxentium, uel perfidiam eius hæredes sequuntur, alij diuersos. Nunquid diuisus est Christus? Sed qui eum à patre diuidunt, ipsi se scindunt: & ideo quoniam communiter aduersus ecclesiam dei quibus inter seipsum non conuenit, conspirarunt, communi nomine hæreticos quibus respondendum est nominabo. Hæresis enim, uelut quædam Hydra fabularum, uulneribus suis creuit. Et dum sæpe reciditur, pullulauit, igni debita, incendioq; peritura. Aut uelut quædam monstruosi Scylla portenti in uarias formas distincta perfidia, uelut superuacuum Christianæ sectæ nomen obtedit. Sed quos in illo impietatis suæ freto miseros inter naufragia fidei repererit fluctuantes, beluinis succincta prodigijs, tetri dogmatis seuo dentate dilacerat. Cuius speluncam sancte Imperator, ut ferunt nauæ, cæcis latebris inhorrentem, omnemq; eius uiciniam ceruleis canibus inter perfidiæ saxa resonantem, clausa quodammodo præterire aure debemus. Scriptum est enim: Sepi aures tuas spinis. Et alibi: Videte canes, uidete malos operarios. Et iterum: Hæreticum post primam correptionem deuota, sciens quia peruersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio dandus, scripturarumq; relegamus ordinem. Apostolus dicit imaginem patris Christum esse. ait enim quod ipse sit imago dei inuisibilis, primogenitus uniuersæ creaturæ. Primogenitus, inquit, non primo creatus: ut & genitus pro natura, & primus pro perpetuitate credatur. Alibi quoq; Apostolus asseruit quod ipsum posuit heredem omnium, per quem fecit & secula, qui est splendor gloriæ, & character substantiæ eius. Imaginem Apostolus dicit, & Arrius dicit esse dissimilem: Cur imago, si similitudinem non habet? In picturis homines nolunt esse dissimiles, & Arrius dissimilem patrem contedit in filio, & uult ut pater dissimilem genuerit sui, quasi impotens qui generare similem non potuerit. Propheta dicunt: In lumine tuo uidebimus lumen. Propheta dicunt: Splendor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Vide quanta dicantur. Splendor, quod claritas paternæ lucis in filio sit: Speculum sine macula, quod pater uideatur in filio: Imago bonitatis, quod non corpus in corpore, sed uirtus in filio tota cernatur. Imago docet non esse dissimilem, character expressum esse significat, splendor signat æternum. Imago itaque non uultus est corporalis, non fucis composita, non ceteris, sed simplex de deo, egressa de patre, expressa de fonte. Per hanc imaginem Philippo pater dominus demonstrauit, dicens: Philippe, qui me uidet, uidet & patrem. Et quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Videt enim in imagine patrem, qui uidet in filio. Vides quam imaginem dicat? Imago ista ueritas est, imago ista iustitia est, imago ista dei uirtus est, non muta, quia uerbum est: non insensibilis, quia sapientia est: non inanis, quia uirtus est: non uacua, quia uita est: non mortua, quia resurrectio est. Vides ergo quia dum imago dicitur, patrem significat esse cuius imago sit filius: quia nemo potest ipse sibi imago sua esse. Plura possem de filij testimonij dicere, sed ne forte ipse sibi nimium fauisse dicatur, patrem interrogemus. Nēpe ipse dixit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Pater filio dicit: Ad similitudinem nostram: & tu dissimilem filium dei dicis? Ioannes dicit: Dilecti, filij dei sumus, & nondum apparet quid erimus: scimus quia si reuelatum fuerit, similes erimus. O improvida amentia, O impudens peruicacia. Homines sumus, & in quo possumus, ad similitudinem dei erimus, & similem audemus dei filium denegare? Ergo pater dixit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. In principio ipsius mundi patrem & filium esse audio, & unum opus cerno. Audio loquentem, agnosco facientem: sed & patris & filij unam imaginem, unam similitudinem lego. Similitudo hæc non diuersitatis, sed unitatis est. Quod igitur tibi usurpas, filio dei derogas: cum utiq; nisi per imaginem dei, ad imaginem dei esse non possis.

1. Cor. 1

Eccl. 28

Philip. 3

Ad Titum 3

Colos. 1

Hebr. 1

Psal. 35

Sap. 7

Ioan. 14

Genes. 1

1. Ioan. 3

Genes. 1

De sempiterno dei filio.

Laret igitur non esse dissimilem, & ideo procliuior uia est, ut etiam sempiternum esse fateamur, cum similis sempiterno utiq; sempiternus sit. Si autem patrem sempiternum dicimus, & hoc idem filium denegamus: dicimus esse dissimilem. Sempiterno enim temporale dissimile est. Clamat propheta sempiternum, clamat & Apostolus sempiternum. Plenum est uetus testamentum testimonijs filij sempiterni, plenum est nouum. Ordinem ergo teneamus. Scriptum est in ueteri testamento, ut uel unum e pluribus dicam: Ante me non fuit alius deus, & post me non erit. Nihil ergo argumentabor, te ipsum interrogo. Quis hoc dicit, pater, an filius? Vtrum dixeris, eo te conuinci intelliges, uel si credas, doceri. Quis ergo hoc dicit, pater, an filius? Si filius, ante me, inquit, non fuit alius deus: si pater, post me, inquit, non erit. Hic priorem, ille posteriorem non habet: inuicem in se, & pater in filio, & filius in patre cognoscitur. Cum enim patrem dixeris, eius etiam filium designasti, quia nemo ipse sibi pater est: cum filium nominas, etiam patrem eius fateris, quia nemo ipse sibi filius est. Itaque nec filius sine patre, nec pater potest esse sine filio. Semper igitur pater, semper & filius. In principio enim erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. hoc erat in principio apud deum. Erat, inquit, apud deum. Erat, erat, erat, erat: ecce quater erat. Vbi impius inuenit, quod non erat? Alibi quoque Ioannes in epistola sua dicit quod erat in principio. indefinite tenditur erat. Quicquid excogitaueris, erat filius. Omnes autem haereses hoc capitulo breui piscator noster exclusit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio praenititur. Ergo Arius conticescat. Quod autem erat apud deum, non commixtione confunditur, sed manentis uerbi apud patrem solida perfectione distinguitur, ut Sabellius obmutescat. Et deus erat uerbum. Non ergo in prolatione sermonis hoc uerbum est, sed in illa coelestis designatione uirtutis, ut confutetur Fotinus. Quod uero erat in principio apud deum, sempiternae diuinitatis in patre & filio inseparabilis unitas edocetur, ut erubescat Eudoxius & Eunomius. Postremo cum omnia per ipsum facta dicantur, ipse conditor noui utiq; testamenti & ueteris designatur, ut Manichaeus locutionis habere non possit. Ita piscator bonus intra unum omnes rete conclusit, ut faceret inhabiles fraudi, quamuis essent inutiles captioni. Dic mihi haeretice, dat enim ueniam clementissimus Imperator, ut te non obloquendi studio, nec audiendi cupiditate, sed exponendi gratia paulisper alloquar, dic mihi inquam, fuit ne aliquando tempus quo omnipotens deus pater non erat, & deus erat? Tempus, inquis, non adstruo. Bene & argute. Si enim tempus dixeris, te ipse conuincas: quia necesse est asseras fuisse tempus ante filium, cum filius temporis author sit, & creator. Non potest enim post opus suum ipse coepisse. Necesse est igitur authorem operis sui esse fatearis. Ante tempora, inquis, non nego filium: sed cum filium dico, ostendo priorem patrem, quia pater, inquit, filio prior. Quid est hoc? Negas esse tempus ante filium, & tamen nescio quid ante filium uis praecessisse, quod temporis sit, & ostendis media nescio quae molimina fuisse generandi, in quo generationem patris significas temporalem? Nam si pater esse coepit, deus ergo primo erat, postea pater factus est. Quomodo ergo immutabilis deus? Si enim ante deus, postea pater: utique generationis accessione mutatus est. Sed auertat deus hanc amentiam. Nos enim ad impietatem eorum redarguendam, hanc retulimus quaestionem. Pater aliquando asserat esse mutatum. Iungat igitur honorificentia patri filium, quem diuinitas iunxit: non separet impietas, quem generationis proprietate copulauit. Honorificemus filium, ut honorificemus & patrem, sicut in Euangelio scriptum est. Sempiternitas filij, & paternae maiestatis insigne est. Si iste non semper fuit, ergo ille mutatus est: sed si semper fuit filius, ergo nec pater aliquando mutatus est, qui immutabilis semper est. Itaque uideamus quod illi qui uolunt negare filium sempiternum, uolunt patrem docere esse mutatum. Accipe aliud quo clareat filium sempiternum. Apostolus dicit, quod dei sempiterna uirtus sit atque diuinitas. Virtus autem dei Christus est. Scriptum enim est. Christum esse dei uirtutem, & dei sapientiam. Ergo si Christus dei uirtus, quia uirtus dei sempiterna, sempiternus igitur & Christus. Non ergo ex usu generationis humanae calumniam haeretice struas, neque ex nostro sermone componas. Neque enim

angustis sermonibus nostris, immensæ magnitudinem possumus diuinitatis includere, cuius magnitudinis non est finis. Namq; hominis generationem si definire contendas, tepus ostendis: generatio aut diuina supra omnia est. Late patet, supra oēs cogitationes ascendit & sensum. Scriptū est enim: Nemo uenit ad patrē, nisi per me. Quicquid igitur de patre cogitaueris, quālibet eius æternitatē, nō potes de eo aliquid nisi per filiū cogitare: nec potest ullus ad patrē nisi per filiū transire sensus. Hic est, inquit, filius meus dilectissimus. Est, inquit, qui quod est, semper est. Vnde & David, In æternū, inquit, domine permanet uerbū tuū in cœlo. Quod enim manet, nec substantia nec æternitate deficit. Quæris à me, quomodo filius sit, si non priorē habeat patrē, quæro item abs te, quādo aut quomodo filium putes esse generatū. Mihi enim impossibile est generationis scire secretū. Mens deficit, uox silet, non mea tantum, sed & angelorū. Supra Potestates, supra Angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra oēm sensum est, quia scriptū est, Pax autem Christi quæ est supra oēm sensum. Si pax Christi supra oēm sensum est, quemadmodum non est super omnem sensum tanta generatio? Tu quoq; manum ori admoue, scrutari non licet superna mysteria. Licet scire, quod natus sit: non licet discutere, quemadmodū natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc quarere metus est. Nam si Paulus ea quæ audiuit raptus in tertium cœlum, ineffabilia dicit, quomodo nos exprimere possumus paternæ generationis arcanum, quod nec sentire potuimus, nec audire? Verum si me ad consuetudinem trahis generationis humanæ, ut patrem dicas priorem, uide utrum ad generationem dei, terrenæ generationis exempla conueniant. Si secundum hominem loquamur, negare non poteris priores esse in homine patris quàm filij passionēs. Prior creuit, prior senuit, prior doluit, prior fleuit. Si igitur hic tempore minor, ille antiquior passionē. Si hic generationis incurrit ætatem, nec ille generandi euasit pudorem. Quid te ista questionum tormenta delectant? Audis dei filium: aut dele nomen, aut agnosce naturam. Audis utrum, agnosce generationis perspicuam ueritatem. Audis cor, uerbū intellige. Audis dexteram, agnosce uirtutem. Audis os, agnosce sapientiam. Non hæc sunt in deo corporalibus æstimanda. Incomprehensibiliter generatur filius. Inpassibiliter generat pater, & tamen ex se generauit, & ante omnem intellectū generauit deus uerus deum uerū. Pater diligit, & tu discutis: pater cōplacet, & tu cum Iudeis inuides: pater honorificat, & tu cum Gentibus conuitiaris: Queris à me, utrū prior non possit esse qui pater est. Quæro à te, ut doceas quando pater fuerit prior: aut testimonijs, aut argumentis collige ueritatē. Si testimonijs, accepisti utiq; sempiternam dei esse uirtutē. Legisti etiā dicentem: Israel si me audieris, nō erit in te deus recens, neq; adorabis deum alienum. Aliud horum æternitatem, aliud proprietatem substantiæ indifferentis significat, ut neq; posteriorē neq; alterius diuinitatis filium esse credamus. Nam si posterior est, recens est: & si unius non est diuinitatis, alienus est. Sed nec posterior, quia recens non est: nec alienus, quia ex patre natus, quia supra omnia est deus benedictus in secula, sicut scriptum est. Sed si alienum putant, cur adorant eum, cum scriptum sit: Neq; adorabis deum alienum? Aut si non adorant, fateantur, & finis est, ne quem sub religiosi nominis professione decipiant. Hæc nempe sunt testimonia scripturarū. Aut si habes aliud, proferre debes. Superest ut & argumentis ueritas colligatur. Quanquā etiam humanis testimonijs argumenta cedere soleant, argumentare tamē heretice ut uoles. Vtu, inquis, accipimus, eo qui nascitur, priorē esse qui generat. Persequere igitur omnia uestigia consuetudinis: & si cætera conueniunt, non obliuiscito quin & istud requiras. Si autem nulla concordant, quemadmodum cum desint cætera, hoc solum exigis: Ergo quia usum requiris, quādo generatus est ex patre, paruulus fuit. Vidisti in cunis infantulū uagientem, processus aliquos accepit ætatis. Si enim infirmitatem generationis habuit, necesse est ut non solum nascendi, sed etiam uiuendi inciderit infirmitatē. Sed fortasse eò prolabar is amentia, ut de dei filio ista non abnuas, qui eum ex infirmitate metiris humana: quid si deum negare nō potes nomine, infirmitate tamen hominem uis probare? Quid si dum filium dileueris, patrem arguis: & dum Christo preiudicas, patrem adiudicas: Nam si diuina generatio subiecta temporī fuit, & id ex usu generationis usurpatur humanæ, ergo & pater corporali utero portauit filium, decem mensium curriculum onus uexit. Sed quomodo sine sexu altero generationis usus? Vides solennem generationis seriem non cœpisse, & tu partus

Ioan. 6

Matt. 17

Psal. 113

Philip. 4

2. Cor. 12

Psal. 80

Rom. 9

partus cuiusdā corporei necessitates putas fuisse solennes: Tu usum quæris, ego sexum. Tu tēpus exigis, ego ordinē. Tu finē discutis, ego quæro principiū. Nempe finis ex principio, non principiū pendet ex fine. Omne, inquis, quod natū est, principium habet. Et ideo quia filius est, principium habet, & ex tempore esse cœpit. Quod ipsorum ore sit dictum. Ego autem filium natum esse profiteor: quod reliquum est impietatis, horresco. Deum confiteris homo, & tali circumscribis calumniā: Deus hanc auerrūcet amentia. Rursus obijciunt: Ergo non est filius, si non habet quæ habent filij. Ignoscat mihi pater, ignoscat mihi filius, ignoscat & spiritus sanctus, quæstionem pro pietate referre cupienti. Est certe pater, & manet semper, sunt etiam creaturæ pro dispositione diuina. Est ergo aliquid eorum quod non subiectum sit aut locis, aut temporibus, aut creationi, aut causa alicui uel authori: Profecto nihil. Quid ergo dicitis: Est horum aliquid quo egeat pater: Impiū est dicere. Ergo aut desinite quæ creaturarum sunt aptare diuinitati, aut si comparare contenditis, considerate quò ueltra procedat impietas, quod absit ut uel in sensus nostros aliquādo ueniat. Nos enim piam responsionē tenemus. Namq̄ omnipotens deus est, & ideo nullo eorū pater indiget, qui non habet mutationē sui aliquā uel profectum quo nos egemus, quorū infirmitas ex huiusmodi rebus profectum accipit. Qui autem omnipotens est, utiq̄ non creatus, & sine loco, & supra tempora est. Nihil enim ante deū. imò hoc ipsum uerbum ante deū dicere esse aliquid, graue. Ergo si ita est, quia nihil horum est in deo patre quæ profectū significant, quia deus est, nihil horum aptari etiam potest dei filio, ut uel inuicem accipiat uel profectum, quia deus uerus ex deo uero est. Ergo quia usitatum non reperimus ordinem, adquiesce Arriane præcipuam filij generationem fuisse. Adquiesce, inquam: & si mihi non credis, erubescē uel dei uocem dicentis: Cui me similem existimatis: Et iterum: Quia non sicut homo, ita & deus. Etenim si operatio dei præcipua est, quia non manibus operatur aliquid, non labore conficit, non diebus absoluit: (Ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt) cur nō credamus præcipuam generationem esse eius in filio, cuius præcipuam operationem in operibus eius agnoscimus: dignum certe est ut specialiter & præcipue uideatur generasse filium. Habeat generationis inusitata gloriā, qui habet potestatis inusitata gratiam. Non sola admirabilis ex patre generatio Christi, admirabilis etiam ipsa generatio eius ex Virgine. Tu illam dicis nostræ similem conceptionis, & ego probo & istam nostræ esse dissimilem, imò te ipsum cogam fateri. Dic quemadmodum sit natus ex Maria, quo usu uterus eum habuerit uirginalis, quomodo sine semine uiri partus, unde uirgo pregnans, quemadmodum puella mater ante sceta, quam copulā uxoris experta: caussa deerat, & generabatur filius. Unde ergo legis Nouate partus: Si igit̄ in uirgine usus defuit generationis humanæ, quemadmodū in deo patre propriæ generatiōis usum requiris: Certe usus in sexu est: quia sexus in carne est. Vbi ergo caro nō est, quemadmodum carnis infirmitatem exigis: Nemo meliorem discutit. Credere tibi iustum est, non discutere permissum est. Scriptum est enim: Credidit Abrahā deo, & reputatū est illi ad iustitiā. Nec solū in generatione filij sermo defecit, sed etiā in operibus dei. Scriptū est enim: Omnia opera eius in fide. Opera ergo in fide, generatio sine fide: Et discutimus quæ nō uidemus, qui iubemur credere magis quā discutere quæ uidemus: Dicit aliquis: Quo modo generatus est filius quasi sempiternus, quasi uerbum, quasi splendor lucis æternæ, quia simul splendor operatur ut nascitur: Apostoli istud exēplum est, nō meū. Noli ergo credere, quod fuerit uel momentū aliquod, quo fuerit sine sapientia deus, aut sine splendore lux. Noli Arriane ex nostris æstimare diuina, sed diuina crede ubi humana nō inuenis. Rex Gētilis in igne cū tribus pueris Hebræis quarti quasi angeli uidit figurā: & quia præstare putabat angelis, dei filium, quem nō legit sed credidit iudicauit. Abrahā quoq̄ tres uidit, & unū adorauit. Petrus in monte Moysen & Heliā cum filio dei uidit, nec errauit in natura, nec errauit in gloria. Deniq̄ quid facere deberet, non illos, sed Christum in terrogauit. Nam etsi tribus parabat obsequium, unius tamē expectabat imperium. Sed quoniam uel tabernaculorum numerum deferendum tribus simpliciter æstimauit, emē datur dei patris autoritate dicentis: Hic est filius meus dilectissimus, ipsum audite. id est, quid conseruos tuos cum domino socias tuo: Hic est filius meus. Non Moyses filius, non Helias filius: sed hic filius. Sensit emendationem Apostolus, procidit in faciem, conster-

consternatus patris uoce, & filij claritate. Sed eleuatur à filio, qui iacētes erigere consue-
uit. Vñ uidit, solū uidit dei filiū. Recesserūt enim seruuli, ut solus dominus, qui solus de-
signabat, filius uideretur. Quid igitur sibi uoluit illa uisio, nō æqualitatem Christi seruo-
rūq; significās, sed mysteriū signans, nisi ut apareret nobis quod lex & prophetę cum E-
uangelio congruentes, sempiternum dei filium quem annunciauerāt, reuelarent. Ergo
& nos cū audimus ex utero filium, ex corde uerbum, credamus quia non plasmatus ma-
nibus, sed ex patre natus: non artificis opus, sed progenies est parentis. Et ideo qui dicit:
Hic est filius meus, non dixit: hic est temporalis, non dixit: hæc est creatura mea, hæc fa-
ctura mea, hic seruus meus, sed hic filius meus, quem uidetis in gloria. Hic est deus Abra-
ham, deus Isaac, deus Iacob, qui apparuit in rubo Moyfi, de quo Moyfes ait: Qui est, mi-
lit me. Non pater in rubo, nō pater in eremo, sed filius Moyfi locutus est. Deniq; de ipso
Stephanus dixit: Hic est qui fuit in Ecclesia in eremo. Hic est ergo qui legem dedit, ipse
qui locutus est Moyfi dicens: Ego sum deus Abrahā, deus Isaac, deus Iacob. Hic est deus
Patriarcharum, hic deus est Prophetarū. Filium ergo legimus. mens tua percipit lectio-
nem, edat lingua confessionem. Aufer hinc argumenta, ubi fides queritur, in ipsis gym-
nasiis suis iā dialectica taceat. Nō quæro quid loquatur philosophi, requiro quid faciāt.
Soli in suis gymnasiis remanserunt. Vide quā fides argumentis præponderet. Illi quo-
tidie à suis consortibus deseruntur, qui copiose disputant: isti quotidie crescunt, qui sim-
pliciter credunt. Non creditur philosophis, creditur piscatoribus: non creditur dialecti-
cis, creditur publicanis. Illi uoluptatibus & delicijs orbem ligarunt, isti ieiunijs & dolo-
ribus exuerunt. Plures itaq; iam cœpit illicere iniuria, quā uoluptas. Nunc uideamus
quò distant à Gentilibus Arriani. Illi deos appellant dispares sexu, dissimiles potestate:
illi trinitatem asserunt differentis diuinitatis, & dissimilis potestatis. Illi deorum suorum
principium asserunt temporale, & isti Christum cœpisse ex tempore mentiuntur. Non-
ne ex philosophia omnem impietatis suræ traxerunt colorem? Illi tamen quod ueneran-
tur amplifican, isti dei filium creaturam asserunt esse, qui deus est.

Non esse creaturam dei filium.

Cap. VI

Atuit, ut arbitror, sancte Imperator, neq; dissimilem patri, neq; ex tempore
esse dominum Iesum. Restat ut illud quoq; sacrilegium redarguatur, & pro-
bemus creaturam non esse dei filium: in quo nobis presentis oraculū lectio-
nis aspirat. Audiuius enim legi dicente domino: Ite in orbem uniuersum, & prædicare
Euangelium uniuersæ creature. Qui uniuersam creaturam dicit, nullam excipit. Et ideo
ubi sunt qui creaturam Christum appellant? Nam si creatura esset, nunquid ipse sibi mā-
daret Euangelium prædicari? Non igitur creatura est, sed creator, qui docendæ creatu-
ræ discipulis suis mandat officium. Non creatura Christus, Vanitati enim creatura subie-
cta est, sicut Apostolus dixit. Nunquid ergo Christus subiectus est uanitati? Rursus iu-
xta eundem Apostolum, Creatura congemiscit & comparturit usq; nunc. Nunquid er-
go Christus congemiscit & comparturit, qui nostros à morte gemitus liberauit? Creatu-
ra, inquit, liberabitur à seruitute corruptionis. Videmus igitur magnam inter creaturā
& dominum esse distantiam: quia seruitus creatura est, dominus autem spiritus est: ubi
autem spiritus domini est, ibi libertas. Quis hunc induxit errorem, ut eum qui creauit om-
nia, qui fecit omnia, diceret creaturam? Num ipse dominus se creauit? Si enim lectum
est quod per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil: nunquid ipse se fecit?
Si lectum est, quod negari non potest, quia deus in sapientia fecit omnia: nunquid uerifi-
mile uideri potest quia à seipsa est facta sapiētia? Legimus genitum, quia pater dixit: E-
go ex utero ante luciferum genui te. Legimus primogenitum filium, legimus unigeni-
tum. Primogenitum, quia nemo ante ipsum: unigenitum, quia nemo post ipsum. Legi-
mus etiam: Generationem eius quis enarrabit? Generationem, inquit, non creationem.
Quid his tantis ac talibus conferri potest? Ostendit etiam dei filius distantiam generatio-
nis & gratiæ dicens: Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum: deum meum, & deū
uestrum. Non dixit: Ascendo ad patrem nostrum, sed ascendo ad patrem meū, & patrē
uestrum. Separatio ista diuersitatē ostendit, quod illius genitor, noster creator sit. Et ad-
didit: Deum meū, & deū uestrum: quia licet ipse & pater unum sint, & illi pater sit pro-
prietate naturæ, nobis deus pater cœperit esse per filiū, non naturæ iure, sed gratiæ: tamē
utramq;

Exod. 3

Act. 7

Mar. 16

Rom. 8

2. Cor. 3

Ioan. 1

Psal. 109

Esa. 53

Ioan. 20

utramque naturam hic significare uidetur in Christo, & diuinitatis & carnis. Diuinitatis ex patre, carnis ex matre. Illamque ante omnia, istamque ex Virgine. Denique ante patrem, ut filius nominauit, deum postea ut homo nuncupauit. Vbique autem deum suum, quod ex persona dicat hominis, testimonia docent: Deus deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Et alibi: De uentre matris meae deus meus es tu. Et supra quasi homo patitur, & infra homo est qui ex matris uentre iactatur. Itaque cum dicit: De uentre matris meae deus meus es tu, significat eum qui pater semper erat, ex illo deum sibi esse, ex quo de uentre matris iactatus est. Cum igitur in Euangelio, in Apostolo, in Prophetis generationem Christi legerimus, unde audet dicere creatum esse uel factum? Et quidem in quo creatum legerint, in quo factum, considerare deberent. Edoctum est enim dei filium de deo esse genitum, de deo natum. Factum autem in quo legerint, diligenter aduertant. Non enim deus factus, sed deus dei filius natus est. Postea autem secundum carnem homo factus ex Maria est.

Gal. 4 Si mihi non credunt, credant Apostolo dicenti: Postquam uero uenit plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Filium, inquit, suum, non uerum de multis: non communem, sed suum. Suum cum dicit, generationis aeternae proprietatem signauit. Hunc postea factum ex muliere asseruit, ut factura non diuinitati, sed assumptioni corporis adscriberetur. Factum ex muliere per carnis susceptionem, factum sub lege per obseruantiam legis. Generatio autem illa caelestis ante legem, ista post legem.

Quod facturam uel creaturam dei filium dicant Arriani.

Cap. VII

Acl. 2 Vnde & illud uane iactare consuerunt quod scriptum est, Et dominum eum & Christum fecit deus. Imperiti legant totum & intelligant. Sic enim scriptum est: Et dominum eum, & Christum fecit deus hunc Iesum, quem uos crucifixis. Non diuinitas crucifixa, sed caro est. Hoc utique fieri potuit, quod potuit crucifigi. Non ergo factura, dei filius. Facessat igitur & illud de quo calumniari solent, & discat quem admodum dictum sit: Dominus creauit me. Non dixit, pater creauit, sed dominus creauit me. Caro dominum agnoscit, gloria patrem significat: creatura nostrum dominum confitetur, charitas patrem nouit. Itaque quis ignoret quia ob causam incorporationis hoc dicitur? In eo igitur se creatum dicit, in quo & hominem testificatur dicens: Quid me quaeritis occidere hominem? in quo & crucifixus, & mortuus, & sepultus est. Nec dubitandum, quod praeteritum posuit, quod erat futurum. Haec enim consuetudo est prophetiae, ut quae futura sunt, uel quasi praesentia uel quasi facta dicantur. Denique in Psal. xxi. legisti: Tauri pingues obsederunt me. Legisti etiam: Diuiserunt sibi uestimenta mea. Quod euangelista de tempore passionis prophetatum esse significat. Deo enim quae sunt futura praesentia sunt: & ei cui praecognita sunt omnia, uentura perfecta sunt, sicut scriptum est: Qui fecit quae uentura sunt. Nec mirum si ante secula fundatum se esse dicit, cum legeris praedestinatum ante tempora secularia. Quam uerè de incarnatione id uideatur expressum, declarant sequentia. Sapientia, inquit, aedificauit sibi domum, & subdidit columnas septem, & inter suas hostias miscuit in cratere uinum suum, & parauit suam mensam, & misit suos seruos, conuocans cum altissima praedicatione dicens: Quis est insipientis? declinet ad me. Non ne in Euangelio post incarnationem haec omnia uidemus esse completa? quod sacerdos conuiuij celebrauit mysteria, quod Apostolos misit, uoce clamauit dicens: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat? Ergo sequentia respondent prioribus, & totius cursum incarnationis uidemus prophetiae expositione digestum. Multa alia documenta praesto esse possent huiusmodi de incarnatione dictum uideri: sed non me in uoluo libris, ne tractatus uideatur esse diffusior. Nunc ipsos Arrianos interrogo, utrum idem putent esse, genitum quod creatum? Si enim idem dicunt, nihil utique distat inter generare & creare. Ergo quoniam & nos creati sumus, inter nos & Christum, inter Christum & elementa nulla distantia est. Sed quamuis amentes sint, id tamen non audebunt dicere. Postremo ut insipientiae eorum quod uerum non est indulgeam: si nihil, ut putant, distat in uerbo: cur non eum quem conuenerunt, meliore appellant nomine? Cur uerbo non utuntur patris? Cur abijciunt quod honorificentiae est, assumunt quod iniuriae? Si autem distat inter creatum & genitum, ut ego arbitror, cum legerimus genitum, non utique idem & genitum intelligimus & creatum. Dicant igitur generatum ex patre, ex uirgine procreatum: aut dicant quomodo dei filius & genitus & creatus. Vna natura, & maxime deus diuersitatem non recipit. Certe facessat nostra

nostra sententia, Paulum interrogemus, qui spiritu dei plenus has prouidens quaestio-
 nes, generaliter contra Gentes, specialiter contra Arrianos locutus, ait diuino iudicio
 eos esse damnatos qui seruirent creaturae potius quam creatori. Denique sic habes: Tradidit
 illos deus in desideria cordis eorum, ut contumelijs afficiant corpora sua inter semet
 ipsos, qui commutauerunt ueritatem dei in mendacium, & coluerunt & seruiserunt creatu-
 ra potius quam creatori, qui est deus benedictus in secula. Prohibuit itaque me Paulus crea-
 turam seruire, sed Christo admonet seruiendum. Non ergo creatura Christus. Paulus, inquit,
 seruus Iesu Christi. Bonus seruus, qui dominum recognoscit, ipse creaturae seruire nos
 prohibet. Quemadmodum ergo Christo ipse seruiret, si creaturam Christum putaret? Aut
 igitur desinant colere quem creaturam appellant, aut desinant quem colere se simulant,
 dicere creaturam: ne sub appellatione cultorum sacrilegia grauiora committant. Dete-
 stabiliior enim domesticus hostis quam extraneus, & grauius scelus ut aduersus Christum,
 abutantur Christi nomine. Quem igitur meliorem interpretem quaerimus scripturarum,
 quam illum doctorem Gentium, uas electionis, electum de persecutoribus? Qui Iesum
 persecutus fuerat, fatetur. Legerat utique Salomonem plus quam Arrius, & erat peritus
 in lege: & ideo quia legerat, non creatum Christum dicit esse, sed genitum. Legerat enim
 Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Nunquid dicto factus est Christus?
 Nunquid mandato creatus est Christus? Quomodo autem creatura in deo esse potest?
 Etenim deus naturae simplicis est, non coniunctae atque compositae: cui nihil accedat, sed
 solum quod diuinum est, in natura habeat sua: complens omnia, nusquam ipse confusus
 penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus: ubique totus, eodemque tempore uel in coe-
 lo uel in terris, uel in nouissimo maris praesens, uisu incomprehensibilis, fatu in interpre-
 tabilis, sensu inestimabilis, fide sequendus, religione uenerandus: ut quicquid religio-
 nis sentiri potest, quicquid praestantius ad decorem, quicquid sublimius ad potestatem,
 hoc deo intelligas conuenire. Ergo quia in filio concipitur pater, crede quia dignus pater
 filius, crede quia a deo exiuit filius, ut ipse testatur dicens: Ex deo processi & ueni. Et ali-
 bi: A deo exiui. Qui ex deo processit, & a deo exiuit, nihil aliud potest habere nisi quod
 dei est. Unde non solum deus, sed etiam uerus deus. Verus uero, & adeo uerus, ut ipse
 sit ueritas. Itaque si nomen quaerimus, ueritas est: si maiestatem quaerimus naturalem, eo usque
 filius dei uerus est, ut & proprius. Scriptum est enim: Qui proprio filio non pepercit, sed
 pro nobis omnibus tradidit eum. Tradidit utique secundum carnem. Proprietas diuinitatis
 est, ueritas proprietatis, misericordia pietatis, oblatio securitatis. Sed ne calumniarentur
 quia scriptum est, Tradidit eum pater: ipse Apostolus alibi dixit: Pax a deo patre, &
 domino nostro Iesu Christo, qui se dedit pro peccatis nostris. Et alibi: Sicut Christus di-
 dit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Si ergo & traditus est a patre, & ipse se tradi-
 dit, apparet unam esse operationem, unam esse patris & filij uoluntatem. Si naturalem
 ergo maiestatem quaerimus: genitus est. Qui genitum inficiatur, proprium negat: qui pro-
 prium abnuat, communem ceteris arbitratur. Sin uero generationis ipsius proprietatem
 requirimus, ex deo exiuit. Nam cum in usu nostro id sit exire quod iam sit, & ex interio-
 ribus secretis prodire uideatur quod exire perhibetur: angustis licet sermonibus pro-
 prietatem diuinae generationis aduertamus, ut non ex loco aliquo uideatur exisse, sed ut
 deus ex deo, filius ex patre. Nec uideatur coepisse ex tempore qui ex patre nascendo pro-
 diit, ut dixit ipse qui natus est: Ex ore altissimi prodijt. Sed si naturam non agnoscunt, si non
 credunt scripturis, uel operibus credant. Cui dicit pater: Faciamus hominem: nisi ei quem
 uerum filium sciret? In quo nisi in uero suam imaginem recognosceret? Non est unum
 adoptiuus & uerus: nec filius diceret, Vnum sumus: si se cum uero qui uerus non esset, ipse
 conferret. Faciamus ergo, dicit pater. Qui dixit, uerus est. Potest ne ergo uerus non esse
 ille qui fecit: & quod dicenti defertur, facienti negatur? Quomodo autem nisi uerum fi-
 lium sciret, committeret ei uoluntatis suae unitatem, & operis ueritatem? Cum enim ea-
 dem faciat filius opera quae pater facit, & quos uult uiuificet filius, sicut scriptum est, nec
 differens potestate, & liber est uoluntate: ita unitas seruatur, quia & uirtus dei in diuini-
 tatis proprietate est, & libertas non in aliqua differentia, sed in unitate est uoluntatis. Tur-
 bati in freto apostolorum licet sed adhuc non credentium chori, ubi primum sub pedibus do-
 mini ludere aquas, & inquieto maris aestu deambulantis domini super aquas intrepida

Rom. 1

Psal. 145

Ioan. 5

Ioan. 16

Rom. 8

Galat. 1

Ephes. 5

Eccle. 24

Gene. 1

Ioan. 10

uidere uestigia, subitoque nauis quae fluctibus turbaretur, ubi eam tamē Christus ascendit, placida aequora, & elementa conspexere famulantia, uerū dei filium crediderunt dicentes: Vere dei filius es. Hoc idem Centurio cum alijs qui secum erant, tremefactis mundi cardinibus in passione domini, confitetur, & tu haeretice negas: Centurio dicit: Vere filius dei erat iste. Erat, inquit, centurio: & Arrianus dicit, non erat: Ille ergo generationis & ueritatē & aeternitatē asseruit, manu cruentus, sed mente deuotus: tu haeretice ueritatē generationis negas, tēpus adscribis: Vtinā manus potius quam animū cruentasses. Sed nec manu innocens, & mente feralis, quantum in te est mortem infers, qui infirmum operariis: imō, quod grauius est, etsi diuinitas uulnus sentire nō possit, quod in te tamen est, maiestatem suā in Christo, non corpus interficere conaris. Verū igitur deum dubitare nō possumus, quem uerū dei filium & carnifices crediderunt, & daemones fatebantur: quorum nunc non testimonia requiruntur, sed tuis tamen sacrilegijs praeferruntur. Illos nominauimus, ut erubesceres: diuina quoque responsa adhibuimus, ut crederes. Clamat dominus per Esaiā: Seruientibus mihi uocabitur nomen nouū, quod benedicetur super terram, & benedicent deū uerum: & qui iurant super terrā, iurabunt per deū uerū. Haec, inquit, dixit Esaias quando uidit maiestatem eius. Hoc in Euangelio designatur, quod maiestatem uiderit Christi, & locutus sit de eo. Accipe tamen quid etiā scripserit Euangelista Ioannes in Epistola dicens: Scimus quod filius dei apparuit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus patrem, & simus in uero filio eius Iesu Christo. Hic est uerus deus, & uita aeterna. Verum Ioannes filium dei, & uerum deum dicit. Ergo si uerus deus, utique non creatus: nihil fallax habens atque fucatum, nihil confusum atque dissimile.

Definitio patrum de fide.

Cap. VIII

Deus igitur ex deo, lumen de lumine, uerus deus de deo uero, ex patre natus, non factus, unius substantiae cum patre. Sic nempe nostri secundum scripturas dixerunt patres, qui etiam sacrilega dogmata ideo suis inserenda putauerunt re decretis, ut Arrii perfidia ipsa se proderet, ne quasi fucis quibusdam & coloribus illita uelaretur. Fucum enim faciunt, qui non audent explicare quod sentiunt. Censorie itaque impietas Arriana non expositione referatur, sed damnatione detegitur: ut qui curiose gestit audire, prius damnata cognosceret ne laberetur: quam exposita audiret, ut crederet.

Expositio quae Arrii perfidiam damnat.

Cap. IX

Sos, inquit, qui dicunt: Erat quando non erat, & antequam nasceretur non erat: & qui ex nihilo factum, aut ex alia substantia uel ouisa dicunt esse, aut mutabilem & conuertibilem dei filium, anathematizat catholica & apostolica Ecclesia. Accepisti sancte Imperator eos qui talia asserunt, iure damnatos, non humana industria, non composito aliquo: sed trecenti decem & octo, ut supra dixi, episcopi ad concilium conuenerunt. Sed ut in numero eorum per signum suae passionis & nominis dominus Iesus suo probaret se adesse concilio, crux in trecentis, Iesu nomen in decem & octo est sacerdotibus. Hoc & in Ariminensi concilio habuit prima confessio, & post Ariminense concilium secunda correctio. Confessionem epistola ad Imperatorem Constantium missa testatur, correctionem secuta concilia confitentur. Arrius ergo dicit: Erat quando non erat: sed scriptura dicit, erat: non dicit, non erat. Denique Ioannes scripsit: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum: hoc erat in principio apud deum. Ecce quotiens erat, & nusquam dixit quod non erat. Cui ergo credimus: Iohanni in Christi pectore recumbenti; an Arrio inter effusa se sua uiscera uoluit: ut agnosceremus simile Iudae proditoris Arrii quoque fuisse perfidiam, quae similis poena damnauit. Effusa sunt enim & Arrii uiscera: pudet dicere ubi, atque ita crepuit medius, prostratus in faciem, ea quibus Christum negauerat foeda ora pollutus. Crepuit enim, sicut etiam de Iuda Petrus Apostolus dixit, quia possedit agrum de mercede iniustitiae, & in facie prostratus crepuit medius, & effusa sunt omnia uiscera eius. Non est fortuita mors ubi in sacrilegio pari, poenae parile processit exemplum: ut idem subirent supplicium qui eundem dominum negauerunt, & qui eundem dominum prodiderunt. Veniamus ad alia. Arrius dicit: Antequam nasceretur non erat: sed scriptura dicit omnia esse per filium. Quomodo ergo alijs dedit esse, qui non erat: Cum autem dicit impius, quando & ante, haec utique duo uerba tempus ostendunt. Quomodo ergo negant tempus ante filium, & uolunt prius fuisse

fuisse quæ temporis sunt, cū id ipsum, quādo & ante & aliquando nō fuisse, sit temporis: Arrius dixit ex nihilo dei filiū, quomodo ergo dei filius? Quomodo paterno generatus ex utero: Quomodo eructuatū ex corde uerbum legitur, nisi ut ex intimo & inæstimabili patris intelligatur, ut scriptū est, prodisse secreto: Filius enim aut per adoptionē, aut per naturam est. Per adoptionem nos filij dicimur, ille per ueritatē naturæ est. Quomodo ergo ex nihilo ille, qui ex nihilo fecit omnia: Nō habet filium qui nescit unde sit. Deniq; nec Iudæi habebant filium, quia unde esset nesciebant. Et ideo dixit his dominus: Nescitis unde ueni. Et infra: Neq; me nostis neq; patrem meum scitis. Qui enim negat ex patre filium, nec patrem ex quo est filius nouit: neq; filiū nouit, qui patrem nescit. Arrius dicit: Ex alia substantia. Quæ igitur alia substantia æquatur dei filio, ut ex ipsa dei filius sit: aut quomodo reprehendūt quia nos in deo aut usiam Græce, aut Latine substantiam dicimus, cum ex alia dicendo substantia deum esse filium, etiam ipsi substantiā dei esse confirmant: Sed si de nomine substantiæ aut naturæ diuinæ uoluerint dicere, facile reuincuntur, quia & usiam Græce, & Latine substantiam frequenter scriptura memorauit. Et Petrus uult nos, ut legimus, diuinæ consortes fieri naturæ. Quod si ex alia substantia filiū dicent, ipsi se reuincunt, & uerbū substantiæ quod metuunt confitendo, & filiū creaturis quibus præferre se simulant conferendo. Arrius dicit creaturam dei filium, nō sicut cæteras creaturas. Quæ enim creatura, non sicut alia creatura est: Homo non ut angelus: terra non ut cælum: sol non ut aqua: lumen nō ut tenebræ, Nihil ergo præferendo donauit, sed ad simplices decipiendos, misero colore fraudē suæ impietatis obduxit. Arrius dicit mutabilem & conuertibilem dei filiū. Quomodo ergo deus, si mutabilis, cum ipse dixerit: Ego sum, ego sum, & nō sum mutatus: Verūm nunc mihi propheticū illud est confitendum, quod prophetaturus de domino præmittit Esaias dicens: O miser ego & compuncto corde, qui cum immunda labia habeam, in medio quoq; populū inhabitē immūda labia habentis, uidi dominū Sabaoth. Ergo si Esaias miserum se dicit, qui uidit dominum Sabaoth: quid ego de me dicā, qui cum immunda labia habeam, cogor de dei generatione tractare? Quō igitur de ihs quæ metuo, locuturus erumpo, cū Dauid de ihs quæ sciat, ori suo custodiam petat: O si mihi quoq; unus de Seraphim candentem illum carbonem quem de altari diuino sumpsit, utriusq; forcipe deferens testamenti, immunda adurat labia. At quia tunc Seraphim descendit in figura ad prophetam, tu autem domine reuelato mysterio ad nos in carne uenisti, non per legatum, neq; per nuncium, sed ipse per te, ab occultis meis conscientiam meam mundes, ut ego quoq; dudum immundus, sed iam per tuam misericordiam fide mundus, illud Dauidicum canam dicens: Psal. 70. lam tibi in cithara deus Israel, gaudebunt labia mea dum cantauero tibi, & anima mea quā redemisti. Itaq; domine calumniatores tuos & hostes relinquens, confer te ad nos, & sanctifica aures principis Gratiani, omniumq; præterea quorū in manus hic libellus uenerit uacuas mihi præsta aures, nec ubi auditæ perfidię sordes residant. Emunda ergo: emunda autem non fontanis poculis, nec fluuiali haustu, nec susurro prætermeantis riuuli, sed sermonibus ad uicē aquarū operantibus, supra nitore aquarū perspicuis, & omni purioribus niue, illis utiq; sermonibus quibus dixisti: Si fuerint peccata uestra sicut phœnicium, ut niuem dealbabo. Est etiam poculum quo secreta mentis mundare consuesti. Poculum non naturę ueteris, nec ex uite solenni, sed poculum nouum de cælo delatum in terra, expressum ex illo botrione peregrino, qui sicut uua de uite, ita ille in carne crucis pependit è ligno. Ex hoc ergo botrione est poculū quod latificat cor hominis sobrietatem inebriat, crapulam fidei & ueræ religionis exhalat, crapulā castitatis infundit. Hoc igitur poculo domine meus, domini aures Augusti mentis emunda, ut sicut poculo naturali homines inebriati quietem diligunt, timorem mortis expellunt, iniurias non sentiunt, aliena non querunt, suorū obliuiscuntur, ita etiam poculo tuo crapulatus pacem diligit, & fidei exultatione securus, mortem infidelitatis ignoret, patientiā charitatis exhibeat, sacrilegia aliena nō teneat, fidem etiam pignoribus suis præferat, secundum quod scriptū est. Relinque omnia tua, & ueni sequere me. Hoc poculo domine Iesu sensus etiam nostros dilue, ut te adoremus, te colamus uisibilem & inuisibilem creatorem. Non potes ergo inuisibilis aut bonus non esse, qui id etiā tuis operibus cōtulisti.

Ioan. 8

2. Petri. 1

Malach. 3

Esa. 6

Psal. 38

Psal. 70

Esa. 1

Matth. 19

De bono dei filio.
De uero & bono dei filio
De omnipotente dei filio.
De domino maiestatis dei filio.

Cap. I
Cap. II
Cap. III
Cap. IIII

DIVI AMBROSII MEDIOLANEN-

SIS EPISCOPI FIDE AD GRATIANVM

AVGVSTVM LIB. II.

PROLOGVS.



SATIS, ut arbitror, libro superiore sancte Imperator edoctum est, sempiternum esse dei filium, non dissimilem patri, genitum, non creatum. Deum quoque uerum dei filium scripturarum lectionibus approbauimus, & apertis maiestatis suae indicijs designatum. Itaque quamuis ista ad fidem copiose redundantia sint, quod a fontis meatu magnitudo plerumque decurrentis fluminis aestimatur: tamen quo purius niteat fides, tripartito uidetur deriuanda distinctio. Sunt enim euidentia indicia quae proprietatem deitatis ostendunt, sunt quae similitudinem patris & filij, sunt etiam quae perspicuam diuinae maiestatis exprimant unitatem. Proprietatis itaque sunt, generatio, deus, filius, uerbum: Similitudinis, splendor, character, speculum, imago: Unitatis aeternae, sapientia, uirtus, ueritas, uita. Haec indicia ita dei filium signant, ut & ex his & sempiternum patrem esse cognoscas, nec ab eo filium discrepantem. Ex eo enim qui est, generatio, ex sempiterno deus, ex patre filius, ex deo uerbum, splendor gloriae, character substantiae, speculum dei, maiestatis imago, de bono bonitas, de sapiente sapientia, de forti uirtus, de uero ueritas, de uiuente uita. Concor-dant igitur patris & filij indicia, quibus non discrepare inter se, sed unius maiestatis esse nemo dubitauerit. Quorum singulorum proferremus exempla nominum, nisi coartandi sermonis studio teneremur. His duodecim tanquam lapidibus preciosis fidei columna confurgit. Hi sunt enim preciosi illi lapides, sardius, iaspis, smaragdus, chrysolithus, & caeteri, quibus sancti Aaron, illius utique qui figuram gessit Christi, ueri scilicet uestimentum sacerdotis intexitur, circumdati auro lapides, & sculpti de nominibus filiorum Israel, duodecim lapides sibi inuicem cohaerentes. Nam si eos aliquis separet aut secernat, omnis fidei structura dissoluitur. Itaque principium fidei nostrae est, scire quod genitus est dei filius. Si genitus non est, nec filius est. Nec satis est dixisse filium, nisi & unigenitum filium designaueris. Si creatura est, deus non est: si deus non est, nec uita est: si non est uita, nec ueritas est. Ergo tria illa, id est, generatio, filius, unigenitus, principaliter & proprie indicant ex deo filium. Tria sequentia, id est, deus, uita ueritas, uirtute eius manifestant, quae condidit & fecit subsistere creaturam. In ipso enim uiuimus, mouemur & sumus, sicut ait Paulus. Et ideo in illis tribus proprietas filij, in istis alijs paterna ac filij operationis unitas declaratur. Imago quoque & splendor & character dicitur dei filius, quia haec incomprehensibilem & inuestigabilem paterna diuinitatem maiestatis in filio, & expressam similitudinem reuelarunt. Haec quoque tria uidemus ad similitudinem pertinere. Reliquum est uirtus, sapientia, iustitia: ut his singulis operationibus aeternitas probaretur. Hoc igitur est illud uestimentum preciosis lapidibus adornatum, hic ueri amictus est sacerdotis, haec uestis nuptialis, hic textor propheticus, qui bene nouerit ista contexere. Neque uilis ista textura est, de qua dominus dicit per prophetam: Quis dedit mulieribus texture sapientiam? Nec communes isti lapides, lapides ut legimus supplementi. Omnis enim in eo perfectio est, si nihil desit. Lapidibus compositi & circumdati auro, intelligibili scilicet natura, si eos bene mens nostra componat, naturalisque sensus probabili ratione compa-

Exod. 28

Acto. 17

Iob. 38. iuxta.

70

1. Corin. 10 cum humor rigesceret, petra inundaret: Quod ut agnosceres opus Christi, Apostolus
 Psalm. 77 dixit: Petra autem erat Christus. Hicne nō bonus, qui tam innumera populi millia, ne
 Sap. 16 qua incesseret fames, in deserto pavit pane cœlesti, sine usu laboris, cum fructu quietis,
 ita ut eorum per quadraginta annos nec uestimenta ueterascerent, nec calceamenta te-
 rerentur, instar fidelibus futuræ resurrectionis ostendens, quod nec factorum decora
 splendorum, nec circumfusæ uirtutis nitor, nec uitæ cursus periret humanæ: Hicne
 non bonus, qui nobis cœlum fecit esse quod terra est, ut sicut in cœlo quasi in speculo
 quodam, stellarum lucentium refulgent globi, ita etiam Apostolorum & Martyrum &
 sacerdotum uite itellarum lucentium toto illucescerent chori mundo: Ergo non solum
 bonus, sed etiam pastor bonus: hoc est, non sibi tantum, sed etiam ouibus suis bonus. Bo-
 10an. 10 nus enim pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Posuit plane animam suam, ut no-
 stram leuaret. Sed pro diuinitatis potestate posuit & sumpsit, sicut scriptum est: Potesta-
 tem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo sumendi eam. Nullus eam tol-
 lit à me, sed ego à memetipso pono eam. Vides bonitatem, quia sponte posuit: uides po-
 10an. 20 testatem, quia sumpsit: & tu bonum negas, cum ipse de se in euangelio dixerit, Si ego
 Esā. 64 bonus, quare oculus tuus nequam: Ingrate, quid ais: Bonum negas, per quem bona spe-
 1. Corin. 2 ras, si tamen credas: Bonum negas, qui dedit nobis quæ oculus non uidit, nec auris au-
 Psal. 119 diuit: Mihi expedit, ut bonum dominum confitear. Bonum est enim confiteri domi-
 Psalm. 117 no. Mihi expedit, ut bonum credam: Scriptum est enim: Confitemini domino, quoniā
 Esā. 63 bonus. Mihi expedit, ut iudicem meum bonum arbitrer. Dominus enim bonus iudex
 domui Israel. Ergo si iudex, dei filius utiq: quoniam iudex dominus, & deus bonus, iu-
 dex autē dei filius est. Deus bonus iudex & dei filius est. Si fortasse nō credas alijs, nō cre-
 Psalm. 44 das filio: audi patrem dicentem: Eructauit cor meum uerbum bonum. Bonum ergo uer-
 10an. 1 bum est, uerbum hoc de quo scriptum est, Et uerbum erat apud deum, & deus erat uer-
 10an. 7 bum. Ergo si uerbum bonum, filius autem dei uerbum est: bonus utique deus est dei fi-
 lius: etiam si non placeat Arrianis. Erubescant aliquando. Iudæi dicebant: Bonus est. et
 si alij dicebant, non est: alij dicebant tamen, bonus est: & uos omnes bonum negatis.
 10an. 1 Bonus est, qui peccatum unius donat, & bonus non est, qui peccatum mundi abstulit.
 Cantic. 1 De ipso enim dictum est, Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Sed quid du-
 Cantic. 7 bitamus? Credidit iam Ecclesia bonum, & confessā est dicendo: Osculetur me ab oscu-
 lo oris sui, quoniam bona ubera tua super uinum. Et alibi, Et fauces tuæ tanquam ui-
 num optimum. Bonus ergo ille uos legis & gratiæ nutrit uberibus, cœlesti curas homi-
 num prædicatione demulcens: & nos bonum negamus, cum sit imago bonitatis, expri-
 Cap. 7 mens æternæ in se bonitatis effigiem, sicut & supra ostendimus scriptum, quia ipse est
 speculum sine macula, & imago bonitatis illius:

De uero & bono deo dei filio.

Cap. II

1. Corin. 8

S

Ed quid uobis uideatur, qui bonum & uerum deum dei filiū denegatis, cum
 scriptum sit, quod nullus deus nisi unus: Nam & si sunt qui dicantur dii, an in-
 ter eos Christum annumeratis qui dicuntur & nō sunt: cum speciale sit eius,
 ut semper sit, & præter ipsum bonus & uerus alius deus nō sit: quoniam in ipso est deus:
 speciale autem etiam patris sit, ut post ipsum uerus alius deus non sit, quia unus deus.
 Nec iuxta Sabellianos patrem filiumq: confundēs, nec iuxta Arrianos patrem filiumq:
 fecernēs. Pater enim & filius distinctionem habent, ut pater & filius separationem diui-
 nitatis non habent.

De omnipotentre dei filio.

Cap. III

Exod. 15

I

Apoca. 1

Zacha. 2

Taque cum uerus & bonus dei filius, utiq: omnipotens deus dei filius. Num
 hinc quoq: dubitari potest: Supra diximus lectum quia dominus omnipo-
 tens nomen est ei. Ergo quia filius dominus, dominus autem omnipotens:
 omnipotens est dei filius. Sed accipe etiam eam de qua dubitare nequeas lectionē. Ecce
 uenit, inquit, cum nubibus, & uidebit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt, &
 plangent se per eum omnes tribus terræ, etiam amen. Ego sum alpha & ω, dicit dominus
 Iesus, qui est, & qui erat, & qui uenturus est omnipotens. Quē igitur compunxerunt, &
 quē speramus esse uenturū, nisi filium: Ergo omnipotens dominus & deus Christus est.
 Accipe aliud sancte Imperator, & accipe Christum loquentem. Hec dicit dominus om-
 nipotens

nipotens: Post honorem misit me super Gentes quæ deprædauerunt uos: quoniam qui tangit uos, quasi qui tangit pupillam oculi eius. Quia ecce ego inijcio manum meam super eos qui deprædauerunt uos, & eruam uos, & erunt in prædam qui prædauerunt eos, & scient quia dominus omnipotens misit me. Vtiq; qui dicit, dominus est omnipotens: & qui misit, dominus est omnipotens. Ergo & patris & filij omnipotentia, sed tamē deus unus omnipotens, quia unitas potestatis est. Atq; ut scias Imperator Auguste Christum esse qui loquutus est & in Propheta & in Euangelio, tanquam in prædeterminatione Euangelij per Esaiam dicit: Ipse qui loquebar, assum: hoc est, assum in Euangelio qui loquebar in Lege. Deinde alibi, Omnia quæ pater habet, mea sunt. Quæ sunt omnia? Non utiq; loquutus est de creatis. hæc enim omnia facta sunt per filium: sed ea quæ pater habet, id est, æternitatem, maiestatem, diuinitatemq; nascendo possedit. Ergo cum qui omnia habet quæ pater habet, (scriptum est enim: Omnia quæ pater habet mea sunt) omnipotentem esse dubitare non possumus. Nec uereor, ne quia scriptum est de deo, Beatus & solus potens, à deo dei filius separetur: cum scriptura deum solum potētem dixerit, non patrem solum, & ipse de Christo deus pater asserat per prophetam, Posui adiutorium super potentē. Nō ergo pater solus potēs, sed potens etiā dei filius. In patre enim laudat & salius. Certē ostendat aliquis quid sit, quod nō possit dei filius. Quis ei adiutor cum cœlū faceret, fuit: Quis adiutor cum conderet mundum? An qui in constitutione angelorum & dominationum adiutore non eguit, eguit ut hominem liberaret? Scriptum est, inquit, Pater, si possibile est, transfer à me calicem hunc. Et ideo si omnipotēs est, quomodo de possibilitate ambigit? Ergo quia omnipotentem probaui, probaui utiq; ambigere eum de possibilitate nō posse. Verba, inquis, Christi sunt. Verum dicitis. Sed quando, & in qua forma loquatur aduerte. Hominis substantiam gessit, hominis assumpsit affectum. Deniq; supra habes quia progressus pusillum procidit in faciem suam, orans & dicens: Pater, si possibile est. Non ergo quasi deus, sed quasi homo loquit. Deus enim possibile ali quid aut impossibile nesciebat: Aut aliquid impossibile deo, cum scriptum sit: Impossibile enim tibi nihil est: De quo autē dubitat, de se, an de patre? De eo utiq; cui dicit, transfer. Et dubitat hominis affectu. Ergo propheta non putat aliquid impossibile deo. Propheta non dubitat, & filium dubitare tu credis? Nū infra homines constituis deū? Et dubitat de patre deus, & de morte formidat? Timet ergo Christus: & cū Petrus nō timeat, Christus timet: Petrus dicit, Animam meam pro te ponam, Christus dicit: Anima mea turbatur. Vtrumq; uerum est, & plenum utrumq; rationis: quod & ille qui est inferior, non timet: et ille qui superior est, gerit timentis affectum. Ille enim quasi homo uim mortis ignorat, iste quasi deus in corpore constitutus fragilitatem carnis exponit, ut eorum qui sacramentum incarnationis abiurant, excluderetur impietas. Deniq; & hæc dixit, & Manichæus non credidit, Valentinus negauit, Marcion phantasma iudicauit. Eousque autem hominem quem ueritate corporis demonstrabat, æquabat affectu, ut diceret: Sed ramen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis: cum utique similiter sit Christi uelle, quod pater uult, cuius similiter est facere, quod pater facit. Quo loco etiam illa uestra quaestio conticescit, quam soletis obijcere, quia dixit dominus: Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Et alibi: Ad hoc descendi de cœlo, non ut faciam uolūtatem meam, sed uoluntatem eius qui me misit. Ergo ut quasi interpositis plenioris expositionis paulisper inducīs, cur dixerit si possibile est, uoluntatis interim liberæ dominum fuisse doceamus. In tantum processistis impietatis, ut negetis quod filius dei liberæ uoluntatis sit. Ac certē solētis etiam sancto spiritui derogare, & negare non potestis scriptum esse: Spiritus ubi uult spirat. Vbi uult, inquit, non ubi iubetur. Ergo si spiritus ubi uult spirat, filius quod uult non agit? Et certe idem dei filius in Euangelio suo dicit, ubi uelit spirandi suppeterē spiritui facultatem. Nunquid ergo supertorē fatetur, quia illi licet, quod sibi nō licet? Apostolus quoq; dicit, Quia omnia operatur unus atq; idem spiritus, diuidēs singulis prout uult. Prout uult, inquit, hoc est, pro liberæ uoluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. Et diuidit spiritus nō mediocria, sed quæ deus consueuit operari: gratiam curatio num, & operationem uirtutū. Ergo diuidit spiritus prout uult, filius dei nō liberat quem uult: Sed audi etiam ipsum agere quod uult. Dixit enim: Ut faciam uoluntatem tuam deus meus uolui. Et alibi: Voluntariē sacrificabo tibi. Sciuit sanctus Apostolus Petrus Iesum

Esa. 52

Ioan. 16

1. Timot. 6

Psalm. 88

Matth. 26

Ioan. 13

Ioan. 12

Matth. 26

Ioan. 6

Ioan. 3

2. Corin. 12

Psalm. 39

Psalm. 53

Iesum in potestate habere quæ uellet, & ideo quum uideret ambulare eum supra mare, ait: Domine si tu es, iube me uenire ad te super aquã. Petrus credidit, quia si Christus iubeat, naturæ possit conditio mutari, ut humanis se subijciat unda uestigijs, & discrepantium naturarum possit conuenire cõcordia. Petrus poscit ut iubeat, nõ ut roget Christus. Christus non rogauit, sed iussit, & factum est: & Arrius contradicit: Quid est tamen quod pater uelit, & filius nolit: aut filius uelit, & pater nolit: Pater quos uult uiuificat, & filius quos uult uiuificat: sicut scriptum est. Dic nunc quos uiuificauerit filius: & pater uiuificare noluerit. Cum autem filius quos uelit uiuificet, & operatio una sit: uides quia non solum filius uoluntatẽ patris, sed etiam pater filij faciat uoluntatem. Quid est autem uiuificare, nisi per filij passionem: Passio autem Christi, uoluntas est patris. Quos ergo filius uiuificat, per patris uiuificat uoluntatem. Vna igitur est uoluntas. Quæ autem uoluntas patris, nisi ut ueniret Iesus in hunc mundum, & nos mundaret à uitijs: Audi leprosum dicentẽ: Si uis, potes me mundare. Respondit Christus, Volo. & statim sequutus est effectus sanitatis. Vides quia filius arbiter suæ uoluntatis est, & Christi uoluntas eadem quæ paterna est: quanquã cum dixerit: Omnia quæ pater habet, mea sunt: sine dubio quia nihil excipitur: quam pater habet, eandem habet & filius uoluntatem. Vna ergo uoluntas, ubi una operatio. In deo enim uoluntatis series, operationis effectus est. Sed alia uoluntas hominis alia dei. Denique ut scias uisam in uoluntate esse hominis, quia mortem timeamus: passionem autem Christi in uoluntate diuina, ut patere pro nobis: cum Petrus dominum uellet à passione reuocare, dominus ait: Non scis ea quæ dei sunt, sed quæ sunt hominum. Suscepit ergo uoluntatẽ meam, suscepit tristitiã meam. Cõfidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico. Mea est uoluntas, quam suam dixit: quia ut homo suscepit tristitiam meã, ut homo loquutus est. Ideo ait: Nõ sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Mea est tristitia, quam meo suscepit affectu. Nemo enim moriturus exultat. Mihi cõpatitur, mihi tristis est, mihi dolet. Ergo pro me & in me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret. Doles igitur domine Iesu, non tua sed mea uulnera: non tuam mortẽ, sed nostram infirmitatem, sicut ait propheta: Quia pro nobis dolet. Et nos domine æstimauimus te esse in doloribus, cum tu nõ pro te, sed pro me doleres. Et quid mirum si pro omnibus doluit, qui pro uno fleuit: Quid mirum si moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazarum resuscitaturus illachrymat: Verum & ibi piæ sororis lachrymis cõmouetur, quia mente humana tangebatur, & hic alto operatur affectu: ut sicut mors eius mortem abstulit, liuor eius ulcera nostra curauit: ita etiam mœrorem nostrum mœror eius aboleret. Ut homo ergo dubitat, ut homo turbatur. Nõ turbatur eius uirtus, nõ turbatur eius diuinitas: sed turbatur anima, turbatur secundum humanæ fragilitatis assumptionem. Et ideo quia suscepit animam, suscepit & animæ passiones. Nõ enim deus eo quod deus erat, aut turbari aut mori potuisset. Denique, deus deus, inquit, meus quare me dereliquisti: Ut homo ergo loquitur, meos circumferens metus, quod in periculis positi à domino deserui nos putamus. Ut homo turbatur, ut homo flet, ut homo crucifigitur. Sic enim & Apostolus Paulus dixit: Quia Christi carnem crucifixerunt. Et alibi Apostolus Petrus ait: Christo passo secundum carnem. Caro igitur est passa, diuinitas autem mortis libera: passioni corpus naturæ humanæ lege concessit. An uero mori diuinitas potest, cum anima non possit: Nolite, inquit, timere eos qui corpus possunt occidere, animam autem non possunt. Si ergo anima occidi non potest, quomodo diuinitas potest:

De domino maiestatis dei filio.

Cap. IIII

1. Corin. 2

Vnde illud quod lectum est, dominum maiestatis crucifixum esse non quasi in maiestate sua crucifixum putemus: sed quia idem deus, idem homo: per diuinitatem deus, per susceptionem carnis homo Iesus Christus: dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors utriusque naturæ, id est humanæ atque diuinæ: in natura hominis subiit passionem, ut indiscretẽ & dominus maiestatis dicatur esse qui passus est, & filius hominis, sicut scriptum est, qui descendit de cœlo. Per naturam igitur hominis & dubitauit & tæduit & resurrexit. Quod enim ceciderit, hoc resurgit. Per naturam hominis dicit etiam illud de quo calumniari solent, quia dictum est: Vado ad patrem, quoniam pater maior me est. Quomodo tradit nisi per mortem, & uenit nisi per resurrectionem: Denique addidit, ut de assumptione se dixisse signaret: Propterea dixi uobis priusquam

1. Corin. 14

priusquam fiat, ut cum factū fuerit, credatis. Loquebatur enim passionē suā corporis & resurrectionem, per quam credere cōperant qui ante dubitabāt. Neq̄ enim deus de loco ad locum transit: quī ubiq̄ semper est. Vt homo est qui uadit, ipse qui uenit. Denique & alibi dicit: Surgite eamus. In eo ergo uadit & uenit, quod est cōmune nobiscum. Nam quomodo potest minor esse deus, cum deus perfectus & plenus sit? Sed minor in natura hominis: & miraris si ex persona hominis patrem dixit maiorem, qui in persona hominis se uermem dixit esse, non hominem? Dixit enim: Ego autem sum uermis, & non homo. Et alibi: Sicut ouis ad occisionem ductus est. Si in hoc minorē dicis, negare non possum. Sed ut uerbo utar scripturæ, non minor natus, sed minoratus, hoc est, minor factus est. Quomodo autem minor factus, nisi quia cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualē deo, sed semetipsum exinaniuit? Non amittens utiq̄ quod erat, sed assumens quod non erat: quia formam serui accepit. Deniq̄ ut sciremus per susceptionem corporis minoratū, de homine se Dauid prophetare signauit dicens: Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, nisi quia uisitas eum? Minorasti eum paulominus ab angelis. Hoc ipsum interpretatus Apostolus, ait: Nā paulominus minoratum ab angelis uidemus Iesum, propter passionē mortis gloria & honore coronatū, ut sine deo pro omnibus gustaret mortē. Nō solum ergo à patre, sed etiam ab angelis minor filius dei factus est. Et si hoc ad præiudiciū trahis: nū ergo filius in natura dei minor est, quam sui angeli qui ei seruiūt & ministrāt? Ita dū minorē uultis asserere, impietatem incurritis, ut angelorū naturā dei filio præferatis. Sed nō est seruus supra dominū suum. Deniq̄ & in carne constituto angeli ministrabant, ut nihil ei ignoscas per naturā corporis imminutum. Neq̄ enim deus sui pati potuit detrimentum: cum id quod absumpsit ex uirgine, nec accessio diuinæ nec diminutio potestatis sit. Non est ergo secundum diuinitatem minor, qui plenitudinem habet diuinitatis & glorię. Maior enim & minor in iis quæ corporalia sunt, distingui solent: aut statu maior, aut plenitudine, aut certe etate. Vacat ista, ubi de diuinis tractatus inducitur. Maior etiam uulgo dici solet, qui aliquem instituit & informat. In dei autem sapientiam nō cadit, ut instituta sit alterius disciplinis, cum ipsa disciplinarum omnium tradiderit institutū. Quam bene autē posuit Apostolus, quod sine deo pro omnibus gustauerit mortem, ne diuinitatis illam passionem putaremus fuisse, non carnis. Ergo si non inuenerūt quemadmodū possent probare maiorem, non uerbis calumnientur, sed uerborum rationem requirāt. Ego illos interrogo qui putant esse maiorem, si quia pater est, eo maiorem putant. Sed non hic ætas & tempus, neque canities patris, & filij pueritia est. Hæc enim maiorem solēt fateri patrem. Cæterum pater & filius, generantis & nati nomina sunt, quæ non uidentur separare, sed iungere. Non enim pietas, naturæ detrimentum est. Namq̄ homines sibi inuicem cōciliat necessitudo, non separat. Itaq̄ si nec de natura afferre possunt aliquam quæstionē, uel testimonijs credant. Deniq̄ filium non esse eo minorem quia filius est, Euangelista testatur: & equalem esse quia filius est, ipse significat dicens: Propterea enim uolebāt eum occidere Iudæi, quia non solū soluebat sabbatū, sed & patrem propriū dicebat deum, æqualem se faciens deo. Nō Iudæi hoc dicunt, sed euangelista testatur, quod æqualem se faciebat deo, propriū se filiū dei dicens. Non enim scriptum est ex persona Iudæorum dicentium, Propterea uolebamus eum occidere: sed Euangelista ex sua persona dicit, Propterea enim uolebant illum Iudæi occidere. Et interpretatus est causam, ideo Iudæos ad necem eius esse commotos, quod cum & sabbatum quasi deus solueret, deum patrem sibi propriū uindicaret, non solum in solutione sabbati maiestatem diuinæ potestatis, sed etiam in patris proprii nomine ius sibi æternæ æqualitatis ascisceret. Quibus aptissime respondit dei filius, ut & dei se filium, & equalem probaret. Quęcunq̄, inquit, pater fecerit, eadem & filius facit similiter. Filius igitur patri & dicitur & probatur æqualis. Bona æqualitas, quæ & differentiam diuinitatis excludit, & cum filio patrem signat, cui filius sit æqualis. Non est enim diuersa nec singularis æqualitas, quia nemo æqualis, ipse sibi solus est. Ergo Euangelista interpretatus est quid sit propriū filium dei se dicere, hoc est, æqualem se facere deo. Vnde id sequutus Apostolus dixit: Non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo. Quod enim quis non habet, rapere conatur. Ergo non quasi rapinam habebat æqualitatem cum patre, quam in natura sui tanquā deus & dominus

Psal. 21

Philip. 2

Psal. 8

Matth. 10

Matth. 4

Hebr. 2

Ioan. 5

Ioan. 5

Philip. 2

minus possidebat. Vnde addidit, Formam serui accepit. Contrarium utiq; seruus, æqua-
 lis. Æqualis ergo in dei forma, minor in susceptione carnis, & hominis passione. Nam
 quomodo eadē posset minor esse æqualisq; natura? Quomodo autem si minor est, eadē
 similiter facit quæ pater facit? Nam quemadmodum eadem operatio diuersæ esset pote-
 statis? Nunquid sic potest minor, quemadmodum maior operari? aut una operatio po-
 test esse, ubi diuersa substantia est? Itaq; accipe Christum secundum diuinitatem mino-
 rem non posse dici. Ipse loquitur ad Abraham: Per me ipsum iuravi. Ostendit autē Apo-
 stolus eum, qui per se iurat, minorem esse non posse. Itaq; sic ait: Abraham cum repromi-
 sisset deus, quoniam nullum alium maiorem habebat, iurauit per seipsum, dicens: Nisi
 benedicendo benedixero te, & multiplicando multiplicauero te. Ergo maiorem non
 habuit Christus, & ideo per se iurauit. Et bene addidit: Homines enim per maiorem se
 iurant, quia homines maiorem habent, deus non habet. Aut si uolunt de patre dictū ui-
 deri, reliqua non coherent. Neq; enim pater uisus est Abraham, nec deo patri pedes lauit,
 sed in eo futuri hominis est figura. Deniq; filius dicit: Abraham diem meum uidit, & ga-
 uisus est. Ipse est ergo qui per se iurauit, quem Abraham uidit. Et reuera quomodo ma-
 iorem habet, qui diuinitate cum patre unum est? Quod enim unum est, dissimile nō est.
 Inter maiorem autem minoremq; discretio est. Ergo de filio & patre præsentis docet le-
 ctionis exemplum, quia nec pater minorem habet, nec maiorem dei filius: cum in patre
 & filio nulla distantia diuinitatis sit, sed una maiestas. Nec illud sanè metuo, quod solent
 obtendere minorem esse, quia missus est. Si enim & minor non docetur, & honorificen-
 tiæ docetur æqualitas, cum ita omnes honorificent filium sicut honorificāt patrem. con-
 stat eo minorem non esse quod missus est. Non ergo humani sermonis angustias, sed
 uerborum charitatem intuere, operibus crede. Considera quia dominus noster Iesus
 Christus in Esaia loquutus est, ab spiritu sancto esse se missum. Nunquid ergo spiritum mi-
 nor filius, quia missus ab spiritu est? Habes igitur scriptum, quod filius à patre & spiritu
 eius dicat esse se missum. Ego sum, inquit, primus, & ego in æternum, & manus mea fun-
 dauit terram, dextera mea solidauit cælum. Et infra: Ego loquutus sum, ego uocaui, ego
 adduxi eum, & prosperum iter eius feci. Accedite ad me, & audite hæc, nō in occulto ab
 initio locutus sum. Cum fierēt, illic erā: & nunc dominus misit me, & spiritus eius. Vtiq;
 qui cælum fecit & terram, ipse dicit à domino & à spiritu eius esse se missum. Videte er-
 go quod simplicitas sermonis, non iniuria missionis sit. Ipse igitur missus à patre, ipse est
 missus ab spiritu. Et ut agnoscas nullam maiestatis esse distantiam, etiam filius spiritum
 mittit, sicut ipse dixit: Cum uenerit autem paracletus quem ego mittam uobis à patre
 meo, spiritum ueritatis, qui à patre meo procedit. Hunc eundem paracletum & à patre
 esse mittendum supra docuit, dicens: Paracletus autem spiritus ille sanctus, quem mittet
 pater in nomine meo. Vide unitatē: quia quē deus pater mittit, mittit & filius: & quē mit-
 tit pater, mittit & spiritus. Aut si nolunt filium missum, quia dexteram patris filium legi-
 mus, ipsi de patre quod de filio abnuunt, fatebuntur: nisi forte aut alterum sibi patrem,
 aut alterum sibi filium inueniant Arriani. Sileant igitur inanes de sermonibus quæstio-
 nes, quia regnum dei, sicut scriptum est, non in persuasionem uerbi est, sed in ostensione
 uirtutis. Seruemus distinctionē diuinitatis & carnis. Vnus in utraq; loquitur dei filius,
 quia in eodem utraq; natura est. Et si idem loquitur, non uno semper loquitur modo. In-
 tende in eo nunc gloriam dei, nunc hominis passiones. Quasi deus loquitur quæ sunt di-
 uina, quia uerbum est: quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substantia loque-
 batur. Hic est panis uiuus, qui descendit de cælo. Panis hic caro est, sicut ipse dixit: Hic
 panis quem ego dabo, caro mea est. Hic est qui descendit, hic est quem pater sanctifica-
 uit, & misit in hunc mundum. Hæc ipsa littera nos docet, sanctificatione non diuinita-
 tem eguisse, sed carnem. Deniq; ipse dominus dixit: Et ego memetipsum sanctifico pro
 ipsis: ut agnoscas quod & sanctificatur in carne pro nobis, & diuinitate sanctificat. Hic
 idem est quem pater misit, sed factum ex muliere, factum sub lege, ut Apostolus dixit.
 Hic est qui ait: Spiritus domini super me: propter quod unxit me: Euangelizare pau-
 peribus misit me. Hic est qui dicit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit. Si quis
 uoluerit uoluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex deo est, an ego à me-
 ipso loquar. Alia ergo ex deo doctrina, alia ex homine. Itaque ludæi cum doctrinam
 eius se-

eius secundum hominem quærent & dicerent: Quomodo hic literas nouit, cum non didicerit: respondit Iesus & dixit: Mea doctrina, non est mea. Nam cum sine eruditione literarum doceat, nõ quasi homo, sed potius ut deus uideatur docere, qui doctrinam non didicerit, sed inuenerit. Adinuenit enim omnem uiam disciplinæ, ut supra lectum est. Nam utiq; de filio dei dictum est: Hic est deus noster, & non æstimabitur alius ad eum, qui adinuenit omnem uiam disciplinæ. Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est. Quomodo ergo secundum diuinitatem doctrinam suam non habet, qui adinuenit omnem uiam disciplinæ antequam uideretur in terris: aut quomodo minor, de quo dictum est: Non æstimabitur alius ad eum: Vtq; incomparabilis dicitur, ad quem nemo alius æstimari potest. Sed ita incomparabilis, ut & patri nequeat anteferrî. Quod si de patre dictum putant, impietatem Sabellij non euadent, ut patri susceptionem humanæ carnis attribuant. Persequamur sequentia. Qui à semetipso, inquit, loquitur, gloriam suam quærit. Vide unitatem, quæ & patrem signat & filium. Non potest non esse qui loquitur, sed non potest à semetipso esse quod loquitur, in quo naturaliter ex patre sunt omnia. Quid est autem, Gloriam suã quærit: Hoc est, non diuisam à patre gloriam. Nam utiq; & uerbum deus habet gloriam. Deniq; dicit: Vt uideant gloriam meam. Sed illa uerbi gloria, eadem patris gloria est, sicut scriptũ est: Dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Ita igitur secundum diuinitatem dei filius suam gloriam habet, ut patris & filij una sit gloria. Non ergo minor in claritate, quia una gloria: non minor diuinitate, quia plenitudo diuinitatis in Christo est. Et quomodo, inquit, scriptũ est: Pater, uenit hora clarifica filium tuum: Qui hoc dicit, clarificatione, inquit, indiget. Hucusq; ocularios habes: quod reliquum est non legisti: Sequitur enim: Vt filius tuus clarificet te. Nunquid & pater indiget, qui clarificandus à filio est: Pari modo obedientiam filio obijcere solent, quia scriptum est: Et specie inuētus ut homo, humiliãuit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Et hominem præmisit, & usque ad mortem dixit, ut intelligeremus obedientiam mortis, non diuinitatis fuisse, sed incarnationis: in qua & officia nostra suscepit, & nomina. Didicimus itaque unam esse potentiam trinitatis, quam nos in ipsa atque post ipsam docuit passionem. Filius enim patitur per corporis sacramentum, Apostolis spiritus sanctus infunditur, pater quoque maxima uoce signatur. Didicimus unam patris & filij esse imaginem, unam similitudinem, unam sanctificationem. Didicimus unam esse operationem, unam gloriam, unam quoq; diuinitatem. Vnus ergo & solus deus, quia scriptum est: Dominũ deum tuũ adorabis, & illi soli seruias. Vnus deus, nõ ut ipse sit pater & filius, sicut impius Sabellius asserit, sed quia patris & filij spiritusq; sancti una diuinitas sit: ubi autẽ una diuinitas, una uoluntas, una præceptio. Denique ut scias & patrem esse, & filium esse, & unum opus patris & filij esse, Apostolum sequere, qui dixit: Ipse autẽ deus, & pater noster, & dominus Iesus dirigat uiam nostram ad uos. Et patrem loquitur, & filium loquitur: sed unitas directionis est, quia unitas potestatis est. Sic & alibi habes: Ipse autem dominus noster Iesus Christus, & deus & pater noster qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, consoletur corda uestra, & confirmet. Quantam unitatem ostendit, ut consolationis unitas non pluralitas sit: Conticescat ergo perfidia, aut si ratione non uincitur, morali humanitate flectatur. Consideremus quam moraliter egerit dominus, ut nos non solum fidem, sed etiam mores doceret. Nanq; in forma hominis constitutus, subditus erat Ioseph & Mariæ. Nunquid ergo minor & hominibus, quia subditus: Aliud pietatis, aliud potestatis est: sed non præiudicat pietas potestati. In eo ergo legis subditum patri, in corpore sci licet, in quo erat subditus matri. Agamus & nos moraliter, persuadeamus illis quod sibi proffit, obsecremus & ploremus ante dominũ qui fecit nos. Nõ enim uincere uolumus, sed sanare: non insidiosè agimus, sed religiosè monemus. Sæpe flectit humanitas, quos nec uirtus potuerit superare, nec ratio. Deniq; dominus illum hominẽ qui ex Hiericho descendens incidit in latrones, quem non asperioribus legis medicamentis, non prophético rigore curauerat, oleo curauit & uino. Veniant ergo ad hunc omnes qui sanari uolunt, accipiant medicamentum quod & à patre detulit, & præparauit in cœlo, ex illis confectum immortalibus succis. Hoc ex terra non pullulat: expers enim omnis natura huius confectionis. Diuino enim cõsilio suscepit hanc carnem, ut ostenderet legem carnis legi

Baruch. 3

Ioan. 7

Colof. 2

Ioan. 17

Philip. 2

Matth. 4

1. Thes. 3

Luc. 2

Psalm. 94

Luc. 10

nis legi esse subditam mentis. Suscepit carnē, ut quasi homo uinceret, qui homines erant
 dicit. Quid mihi prodesset, si quasi deus exerta potestate diuinitatē suam tantummodo
 inuolabilem demonstrasset? Aut cur susciperet carnem, nisi ut tentari se naturæ atq; in-
 firmitatis meæ conditione patēretur? Tentari debuit, compati mihi debuit, ut scirem
 quemadmodum tentatus uincerem, compassus euaderem. Vicit per continentiam, ul-
 cit per contemptum diuitiarum, uicit per fidem: calcauit ambitionem, fugauit intempe-
 rantiam, lasciuiam relegauit. Hoc medicamentum Petrus uidit, & retia sua, instrumenta
 uidelicet quæstus & subsidia dereliquit, renunciāns carnis concupiscentiæ tanquā cor-
 ruptæ nauis, in quam quasi sentina quædam multarum ingreditur passionum. Magnum
 ergo medicamentum, quod nō solum cicatricem uetusti uulneris amputauit, sed etiam
 causam passionis incidit. O fides thesauris omnibus opulentior, O uulnerum nostro-
 rum peccatorumq; medicina præstantior. Consideremus quia nobis prodest bene cre-
 dere. Mihi enim prodest scire, quia propter me Christus suscepit meas infirmitates, mei
 corporis subiit passiones: pro me peccatum, hoc est, pro omni homine, pro me maledi-
 ctum factus est, pro me atq; in me subditus atq; subiectus: pro me agnus, pro me uitis,
 pro me lapis, pro me seruus, pro me filius ancillæ, pro me diem iudicij ignorans, pro me
 nesciens diem aut horam. Nam quomodo posset diem nescire, qui dies fecit & tempo-
 rar? Quomodo posset diem ignorare iudicij, qui & horam iudicij futuri expressit & caus-
 sam? Factus ergo maledictum non secundum diuinitatem, sed secundum carnem. Scri-
 ptum est enim: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Secundum carnem utiq; pependit,
 & ideo maledictum, qui nostra maledicta suscepit. Ille fleuit, ne tu homo diu fieres:
 Ille iniurias passus est, ne tu iniuriam tuam doleres. Grande remedium, solatium habere
 de Christo. Ille enim pro nobis hæc patientius tulit, & sumus qui patienter hæc pro illius
 nomine ferre nequeamus? Quis appetitus non discat ignoscere, quando & pro persecu-
 toribus suis Christus & crucifixus orabat? Vides ne illas quas tu putas Christi infirmita-
 tes, tuas esse uirtutes? Cur de remedijs nostris ei quæstionem mouemus? Lachrymæ ille
 nos lauant, fletus illi nos abluunt, ac dubitatio illa nos firmat, ne tu si cœperis dubitare,
 desperes. Quanto maior est iniuria, tanto uberius debetur gratia. Sed & in ipsis iniurijs
 cognosce diuinitatem. In cruce pendeat, & elementa ei omnia seruibant. Sol refugit,
 dies occidit, obfusæ & circumfusæ tenebræ, terra tremuit, non tremuit qui pependit.
 Quid aliud hæc, quam authoris reuerentiam signant? Quia in cruce est, uides: quia re-
 gnum dei donat, non uides? Quia mortem gustauit, legis: quia latronem quoq; ad para-
 disum inuitauit, non legis? Mulieres flentes intueris ad tumulum, non intueris angelos
 excubantes? Quid dixerit legis, quid gesserit non legis? Dicis Chananæ mulieri dixit
 se dominum, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel: nō dicis, quoniam
 id quod ab ea rogatus est fecit? Vnde intelligere te conuenit, quia missus non id signifi-
 cat, quod alieno sit coactus imperio, sed quod uoluntario functus sit arbitratu: alioquin
 contemptum ostendit patris. Si enim, ut tu interpretaris, paternorum famulus præce-
 ptorum Christus uenerat in Iudæam, ut solis eius incolis mederetur, & Chananæ prius
 filiam (ut legimus) liberauit: non utiq; alieni fuit executor imperij, sed uoluntarij liber
 arbitrij. Vbi autem libertas uoluntatis, ibi nulla præuaricatio missionis. Nec uereare ne
 displiceat patri quod fecit filius, cum ipse dicat: Quæcunq; placita sunt ei, facio semper.
 Et alibi: Opera quæ ego facio, ipse facit. Quomodo ergo patri potuit displicere, quod ip-
 se fecit per filium? Vnus enim deus, sicut scriptum est, qui iustificauit circumcisionem ex
 fide, & præputium per fidem. Omnia lege, omnia diligēter aduerte, inuenies sic demon-
 strasse se Christum, ut deus in homine cerneretur. Nec malitiose accipias de patre filium
 gloriantem cum audias patrem in filio complacentem. Sed si moralibus flecti non que-
 unt, prouocemus ad iudicem. Ad quem tandem ibimus? Nempe ad eum qui iudicium
 dedit filio. Dedit utiq; generando, non largiendo. Vide quàm te noluerit filio suo dero-
 gare, ut tibi ipsum iudicem daret. Videamus ergo ante iudiciū quis causam meliorem
 habeat, ego, an tu. Nempe prudentis actoris est, prius cōciliare sibi iudicem. Hominem
 honoras, deum non honoras? Quid ergo conciliat cognitorem, honorificentia, an iniu-
 ria? Pone me peccasse, quod non est, num offenditur honore suo Christus? Peccamus
 omnes.

omnes. Quis ergo ueniam promerebitur, qui defert honorificentiam, an qui irrogat contumeliam? Aut si te ratio non mouet, species saltem iudicij ipsa commoueat. Attolle oculos ad iudicem tuos, intuere qui sedeat, cum quo sedeat, ubi sedeat. Sedit Christus ad dexteram patris. Aut si oculis hoc non potes comprehendere, audi dicentem prophetam: *Mar. 16*
Dixit dominus domino meo, sede ad dexteram meam. Sedit ergo ad dexteram patris filius. Dic nunc qui de secularibus arbitraris aestimanda diuina. Num tibi uideatur inferior *Psal. 109*
qui ad dexteram sedet? Num iniuria patris, quia ad sinistram sedet? Pater honorat, & tu iniuriam putas? Pater mauult id esse pietatis exemplum, & tu putas praecptionis imperium? De morte surrexit, & ad dexteram dei sedet. Sed dixit, inquis, pater. Accipe etiam ubi non dicit pater, & praedicat filius: A modo uidebitis filium hominis sedentem ad dexteram uirtutis. Et hoc de assumptione corporis dicit. Hinc dicit: Sede ad dexteram meam. *Matt. 26*
Nam si de aeterna sede diuinitatis quaeris, interrogatus a Pilato si ipse esset rex Iudaeorum, ait: In hoc sum natus. Vnde & Apostolus monet, hoc esse nobis utile, si Christum non ex *Ioan. 18*
praeccepto neque ex gratia, sed quasi dilectissimum filium ad dexteram dei sedere credamus. *Col. 3*
Sic enim habes: Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est ad dexteram dei sedens, quae sursum sunt sapite. Hoc est enim superiora sapere, credere quia Christus ut sedeat, non *Psal. 109*
quasi iussus obsequitur, sed quasi filius dilectissimus honoratur. Propter rationem ergo corporis dicit: Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum *Ioan. 6*
tuorum. Quod si & hoc ad calumniam trahis, quia pater ad filium dixit, Ponam inimicos tuos: etiam pater trahit ad filium quos filius suscitet atque uiuificet. Nemo enim, inquit, potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et tu filium dei pro infirmitate dicis esse subiectum, cui pater attrahit, quos ille *in nouissimo die suscitetur? Haec tibi uidetur esse subiectio, in qua regnum patri paratur, cum pater ad filium trahat, & calumniae locus non sit, cum patri regnum filius tradat, nec aliquid praefertur? Haec enim documenta pietatis sunt, quod & pater filio, & filius patri tradat. Ita enim sibi tradunt, ut neque ille qui accipit quasi alienum acquirat, nec qui tradit amittat. Ad dexteram quoque sedere nulla praeratio est, neque ad sinistram iniuria. Diuinitas enim gradum nescit, nec loco aliquo circumscribitur, nec temporibus definitur. Angustis animis homines ista pensamus. Nulla differentia charitatis, nullum discrimen est unitatis. Sed cur longius euagamur? Circumspectasti omnia, uidisti iudicem, aduertisti angelos praedicantes. Illi laudant, & tu uituperas? Dominationes & potestates uenerantur, & tu calumniaris? Adorant omnes sancti eius: non adorat dei filius, non adorat *Isa. 6*
spiritus sanctus. Seraphim dicunt: Sanctus, sanctus, sanctus. Quid sibi uult sub uno nomine sanctitatis, trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia pater & filius & spiritus sanctus sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne filium sequestraret: non bis, ne spiritum praeteriret: non quater, ne creaturas coniungeret. Et ut ostenderet trinitatis unam esse deitatem, cum tertio dixisset: Sanctus, sanctus, sanctus: addidit singulariter: Dominus deus Sabaoth. Sanctus igitur pater, Sanctus filius, Sanctus & dei spiritus. Adoratur igitur trinitas, non adoratur: laudatur trinitas, non laudatur. Ego malo sicut Seraphim credere, & sicut omnes potestates uirtutesque coelestes adorare. Igitur prosecutionem tuam uideamus, quemadmodum concilies tibi iudicem. Dic sane, dic inquam, Ego te Christe puto esse dissimilem. Dic aliud. Creaturam, inquis, te arbitror. Respondet & Christus: Si duorum *Deut. 13*
minimum testimonium uerum est, tu nec mihi, nec patri saltem credere debuisti, qui genitum nominauit? Bonum nego. Dicit & ille: Fiat tibi secundum fidem tuam, ut tibi bonus non sim. Omnipotentem non arbitror. Respondet & ipse: Non possum ergo tibi tua peccata donare. Subiectum dico. Refert ad hoc: Cur igitur libertatem ac ueniam ab eo petis, quem putas pro seruitio esse subiectum? Video haerere prosecutionem tuam: non urgeo qui peccatorum meorum ipse sum conscius. Non inuideo ueniam, quia ipse opto indulgentiam: uotum tuum scire desidero. En allego apud iudicem desideria tua: non prodo crimina, seriem tuorum expecto uotorum. Dic itaque ea quae in communi uoto sunt, dic inquam: Domine fac me ad imaginem dei. Respondet ille: Ad quam *Ioan. 8*
imaginem? Quam negasti? Dic, Fac me incorruptibilem. Referet utique, Quomodo te*

incorruptibilem facere possum, quem tu creaturam dicendo, capacem corruptibilitatis
1. Cor. 15 esse uoluisti: Mortui resurgēt incorrupti, & tu corruptibilem dicis quem deum cernis?
Leuit. 19 Dic, bonus esto mihi. Dicet tibi: Quid postulas, quod negasti? Ego te bonum uolui, e-
Mar. 2 go dixi: Estote sancti, quoniam ipse sanctus sum: & tu mihi id negare contendis: Expe-
 ctas ueniam peccatorum: Sed nemo potest donare peccata nisi solus deus. Itaque cum ue-
Psal. 52 rus & solus tibi deus non sim, non possum utique tua peccata donare. Hæc Arrianus di-
 cat. Et Fotinianus: Nego te, inquit, deum. Respondet & dominus: Dixit insipiens in
 corde suo, non est deus. De quo dictum putas, de Iudæo, de Gentili, an de diabolo? De
 quo uis dictum sit Fotiniane, tolerabilior est ille qui tacuit. Tu uero & uoce ausus es di-
Psal. 81 cere, ut insipiente insipientior probareris. Negas ergo, inquit, deum, cum ego dixerim,
 Dij estis, & filij excelsi omnes: & tu deum negas, cuius opera diuina circumspicis? Dicat
 & Sabellianus: Ego te ipsum patrem & filium & spiritum sanctum arbitror. Respondet
 & dominus: Non audis patrem, non audis filium: Nunquid hic ulla confusio est? scriptu-
Ioan. 8 ra ipse te docet patrem esse qui detulit iudicium, filium esse qui iudicat. Non audisti me
 dicentem: Solus non sum, sed ego, & qui misit me pater: Dicat & Manichæus: Ego au-
 thorem carnis meæ diabolum credo. Respondet ergo: Quid facis in cœlestibus? Va-
 de ad authorem tuum. Ego eos uolo mecum esse, quos dedit mihi pater. Tu te à diabolo
 creatum Manichæe arbitraris, ad illius ergo festina sedem, ubi ignis & sulphur, ubi non
 restinguitur eius incendium, nec unquam pœna moritur. Mitto alia hæreticorum por-
Mich. 6 tenta, non nomina, qui dicunt: Qui dies erit iudicij, quæ erit forma sententiæ? Respon-
 debit his omnibus & ille moraliter: Populus meus, quid feci tibi, aut quid contristauit te?
 Nonne ex Aegypto eduxi te, & ex domo seruitutis liberaui te? sed parum est ex Aegy-
 pto liberaffe, & ex domo seruitutis eripuisse: plus est te ipsum dedisse pro nobis. Dices er-
 go: Nonne uestras omnes suscepi iniurias? Nonne corpus meum pro uobis obtuli? Nō
Psal. 20 ne referuntur gratiæ? Hoc profecit sanguis meus, sicut in propheta ipse iam dixi: Quæ
 utilitas in sanguine meo, quia descendi in corruptionem? Hoc ergo profeci, ut me im-
 pie negaretis, pro quibus ista sustinui: Ego uero tunc domine Iesu etli grauium peccato-
 rum mihi ipse sim conscius, dicam tamen, non te negaui, habes quod ignoscas fragilita-
 ti carnis. Delictum fateor, peccatum non abnuo. Si uis potes me saluare: quia hoc qui di-
 xit, emeruit. Ne quæso in iudicium intres cum seruo tuo. Non quæro ut iudices, sed ut ig-
 noscas. Quid putamus Christū iudicaturum? Ego scio iudicaturum. dico, imò iam iudi-
Ioan. 5 cauit. Tenemus eius sententiam. Omnes, inquit, honorificent filium, sicut honorificant
 patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum. Si displicet
 sententia, appella ad patrem, rescinde iudicium, quod pater detulit. Dic quia dissimilem
Gen. 1 habet filium: Respondet tibi: Ego ergo mentitus sum, qui dixi filio: Faciamus hominem
 ad imaginem & similitudinem nostram: Dic, quia creauit. Respondet tibi: Cur ergo ad-
 orasti, quem creaturam putasti? Dic, quia minorem genuit filium. Respondet, Meri-
Matt. 17 re, uideamus. Dic, quia ei non debuisti credere. Refert ad hoc: Non tibi dixeram: Hic est
Ioan. 17 filius meus dilectissimus, in quo complacui, ipsum audite: Quid est, ipsum audite: Dicē
Matt. 17 tem utique: Omnia quæ pater habet, mea sunt, Hoc audierunt Apostoli, sicut scriptū est:
 Et ceciderunt in faciem suam, & timuerunt ualde. Si ceciderunt qui confessi sunt, quid
 facient qui negarunt? Sed illos Iesus tetigit & leuauit: uos iacere patietur, ne uideatis glo-
 riam quam negastis. Videamus ergo quoniam quem filius damnat, & pater damnat. Et
 ideo honorificemus filium sicut honorificamus patrem, ut per filium ad patrem perue-
 nire possimus. Hæc ego Imperator Auguste carptim ac breuiter impolita magis propo-
 sui, quam enodata digessi. Quod si qua Arriani inconsummata arbitrantur, ego uix fa-
Matt. 16 teor inchoata. Si qua adhuc superesse opinantur, ego prope omnia. Infidelibus enim to-
 tum deest, abundat fidelibus. Denique una confessio Petri abudauit ad fidem Christo: Tu
 es Christus filius dei uiui. Sat est enim generationem scire diuinā, non diuisam, nō dimi-
Esa. 6 nutam, non deriuatoriam, non creatam. Hoc etiam totis scripturarum exponitur libris,
 nec adhuc ab impijs creditur. In crassatum est enim, ut scriptum est, cor eorū & auribus
 suis grauius audierunt, & oculos suos grauauerunt: nequando oculis suis uideant, & au-
 ribus audiant, & corde intelligant. Nāque more Iudaico aures suas Arriani claudere solēt,
 aut

aut ferere tumultus, quotiescunq; uerbum salutis auditur. Et quid mirum si humanis uocibus credere non soleant infideles, qui non credunt diuinis? Filius dicebat, sicut habes in Euangelio: Pater clarifica nomen tuum. Vox patris de cœlo audita est dicentis: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Infideles hæc audiebant, sed non credebant. Dicebat filius, respondebat pater. Dicebant Iudæi: Tonitruum factum est illi: alij dicebant, Angelus locutus est ei. Paulus quoq; sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, cum uoce Christi uocaretur ad gratiam, pluresq; comites pariter incederent, solus uocem Christi audisse se dixit. Adeo sancte Imperator, qui credit audit, & audit ut credat. Qui non credit, non audit, sed nec uult nec potest audire, ne credat. Atq; utinam quod in me est audire uellent ut crederent, audire cum bona charitate & mansuetudine, ut uerum querentes, non ueritatem impugnantes. Scriptum est enim, ut non intendamus fabulis & genealogijs interminabilibus, quæ quæstiones magis præstât quàm ædificationem dei, quæ in fide est. Finis autem præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide nõ ficta. A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in uaniloquiũ, uolentes esse legisdoctores, nõ intelligentes neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. Alibi quoq; idem Apostolus dicit: Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuita. Tales deserendos Apostolus dicit, qui quæstiones serunt, hoc est hæreticos: de quibus & alibi dicit quod discedent quidam a fide, intendentes spiritibus erroris, doctrinis dæmoniorum. Et Ioannes dicit hæreticos esse Antichristos, Arrianos utiq; designans. Hæc enim hæresis post omnes hæreses cœpit, & ex omni hæresi uenena colligit. Sicut enim de Antichristo scriptum est quia aperuit os suum in blasphemiam ad deum, blasphemare nomen eius, & bellum facere cum sanctis eius: ita & isti filio dei derogant, nec martyribus pepercerunt: & quod fortasse ille non faciet, scripturas falsauere diuinis. Itaq; qui dicit quia Iesus non est Christus, hic est Antichristus. Qui negat saluatorem mudi, negat Iesum: qui negat filium, negat & patrem, quia scriptum est: Omnis qui negat filium, negat & patrem. Neq; uero te Imperator pluribus tenere deo bello intentum, & uictoria de barbaris trophæa meditantem: Progredere plane scuto fidei septus, & gladium spiritus habens, progredere ad uictoriam superioribus promissam temporibus, & diuinis oraculis prophetatam. Namque & futuram nostri depopulationem, & bella Gothorum. Ezechiel illo iam tempore prophetauit. Sic enim habes: Propterea propheta fili hominis, & dic, O Gog, hæc dicit dominus: In die illa cum constituetur habitare populus meus Israel in pace, surges & uenies de loco tuo ab extremo Aquilonis, & gentes tecum multe, sessores equorum omnes, congregatio multa & magna, & uirtus copiosa, & descendet ad populum meum Israel, ut nubes operiet terram in nouissimis diebus, &c. Gog iste Gothus est, quem iam uidemus exisse, de quo promittitur nobis futura uictoria, dicente domino: Et de prædabuntur eos qui depredati eos fuerant, & despoliabunt eos qui sibi spolia detraxerant, dicit dominus. Eritq; in die illa, dabo Gog, hoc est Gothis, locum nominatum monumentum in Israel multorum uirorum congestum, qui superuenerunt ad mare, & per circuitum struet uallis peristomion, & obruet illic Gog & totam multitudinem eius, & uocabitur polyandrium Gog, & obruet eos domus Israel ut purgetur terra. Nec ambiguum sancte Imperator, quod qui perfidia alienæ pugnam excepimus, fidei catholice in te uigentis, habituri simus auxilium. Euidens enim antehac diuinæ indignationis causa præcessit: ut ibi primum fides Romano imperio frangeretur, ubi fracta est deo. Non libet confessorum neces, tormenta, exilia recordari, piorum sacerdotia, proditorum munera. Non ne de Thraciæ partibus per ripensem Daciam & Mysiam omnemq; Valeriam Pannoniorum, totum illum limitem sacrilegis pariter uocibus & barbaricis motibus audimus inhorrentem: Quid poterat nobis uicinia tam feralis inuehere? Aut quemadmodum res Romana tali tuta poterat esse custodia? Sed iam satis superq; omnipotens deus nostro exitio, nostroq; sanguine, confessorum neces, exilia sacerdotum, & nephas tantæ impietatis eluimus, satis claruit eos qui uiolauerunt fidem, tutos esse non posse. Conuertere domine, fideiq; tuæ attolle uexilla. Non hic aquile militares, neque uolatus auium exercitum ducunt: sed tuum domine Iesu nomen & cultus. Non hic infidelis aliqua regio, sed ea quæ confessores mittere solet Italia. Italia aliquando tentata, mutata nunquam: quam dudum ab hoste barbaro defendisti, nunc etiam uindicasti. Non hic

Ioan. 12

Act. 9

ad Tit. 3

1. Tim. 1

1. Tim. 2

1. Tim. 4

1. Ioan. 2

Apoc. 13

1. Ioan. 2

Ezech. 33

Hoc sigillat

subinde Hiero

nymus

imperatoris mens lubrica, sed fides fixa. Ostende nunc evidens tuę maiestatis indicium, ut is qui te uerum uirtutum dominum, & cęlestis militię ducem, is qui te ueram dei uirtutem credit esse atq; sapientiam, non temporalem utiq; nec creatam sed sempiternam, sicut scriptum est, dei uirtutem & diuinitatem, tuę maiestatis fultus auxilio, fidei suę trophęa mereatur.

1. Cor. 1

FINIS.

CAPITA LIBRI TERTII.

Qua ratione author ea quę in superioribus libellis breuiter digesta sunt, in hoc libro latius exequi curauerit. Cur etiam illicitum putari non debeat quod ad informationem uitę humanę comparisonem à poeticis fabulis deriuatam induxerit. Cap. I

Nostre salutis causa Christum corporis infirmitates suscepisse. Cap. II

Quomodo filius factus intelligatur. Quemadmodum etiam omnia per ipsum facta sint. Cap. III

Quid significet quod de incarnatione domini scriptum est: Deus creauit me principium uiarum suarum. Cap. IIII

De solutione obiectionis sumptę ex eo quod scriptum est: Post me uenit uir qui ante me factus est, cum confutatione erroris Arrianorum. Et quomodo iuxta mysticam intelligentiam historię de Booz & Ruth designatus fuerit Christus, qui ecclesiam sibi copulauit. Quomodo etiam sæpe ad causam pertineat cum Christus dicitur factus. Quomodo deniq; ipse idem sacerdos sit & hostia. Cap. V

Patris & filij unum esse regnum, & non diuisum. Cap. VI

Quod una sit maiestas & una gloria, una quoq; substantia patris & filij. Cap. VII

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIO-

LANENSIS DE FIDE AD GRATIANVM AVGVSTVM, LIBER TERTIVS.

Qua ratione author ea quę in superioribus libellis breuiter digesta sunt, in hoc libro latius exequi curauerit. Cur etiam illicitum putari non debeat quod ad informationem uitę humanę comparisonem à poeticis fabulis deriuatam induxerit. Cap. I



VONIAM clementissime Imperator, instruendi tui gratia, aliqua de fide mihi scribenda mandaueras, & uerecundantem coram etiam ipse fueras adhortatus, ideo quasi in procinctu positus, duos tantum conscripsi libellos, quibus uias quasdam fidei & semitas demonstrarem. Sed quoniam mens praua quorundam, serendis intenta questionibus, stilo laceffit uberiore confici, tuę quoq; pia me cura clemētię ad cętera uocat, uolens in pluribus experiri quem in paucis probasti, ea quę per paucis superius perstricta sunt, placuit paulo latius exequi, ne ea quasi diffidentia assertionis deseruisse potius quàm securitate fiducia propofuisse uideamur. Et quia hydrę nominis & Scyllei litoris comparisonem induximus, ut ostenderemus uel rediuita plantaria cauenda perfidię, uel famosa naufragia, si quis contra licitū putat colorem disputationis eiusmodi à poeticis fabulis deriuatū, & cum in fide nihil quod uituperare possit inuenerit, aliquid in sermone reprehendit, agnoscat non solū sentētię, sed etiam uersiculos poetarū scripturis insertos diuinis. Vnde enim illud: Huius & genus sumus, quod Paulus usu prophetico doctus usurpat? Nam & gigantes & uallē Titanum prophetici sermonis series non refugit. Et Esaias sirenas & filias passerū dixit, Et Hieremias de Babylone memorauit, quod habitabunt in ea filię sirenum: ut ostenderet Babylonis, hoc est secularis confusionis illecebras, uetustę lasciuię fabulis comparandas, quę uelut scopuloso in istius uitę littore, dulcem resonare quandam sed mortiferā cantilenā ad

Act. 17

ad capiendos animos adoleſcētium uiderentur, quam ſapiens etiam ab ipſo poeta Graeco inducitur quaſi quibuſdam prudentiae ſuae circūdatus uinculis praeteriſſe. Ita difficile iudicātū eſt ante aduētū Chriſti, etiā fortiores nō poſſe capi ſpecioſae delitijs uoluptatis.

Noſtrae ſalutis cauſa Chriſtum corporis infirmitates ſuſcepſiſſe. Cap. II

Q. Vod ſi poeta ille, pernicioſam mentibus hominum, & ſubeundis obnoxiam naufragijs, laſciuię ſecularis illecebram iudicauit, quid nos aſtimare oportet, quibus ſcriptum eſt: Carnis curam ne feceritis in concupiſcentijs? Et alibi: Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne alijs praedicans ipſe reprobus efficiar: Non enim per luxuriam nobis Chriſtus, ſed per ieiuniū ſalutem attulit. Neq; ille emerende gratiae ſuae cauſa, ſed noſtrae eruditionis gratia ieiunauit. Neq; infirmitate corporis uictus eſt ut eſuriret, ſed eſuriendo ſuſcepti corporis fidem praſtitit: ut non ſolum corpus, ſed etiā infirmitates noſtri corporis doceret a ſe eſſe ſuſceptas. Sicut ſcriptū eſt: Quoniam infirmitates noſtras accepit, & aegritudines noſtras portauit. Corporis eſt igitur, hoc eſt, noſtrū eſt, quod eſuriit, noſtrum eſt quod fleuit, quod triftis fuit uſq; ad mortem. Cur ad diuinitatem quae ſunt noſtra referunt? Corporis eſt, quod etiam factus aſſeritur. Deniq; ſic habes: Mater Sion dicet homo, & homo factus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Homo, inquit factus eſt, non deus factus eſt. Qui autem idem altiſſimus, idem homo, niſi mediator dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro nobis? Et hoc utiq; ad incarnationē pertinet. Redemptio enim noſtra per ſanguinem, remiſſio per poteſtatē, uita per gratiam. Quaſi altiſſimus donat, quaſi homo precatur. Aliud creatoris, aliud redemptoris eſt. Diſtincta licet, unius tamen autoris beneficia ſunt: decuit enim ut ille nos redimeret qui creauit. Quis autē neget Chriſtum eſſe altiſſimum ſignificatum? Nam qui aliter ſentit, deo patri ſacramentum incarnationis adſcribit. Sed hinc dubitari non poteſt quod altiſſimus Chriſtus ſit, cum etiam alibi dixerit de myſterio paſſionis: Dedit uocem ſuam altiſſimus, & mota eſt terra. Et in Euangelio habes: Et tu puer propheta altiſſimi uocaberis, praebis enim ante faciem domini parare uias eius. Qui altiſſimus? Dei filius. Ergo qui altiſſimus, deus Chriſtus. Et ſolus utiq; cum dicitur deus, non ſeparatur etiam dei filius. Qui enim altiſſimus, ſolus: ſicut ſcriptum eſt: Cognoscāt quoniam dominus nomen eſt tibi, tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram. Vnde etiam illud exploſum eſt: quod ſolēt ad calumniā deriuare, quod de deo ſcriptum eſt: Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. De deo enim ſcriptū eſt, quod eſt cōmune nomen patri & filio. Nam ſi ubicunq; deū legunt, negant etiam filium designari: & impij ſunt, diuinitatis potentiam filio denegando, & incarnatū patrem Sabelliana impietate adſtruere uidebunt. Dicant enim quomodo illud non impie de patre intelligere poſſint, quod Apoſtolus ait: In quo & conſurrexiſtis per fidem operationis dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis. Et aduertant de ſequentibus quid incurrant. Sequitur enim: Et cum mortui eſſetis delictis & praepotio carnis ueſtrae, uiuificauit nos cum illo, donans nobis delicta, delens quod aduerſum nos erat chirographū decreti, quod erat contrariū nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci, exuens ſe carnem. Ergo non deus pater ſolus intelligendus eſt qui ſuſcitauit carnem, & nō etiam filius cuius templum reſuscitatum eſt. Qui ſuſcitauit, utiq; & uiuificauit: qui uiuificauit & delicta donauit: qui delicta donauit, & chirographum tulit: qui chirographū tulit, affixit illud cruci: qui affixit illud cruci, carnem ſe exuit. Sed pater non ſe exuit carnem: non enim pater caro factus eſt, ſed uerbum, ſicut legimus, caro factum eſt. Vide tis ergo quod Arriani dum ſeparant à patre filium, in id periculum incidant, ut patrem paſſum eſſe commemorēt. Nos autem facile docemus de filij dictum operatione. Nam & ipſe corpus ſuum reſuscitauit, ſicut ipſe dixit: Soluite templū hoc, & in triduo reſuscitabo illud. Et ipſe uiuificat nos cum ſuo corpore. Sicut enim pater ſuſcitāt mortuos & uiuificat: ſic & filius quos uult uiuificat. Et ipſe delicta donauit dicēs: Dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Et ipſe chirographum affixit cruci, qui crucifixus eſt per corporis paſſionem. Nec alius ſe carnem exuit, niſi dei filius qui carnē ſe induit. Ipſe ergo ſignificatur deus, qui opus noſtrae reſurrectionis operatus eſt. Ergo cum legis deum, non ſepares patrem, non ſepares filium: quia diuinitas patris & filij una eademq; eſt. Et ideo nec ibi ſepares ubi legis, quod beatus & ſolus potens. De eo enim dictum eſt, ſicut habes: Praecipio co-

Rom. 13

1. Cor. 9

Eſa. 53

Pſal. 86

1. Tim. 1

Pſal. 17

Luc. 1

1. Tim. 6

Col. 2

Ioan. 2

Ioan. 5

Luc. 7

1. Tim. 6

- ram deo qui uiuificat omnia. Sed etiam Christus uiuificat. Conuenit ergo & patri & filio dei nomen, quando conuenit & operationis effectus. Persequamur & cetera. *Præcipio*, inquit, coram deo qui uiuificat omnia, & Christo Iesu. In deo est etiam uerbum sicut scriptum est: In deo laudabo uerbum. In deo sempiterna sua uirtus est Iesus, in deo igitur unitatem diuinitatis, in Christi autem nomine incarnationis testificatus est sacramentū.
- 1. Tim. 6* Denique ut de incarnatione Christi se dixisse ostenderet, subdidit: Qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serues mandatum sine macula usque in aduentum domini nostri Iesu Christi: quem suis temporibus ostēdet beatus & solus potens, rex regum & dominus dominantium: qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem; quem uidit hominum nemo, sed nec uidere potest. Ergo de deo hæc scripta sunt, cuius nominis & dignitas & ueritas communis est filio. Cur igitur hoc loco filius separatur, cum etiam filio hæc cuncta conueniant? Aut si non conueniunt: ne ga deum, ut neges quæ deo sunt conuenientia. Beatus negari non potest, qui beatitudines donat. Beati enim quibus remissæ sunt iniquitates. Beatus negari non potest, qui sanam doctrinam tribuit, sicut scriptum est, quæ est secundum Euangelium claritatis beati dei. Potens abnuī non potest, de quo pater dicit: Posui adiutorium super potētem. *Immortalitatem* autē eius quis audeat diffiteri, cū etiam alijs immortalitatem ipse largitus sit, sicut scriptum est de sapientia dei: Per hanc habebō immortalitatem: sed alia immortalitas suæ naturæ, alia nostræ est. Non sunt fragilia comparanda diuinis: una sola substantia diuinitatis est, quæ mori nescit. Vnde & Apostolus cum sciret & animam & angelos immortales, quod solus deus immortalitatem habeat prædicauit. Nam & anima moritur. Anima enim quæ peccat, ipsa morietur. Nec angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in uoluntate est creatoris. Neque ad præiudicium trahas, quod non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Uriel. Et in ipsis enim naturæ capacitas uitio obnoxia, sed non obnoxia disciplinæ. Omnis enim rationalis creatura accidentia recipit, & subiecta iudicio est. In accidentibus autem & pœna iudicij & corruptela est & profectus. Vnde & Ecclesiastes ait: Quoniam omne opus suum deus adducet in iudicium. Ergo corruptelæ & mortis, etiam si non moriatur aut peccet, capax tamen omnis est creatura. Nec ex immortalis natura habet, sed ex disciplina uel gratia, si se in aliquibus ad uitia non mutat. Alia ergo immortalitas quæ donatur, alia quæ sine capacitate mutabilitatis est semper. An negatur immortalis diuinitas Christi, quia in carne pro omnibus mortem gustauit? Iam ergo melior Gabriel quam Christus, quia ille non est defunctus, hic mortuus est. Sed non est seruus supra dominum: aliena enim carnis infirmitas, alia diuinitatis æternitas. Mors carnis est, immortalitas potestatis est. Quod si diuinitas fecit ne caro uideret corruptionem, quæ utique corruptelæ erat obnoxia per naturam, quomodo mori posset ipsa diuinitas? Quomodo autem lucem inaccessibilem non habitat filius, cum in sinu patris filius sit? Lux autem pater, lux etiam ipse sit filius, quia deus lux est. Aut si aliam lucem inaccessibilem nisi diuinitatis putamus, nūquid melior patre lux est, ut non sit in luce, qui sicut scriptum est, & apud patrem est, & in patre? Non ergo separent filium cum legunt solum deum, nec patrem separent cum legunt filium solum. In terris filius sine patre nō est, & putas quod pater sine filio sit in cœlo? In carne est filius. cum dico in carne est, uel in terris, secundum Euangelij tempora loquor: nūc enim secundum carnem iam non nouimus Christum. Ergo in carne est filius, & solus non est, secundum quod scriptum est. Et non sum solus, quia pater mecum est, & putas quod sit pater solus in luce? At ne hoc argutum putes, accipe etiā testimonium. Deum, inquit, nemo uidit unquam: nisi unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quomodo solus pater, si in sinu patris filius est: quomodo enarrat, quem non uidet? Non ergo solus pater. Accipe nunc & solum patrem, & solum filium. Solus pater, quod alius pater non est. Solus filius, quod alius filius non est. Solus deus, quod una diuinitas trinitatis est.
- Quomodo filius factus intelligat. Quæadmodum etiā omnia per ipsum facta sint. C. III
- Atis ergo claret, & solum deum non esse patrem sine filio, & solum deum non intelligi filium sine patre. quia secundum carnem factus intelligitur dei filius nō secundum diuinā generationē. In quo aut factus sit, per os sancti patriarche
- Psal. 87* locutus asseruit dicens: Quia repleta est malis anima mea, & uita mea inferno appropinquauit:

quauit: Aestimatus sum cum descendentibus in lacū, factus sum sicut homo sine adiuto-
 rio inter mortuos liber. Et hic sicut homo, inquit, nō sicut deus, factus sum. Et repleta est
 malis anima mea. Anima utiq; non diuinitas. Factus est in eo in quo erat infernis debi-
 tus, factus est in eo in quo cū alijs aestimatus est, diuinitas enim similitudinem collatiōis
 abiurat, & tamen in ipsa carne morti obnoxia maiestātē aduerte diuinitatis in Christo.
 Et si factus est sicut homo & sicut caro factus est, factus est tamen inter mortuos liber, &
 liber sine adiutorio. Sed quomodo hic sine adiutorio fuisse se filius dicit, cū supra dictū
 sit: Posui adiutoriū super potentē? Ergo & hic distingue naturas. Adiutoriū caro habet, Psal. 88
 diuinitas nō habet. Liber igitur est, qui mortis uincula nesciuit, nō captus ab inferis, sed
 qui operatus sit in infernis: sine adiutorio est, quod neq; per nunciū, neq; legatū, sed
 ipse per se dominus saluum fecit populum suum. Quomodo enim potuit adiutoriū sui
 corporis quærere suscitandi, qui alios suscitauit? Ac licet homines quoq; suscitauerint
 mortuum, non in sua tamen uirtute fecerunt, sed in Christi nomine. Aliud est rogare, a-
 liud imperare: aliud mereri, aliud donare. Helias ergo suscitauit: sed orauit, non impera-
 uit. Helisæus suscitauit configuratus mortuo, suscitauit etiam ipsius mortui corporis ta-
 ctus: ut esset typus, uenturum eum qui missus in similitudine carnis humanæ etiam se-
 pulchrum mortuos suscitaret. Petrus quoq; cum Aeneam curaret, ait: In nomine Iesu Naza-
 reni surge & ambula. Non in suo ait, sed in Christi nomine. Surge autem, uerbum est im-
 perantis: sed fiducia de merito est, non præsumptio de potestate: & de nominis operatio-
 ne, non de sua uirtute præceptionis autoritas. Quid igitur Arriani dicunt? In nomine
 Christi & Petrus imperat, & illi nolunt imperasse dei filium, sed rogasse? Sed lectum est
 quod rogauit. Disce distantiam: Rogat quasi filius hominis, Imperat quasi dei filius. An
 non desertis hoc dei filio, quod etiam diabolus detulit, & uos maiore sacrilegio deroga-
 tis? Ille dicit: Si filius dei es, dic lapidi huic ut fiat panis. Ille dicit, impera: uos dicitis, obse-
 cra. Ille credit quod iubente dei filio elementorum rerumq; in aduersum natura uertat: Luc. 4
 uos creditis quod nisi roget dei filius, nec uoluntas ipsius impleatur. Et diabolus ex po-
 testate aestimandum putat dei filium, uos de infirmitate. Tolerabiliora sunt tentamenta
 diaboli, quam argumenta sint Arrii. Nec moueat quod potentem filium dixit hominis,
 cum dominum maiestatis legeris crucifixū. Quæ autem maior potentia, quam supra cœ-
 lestes potestates habere dominatū? Habebat autē qui thronis, dominationibus, angelis Mar. 1
 imperabat. Nam & si erat inter bestias, sicut scriptū est, tamen angeli ministrabant ei: ut
 agnoscas aliud incarnationis esse, aliud potestatis. Secundū carnem itaq; tentatur à be-
 stijs, secundū dignitatem ab angelis adoratur. Didicimus igitur factū esse hominē, & ad Rom. 1
 hominem hoc esse referēdum. Deniq; & alibi habes: Qui factus est ei ex semine Dauid,
 secundum carnem, utiq; ex semine Dauid factus est: Deus autem ante secula ex deo na- Psal. 89
 tus est. Nec semper tamē factū esse ad creationem refertur. Scriptum est enim: Domine
 refugium factus es nobis, & factus es mihi in salutem. Nō utiq; creationis definitio uel
 editio declaratur, sed refugiū factus mihi, & conuersus mihi dicitur ad salutē, sicut & A- 1. Cor. 1
 postolus dixit: Qui factus est nobis sapientia à deo, & iustitia, & sanctificatio, & redem-
 ptio. Nobis factū, non creatū ex patre dixit. Deniq; quomodo dicat factum nobis esse sa- 1. Cor. 2
 pientiam, in posterioribus exposuit dicens: Sed loquimur dei sapientiā in mysterio, quæ
 abscondita est, quam prædestinauit deus ante tempora secularia in gloriam nostram,
 quam nemo principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam domi- Ibid.
 nis maiestatis crucifixissent. Vbi mysterium passionis exprimitur, nō utiq; generatio-
 nis æternæ series declaratur. Sapientia igitur mea, crux domini est: redemptio mea, mors 1. Pet. 1
 domini est. Sanguine enim precioso redempti sumus, ut Apostolus Petrus dixit. Sangui-
 ne igitur suo quasi homo, dominus nos redemit, idemq; quasi deus peccata donauit. Nō
 ergo in uerbis quasdam constituamus insidias, & uerborum tendiculas aucupemur: ut
 quia & aliud secundum impios significare putatur sermo qui legitur, non id quod sen- 2. Cor. 3
 sus exprimat, sed quod litera ostendat, interpretemur. Sic perierūt Iudæi, dum sensuum
 profunda despiciunt, & sequuntur nuda uerborum. Litera enim occidit, spiritus autem
 uiuificat. Et tamen inter duo grauiā sacrilegia fortasse detestabilius sit, ad diuinitatē re-
 ferre quæ carnis sunt, quam ad literam referre quæ spiritus sunt. Illi timuerunt in deo car-
 nem credere, & ideo redemptionis gratiā perdiderunt, quia causam salutis abiurant: isti

diuinitatis maiestatem usque ad carnis infirma deducunt. Detestandi Iudaei, qui carnem domini crucifixerunt: detestabiliores tamen eos arbitror, qui diuinitatem Christi cruci subditam crediderunt. Denique qui cum Iudaeis saepe tractabat, hereticum, inquit, post unam correptionem deuita. Nec tamen sine iniuria patris factum nobis esse sapientiam, ad illam inenarrabilem neculis temporibus momentisque obnoxiam Christi generationem sacrilega interpretatione deriuant. Nam praeter id quod filij iniuria, patris est contumelia, etiam in patrem sacrilegia ista procedunt. de quo scriptum est: Fiat autem deus uerax, omnis autem homo mendax. Aut si de filio putant dictum, generationi quidem non praedudicant, quia deum uerum huius lectionis autoritate, quod abnuunt, confitentur. Prolixum est si uelim singula recensere, quotiens factum legerimus, non utique per naturam, sed per gratiam. Nam & Moyses Exod. 15 dicit: Adiutor & protector factus est mihi in salutem. Et Dauid dicit: Esto mihi in deum protectorem, & in domum refugium, ut saluum me facias. Et Esaias dicit: Factus es omni ciuitati humili adiutor. Non utique sancti deo dicunt: Creatus es, sed protector & adiutor per gratiam tuam factus es nobis. Unde nec illud uerendum est quod solent Arriani scaua interpretatione componere, dicentes factum esse dei uerbum: quia scriptum est, inquit Ioh. 1 unum: Quod factum est in ipso, uita est. Primum intelligant, si ad substantiam diuinam referant quod factum est, Manichaeorum se quaestionibus implicari. Obijciunt enim Manichaei: Si quod in ipso factum est, uita est: est ergo aliquid quod in ipso factum non sit, & mors sit, ut duo impie inducant principia. Sed hoc damnat Ecclesia. Deinde unde possunt docere sic pronunciasse euangelistam: Plerique enim docti & fideles sic pronunciant: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Alij sic: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Deinde: Quod factum est, pronunciant, et Act. 17 subiungunt: In ipso, hoc est: Quicquid autem factum est, est in ipso. Quid est in ipso, Apostolus docet dicens: In ipso sumus, & uiuimus, & mouemur. Tamen etiam si quemadmodum uelint pronunciant, non possunt hic calumniari deo uerbo, si ad substantiam eius uelint referre, quod factum est, quin calumniarentur & patri deo, de quo scriptum est: Qui autem facit Ioh. 3 ueritatem, uenit ad lucem, ut manifestentur opera eius quod in deo sunt facta. Ecce hic opera hominis in deo facta legimus, & ad substantiam tamen diuinam referre non possumus. Sed aut per ipsum facta cognoscimus, ut est illud Apostolicum, quod omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: aut ut docet presentis lectio testimonij, uirtutes quibus uitae aeternae fructus acquiritur, in deo factas aestimare debemus, charitatem, pietatem, religionem, fidem, & alia huiusmodi, quae in uoluntate dei facta sunt. Ergo sicut in dei patris, ita etiam in Christi uoluntate & uirtute facta sunt, sicut legimus: Creati in Christo in operibus bonis. Et in Psalmo: Fiat pax in Ephes. 2 uirtute tua. Et alibi: Omnia in sapientia fecisti. In sapientia, inquit, fecisti, non sapientiam Psal. 121 fecisti. Nam cum omnia in sapientia facta sint, Christus autem dei sapientia sit, non accidens utique, sed subsistens & permanens in aeternum: si facta est sapientia, iam deteriore conditione facta est, quam omnia, eo quod sapientia fieri per seipsam non potuit. Ergo si factum esse frequenter ad aliquid, non ad naturam refertur, etiam creatum esse ad causam refertur.

Quid significet quod de incarnatione domini scriptum est: Deus creauit me principium uiarum suarum.

Prou. 8

Unde intelligimus illud quod de incarnatione domini scriptum est: Dominus creauit me principium uiarum suarum in opera sua, id significare, quod ad redimenda opera patris, dominus Iesus ex Virgine sit creatus. Neque enim dubitari potest de incarnationis dictum esse mysterio, cum propter opera sua corruptelae seruitio liberanda dominus suscepit carnem, ut illum qui imperium habebat mortis, per sui corporis destrueret passionem. Caro enim Christi propter opera, diuinitas ante opera: quia ipse ante omnia, & omnia in ipso constant. Non ergo diuinitas propter opera, sed propter diuinitatem opera, sicut Apostolus declarauit dicens, quod propter filium dei omnia. Sic enim habes: Decebat autem eum per quem omnia, & propter quem omnia, multis filiis in gloriam adductis, ducere salutis eorum per passionem consummari. Nonne euidenter exposuit, quod dei filius qui propter diuinitatem suam omnia creauit, is postea propter populi salutem & carnis susceptionem, & mortis assumpserit passionem: Propter quem autem opera sit creatus ex Virgine, ipse dominus, cum illum caecum curaret, ostendit dicens: In

Cap. IIII

In illo me oportet operari opera eius qui misit me. Et addidit, ut de incarnatione eius dictum crederemus: Cum in hoc mundo sum, lux sum huius mundi. Etenim quasi homo in hoc mundo pro tempore est, nam quasi deus semper est. Denique & alibi ait: Ecce uobiscum sum usque ad consummationem mundi. Nec de principio residet aliquid quaestio- nis, cum interrogatus in carne: Tu quis es? responderit: Principium, quod & loquor uobis. Quod non solum ad substantiam diuinitatis aeternae refertur, sed etiam ad documenta uirtutum. Ex hoc enim & deum se probauit aeternum, quia omnium ipse principium est, & uniuscuiusque uirtutis autor, quia ecclesiae caput est, sicut scriptum est: Quia ipse caput corporis ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis. Liqueat igitur & de incarnatione dictum esse principium uiarum suarum, quod ad sacramentum suscepti corporis uideatur esse referendum. Denique ut scias quod uias suas omnipotens pater secundum incarnationem praescripserit filio, habes in Zacharia ad Iesum indutum uestimenta sordida, ab angelo dictum: Haec dicit dominus omnipotens: Si in uis meis ambulaueris, & praecpta mea custodieris. Quod est uestimentum illud sordidum, nisi carnis assumptio? Viae igitur domini uelut quidam trames bonae uitae sunt, quae diriguntur a Christo, qui ait: Ego sum uia, & ueritas, & uita. Via ergo superna, est dei uirtus. Christus enim nobis uia est. Et bona uia, quae credentibus caeli regna patefecit. Viae autem domini, uiae re- ctae sunt, sicut scriptum est: Vias tuas domine notas fac mihi. Via, castitas: uia, fides: uia est abstinentia. Est namque uia uirtutis, est & uia iniquitatis. Scriptum est enim: Et uide si est uia iniquitatis in me. Principium itaque nostrae uirtutis est Christus. Principium integritatis, qui docuit uirgines non uiriles expectare concubitus, sed integritatem mentis & corporis sancto magis dicare spiritui, quam marito. Principium parsimoniae Christus, qui pauper factus est, cum esset diues. Principium patientiae Christus, qui cum malediceretur, non remaledixit: cum percuteretur, non percussit. Principium humilitatis Christus, qui formam serui accepit, cum patrem deum maiestate uirtutis aequaret. Ex illo enim accepit uirtus unaquaeque principium. Et ideo ut haec uirtutum genera disceremus, si- lius datus est nobis, cuius principium super humeros eius. Principium illud, crux domi- ni est, principium fortitudinis, quo uia sanctis est referata martyribus ad sacri certaminis passionem. Vidit hoc principium Esaias, & ideo ait: Puer natus est, filius datus est nobis. Viderunt & Magi, & ideo cum paruulum in praesepe cernerent, adorauerunt, dicentes: Puer natus est, cum stellam conspicerent, praedicantes, filius datus est nobis. Aliud mu- nus est terris, aliud munus est caelo, & utrumque unus, in utroque perfectus, & sine mutabilitate diuinitatis, & sine humanae imminutione naturae. Vnum adorauerunt, eidemque mune- ra obtulerunt, ut ostenderent ipsum esse caeli dominum, qui in praesepe uideretur. Di- stingue singulorum momenta uerborum: Puer natus est, filius datus est nobis. Et si ex patre natus, non tamen nobis natus, sed datus est: quia non filius propter nos, sed nos pro- pter filium. Neque enim nobis natus est, qui & ante nos natus est, et totius est conditor crea- turae. Neque nunc primum nascitur qui erat semper, & erat in principio: sed illud quod non erat, nobis nascitur, hoc est puer ex uirgine, corpus ex Maria. Hoc enim post nos, illud ante nos. Alii sic habent: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Hoc est, qui erat fili- us dei, hic ex Maria puer natus est nobis, & datus est nobis. Quia datus sit, audi prophe- tam dicentem: Et salutare tuum da nobis. Quod enim supra nos est, datur: quod de cae- lo est, datur: sicut etiam alibi de spiritu legimus, quod charitas dei effusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Sed uide quemadmodum multas haer- eses extinguat. Puer natus est nobis: nobis, non Iudaeis: nobis, non Manichaeis: nobis, non Marcionitis. Propheta dicit: Nobis, hoc est credentibus, non incredulis. Et ille qui- dem misericordia sua omnibus natus est, sed perfidia hereticorum fecit, ut non omni- bus nasceretur, qui omnibus natus est. Nam & lumen diei oriri iubetur super bonos & malos: sed oriri non uidentibus non uidetur. Sicut ergo puer non omnibus natus est, sed fidelibus: sic filius non infidelibus datus est, sed fidelibus. Nobis datus est, non Foti- nianis. Illi enim non datum nobis dei filium dicunt esse, sed ab initio inter nos natum. Nobis, non Sabellianis. Illi enim nolunt filium datum, eundem asserentes patrem esse quem filium. Nobis, non Arrianis. Et ipsi enim non habent filium pro salute datum, sed pro infirmitate transmissum. Non habent consiliarium, quem putant futura nescisse: non habent

Ioan. 9

Matt. 28

Ioan. 2

Col. 1

Zacha. 2

Ioan. 14

Psal. 25

Psal. 138

2. Cor. 2

1. Pet. 2

Philip. 2

Esa. 9

Ibid.

Matt. 2

Psal. 84

Roma. 5

Matt. 5

habent filium, quem sempiternum non putant, cum scriptum sit de uerbo dei: Quod erat in principio. Et alibi: In principio erat uerbum. Denique ut ad propositum reuertamur exemplum: In principio, inquit, antequam terram faceret, & antequam produceret fontes aquarum, ante omnes colles genuit me. Fortasse dices, quomodo de incarnatione Christi dictum esse memorauerim, Dominus creauit me, cum ante incarnationem Christi, creatura sit mundus: Sed considera quod moris est scripturis diuinis, & futura pro preteritis dicere, & geminam in Christo significare substantiam, diuinitatis, & carnis, ne quis aut diuinitatem neget eius aut carnem. Nam sicut in Esaia habes: Puer natus est nobis, filius datus est nobis: ita hic quoque ante premissit creaturam carnis, & subtexit assertionem diuinitatis: ut scires non duos Christos, sed unum esse, qui & ante secula generatus sit ex patre, & ultimis temporibus creatus ex uirgine: hoc est, ego sum ille creatus ex homine, creatus ad causam, qui sum generatus ante secula. Denique dicitur, Dominus creauit me: premissit, Comemorabo quae a seculo sunt. Dicitur genuit, premissit, in principio, antequam terram faceret, ante omnes colles genuit me. Ante, cum dicitur, in infinitum retro sine aliqua definitione porrigitur. Denique ante Abrahamam, inquit, ego sum, non utique post Adam: & ante Luciferum, non utique post angelos. Sed ante, cum dicit, non se intra aliquem, sed omnia intra se dicit. Sic enim moris est aeternitatem dei scripturis significare diuinis. Denique alibi habes: Priusquam montes fierent, aut formaretur orbis terrae, a seculo & usque in seculum tu es. Ante omnia ergo generatio, inter omnia & propter omnia creatura. Natus ex patre supra legem, factus ex Maria sub lege.

De solutione obiectionis sumptae ex eo quod scriptum est: Post me uenit uir, qui ante me factus est: cum confutatione erroris Arrianorum. Et quomodo iuxta mysticam intelligentiam historiae de Booz & Ruth designatus fuerit Christus, qui ecclesiam sibi copulauit. Quomodo etiam sepe ad causam pertineat cum Christus dicitur factus. Quo denique ipse idem sacerdos sit & hostia.

Ioan. 1

Ed scriptum est: Post me uenit uir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Unde dicunt: Ecce qui erat, factus est. Ipsa uerba pendamus. Post me, inquit, uenit uir. Vir ergo est qui uenit, ipse qui factus est. Vir autem nomen est sexus.

Sexus autem non utique diuinitati, sed naturae deputatur humanae. Possim ergo dicere: Erat in praecognitione quidem corporis, sed aeternitate uirtutis. Nam & Ecclesia erat, et sancti erant praedestinati ante saecula. Sed non id loco hoc dico, sed illud assero, factum esse, non ad diuinitatem, sed ad incarnationis pertinere naturam, sicut ipse Ioannes dixit: Hic est de quo dixi: Post me uenit uir, qui ante me factus est. Itaque cum geminam, sicut supra dixi, in Christo substantiam proposuisset, ut utraque intelligas & diuinitatis & carnis, hoc loco coepit a carne. Est enim scripturis promiscua consuetudo diuinis, ut interdum a diuinitate Christi incipiant, & ad incarnationis sacramenta descendant: interdum ab humilitate incarnationis exordium sumant, & ad gloriam diuinitatis assurgant, ut in prophetis, euangelistis, frequenter & in Paulo. Ergo & hic iuxta memoratam consuetudinem ab incarnatione domini coepit, de eius diuinitate dicitur: non ut confunderet humana atque diuina, sed ut distingueret. Verum Arriani, uelut Iudaici caupones, miscent aquam cum uino: quia diuinam generationem humanamque confundunt, ad diuinitatem referentes, quod de carne sit dictum. Nec metuo quod obiecturi uidentur, quod in superioribus non habet uirum. Sic enim habet: Qui post me uenit. Sed uideat & ibi quid praemisit: Verbum, inquit, caro factum est. Et ideo non addidit uirum: quia carnem dixerat. Per carnem autem istum hic uirum intelligimus, & per uirum carnem. Ergo quod dixerat: Verbum caro factum est, uirum hoc loco nominare superfluum fuit, quae iam carnis expressione signauerat. Quo exemplo in posterioribus quoque & agnum praemisit, qui tolleret peccatum mundi. Et ut incarnatum intelligeres, quae ante memorauit, ait: Hic est de quo ante dixi, post me uenit uir qui ante me factus est, hoc est, uirum dixi, non deum factum. Sed ut ipsum incarnatum declararet esse, qui ante saecula erat, ne duos filios crederemus, ait: Quia prior me erat. Nam si factus est, ad diuinam generationem retulisset, quid opus erat, ut adhuc adderet tertium, atque iteraret quod supra dixerat: Sed quia ante de incarnatione tantum dixerat: Post me uenit uir, qui ante me factus est, ideo addidit: Quia prior me erat, quoniam diuinitatis aeternitas fuerat exprimenda. Et haec est causa prelationis, ut merito antelatus uideatur, qui

Cap. v

qui proprii patris sempiterna uirtus est. Dat tamen intellectus spiritalis ubertas, ut excurrere & euagari ad concludendos libeat Arrianos, qui uolunt factum hoc loco non ad uirum, sed ad diuinitatem referre. Quid est enim tenere quod possint, cum dixerit Baptistia: Post me uenit, qui ante me factus est: hoc est supra meritum meum factus, supra meam gratiam: tempore carnis posterior, diuinitatis honore uenerabilis. Post me enim uenit, temporis est: prior me erat, æternitatis: ante me factus est, honoris: quia etiam incarnationis mysterium supra humanam est gratiam. Denique in inferioribus quid supra contexuisset expressit, dicens: Post me uenit uir, cuius non sum dignus calceamenta portare. Præstantiam utique dignitatis, non æternitatem diuine generationis exponens. Quod eo usque ad incarnationem pertinet, ut typum in hominibus mystici calceamenti ante præmiserit. Lege enim proximo defuncti, uel fratri copula deferebatur eius uxoris, ut semel fratris uel proximi resuscitaret. Vnde quod Ruth, licet ipsa alienigena, tamen quia matrum habuerat ex Iudæis qui reliquerat superstitem proximum, eamque colligentem manipulos sue messis, quibus alebat & se & socrum, Booz uidit & amauit, non aliter eam accepit uxorem, nisi calceamentum eius ante soluisset, cui uxor debebatur ex lege. Historia simplex, sed alta mysteria: aliud enim gerebatur, aliud figurabatur. Nam si secundum literam sensum torqueamus, prope quidam pudor & horror in uerbo est: si ad commixtionis corporeæ consuetudinem sententiam intellectumque referamus. Designabatur autem futurus ex Iudæis, ex quibus Christus secundum carnem, qui proximi sui, hoc est populi mortui semen, doctrinæ cœlestis semine fuscitaret, cui calceamentum nuptiale Ecclesiæ copulanda præscripta legis spiritalia deferebant. Non Moyses sponsus. Illi enim dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum, ut domino suo cedat. Non Iesus Naue filius sponsus. Nam & ipsi dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum, ne ex similitudine nominis sponsus Ecclesiæ crederetur. Non alius sponsus, sed solus Christus est sponsus de quo dixit Ioannes: Qui habet sponsam, sponsus est. Illis igitur calceamentum soluitur, huic solui non potest, sicut dixit Ioannes: Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius. Solus ergo Christus est sponsus, cui illa ueniens ex gentibus sponsa, ante inops atque ieiuna, sed iam Christi messe diues, innubat: quæ manipulos fœcundæ segetis uerbi que reliquias gremio legat mentis interno, ut exhaustam illam uiduam morte filii, atque inopem defuncti populi matrem nouis pascat alimentis, non relinquens destitutam uiduam, & novos que res. Solus ergo Christus est sponsus, qui nec synagoge ipsi manipulos sue messis inuideat. Vtinam se non ipsa excluderet. Habuit, quos per se colligeret: sed quia sponsus eius est mortuus, quasi filio egena defuncto, per ecclesiam manipulos quibus uiueret colligebat, quos uenientes in exultatione portabunt, sicut scriptum est: Venientes autem uenient in exultatione, tollentes manipulos suos, Quis enim sibi alius sponsam audeat Ecclesiam uindicare, quam à Libano unus & solus uocauit, dicens: Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano: Aut de quo alio potuit Ecclesia dicere: Fauces eius dulcedines, & totus desiderium: Et quia de calceamento pedum tractatum sumpsimus, cui alij nisi uerbo dei incarnato conuenit dictum: Crura eius columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas: Solus enim Christus inambulat animis, & graditur in mente sanctorum, in quibus uelut aureis basibus fundamentisque preciosis solidata uestigia uerbi cœlestis hæserunt. Claret igitur & uirum & typum ad incarnationis spectare mysterium. Non ergo ad substantiam diuinitatis, sed ad incarnationem, nonnunquam etiam ad causam pertinet, cum dicitur factus. Nam si ad diuinitatem refertur: ergo et in opprobrium deus factus est. Sic enim habes: Tu autem repulisti, et ad nihilum redegisti, dispulisti Christum tuum. Et infra: Factus est in opprobrium uicinis suis. Vicinis, inquit, non ciuibus, non domesticis, non adherentibus: Quoniam qui adheret domino, unus spiritus est. Qui uicinus est, non adheret. Factus est in opprobrium, quia crux domini Iudæis scandalum, Græcis stultitia sapientibus: Per eandem crucem excelsior factus est cœlis, excelsior angelis, & melioris testamenti factus est sponsor, ipse qui erat prioris. Vide quam non refugiam ista, ut etiam congeram. Sed quomodo factus sit considera: primum quod purificatione facta consistet in dextera magnitudinis in excelsis, tanto melior factus angelis. Vbi purificatio, hostia: ubi hostia, corpus: ubi corpus, oblatio: ubi munus oblationis, ibi sacrificium passionis. Deinde sponsor melioris testamenti. Vbi testamentum, mors necesse est præcedat testatoris, sicut subter est scriptum.

Mors

1. Cor. 1

Ruth 2

Exod. 3

Ios. 5

Ioan. 3

Ioan. 1

Psal. 125

Cant. 4

Cant. 5

Psal. 83

1. Cor. 6

1. Cor. 1

Hebr. 1

Hebr. 7. et 9

- Mors autem non ad diuinitatis aternitatem, sed ad fragilitatem refertur humanam. **Ex-**
Heb. 7 cellior quoque coelis factus quomodo sit ostenditur. Immaculatus, inquit, segregatus a pec-
 catoribus, & excelsior coelis factus, qui non habet quotidie necessitatem, sicut sacerdo-
 tes prius pro suis delictis hostiam offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se of-
 ferendo, sicut scriptum est. Nemo excelsior factus dicitur, nisi qui in aliquo fuerit humi-
 lior. In eo igitur excellentior factus est, sedendo ad dexteram patris, in quo se minor an-
Philip. 2 gelis factus, obtulit passioni. Postremo ipse Apostolus ad Philippenses ait, quod in simi-
 litudinem hominis factus est, specie inuentus ut homo, humiliavit semetipsum, factus
 obediens usque ad mortem. Vide ubi factus sit: in similitudine, inquit, hominis, non in po-
 testate dei. & factus obediens usque ad mortem, ut obedientiam quidem hominis ha-
 buerit, regnum dignitatis. Quatis igitur adhuc utemur exemplis ad incarnationem uel
Psal. 148 ad aliquid referendum esse quod factum est: Quod autem & factum est, idem est & crea-
 tum. Dixit enim, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Dominus creauit me, secundum
 carnem dictum: creatum quoque, supra ostendimus in libro primo, de incarnatione dictum
 uideri. Ipse etiam Apostolus asserendo seruiendum non esse creaturae, significauit ex deo
Prou. 8 filium non creatum esse, sed genitum. tamen etiam alibi ut manifestaret quomodo in Sa-
Heb. 2 lomone sit lectum, Dominus creauit me: quid in Christo creatum esset, ostendit. Itaque to-
 tius seriem capituli recenseamus. Sic enim habes: Ergo quia filij participes sunt carnis &
 sanguinis, & ipse similiter particeps factus est eorundem, ut per mortem destrueret hunc,
 qui mortis habebat imperium. Quis ergo est qui nos participes suae uoluit esse carnis &
 sanguinis, utique dei filius. Quomodo nili per carnem particeps factus est noster: aut per
 quam, nisi per corporis mortem, mortis uincula dissoluit? Morti enim mors facta est su-
ibid. scepio mortis in Christo. Ergo de incarnatione proposuit. Videamus sequentia. Nec e-
 nim statim angelos, inquit, assumpsit, sed semen Abrahamae, unde habuit per omnia fratri-
 bus similari, ut misericors fieret & fidelis princeps sacerdos a deo, ut expiaret peccata
Heb. 3 populi. In quo enim passus est ipse & tentatus, potest & tentatos iuuare. Propter quod
 fratres sanctissimi uocationis caelestis participes intuemini Apostolum & principem sa-
 cerdotum confessionis nostrae Iesum fidelem esse creatori suo, sicut & Moyses in domo
 eius. Haec nempe uerba sunt Apostoli. Videtis in quo creatum dicat, in quo assumpsit,
Hebr. 2 inquit, semen Abrahamae. corporalem utique generationem asserit. In quo autem, nisi in cor-
 pore expiavit populi peccata? In quo passus est, nisi in corpore? sicut & supra diximus:
 Christo passo secundum carnem. In quo sacerdos, nisi in eo quod sacerdotali assumpsit
Hebr. 9 ex genere? Sacerdos enim aliquid debet offerre, & secundum legem in sancta intrare per
 sanguinem. Ergo quia sanguinem taurorum hircorumque repudiauerat deus, hunc utique
 sacerdotem per suum sanguinem, sicut legisti, in sancta sanctorum caeli summa penetra-
 tem oportebat intrare, ut aeterna nostrorum esset oblatio peccatorum. Idem ergo sacer-
 dos, idem & hostia, & sacerdotium: tamen & sacrificium humanae conditionis officium
 est. Nam & agnus ad immolandum ductus est, & sacerdos est secundum ordinem Mel-
 chisedech. Nemo igitur ubi ordinem cernit humanae conditionis, ibi ius diuinitatis ad-
Hebr. 7 ferat. Nam & illum Melchisedech per quem Abraham hostias suas obtulit, non angelum
 utique secundum Iudaica ludibria intelligit Ecclesia, sed uirum sanctum, ac sacerdotem dei,
 qui typum gerens domini, & sine patre, & sine matre, & sine generationis enarratione,
 & sine initio, & sine fine describitur, ut ostenderet sempiternum filium dei in hunc mun-
 dum esse uenturum, qui & sine patre secundum incarnationem natus est, & sine matre
 secundum diuinam generationem, & sine enarratione generationis, quia scriptum est:
Esa. 55 Generationem autem eius quis enarrabit? Ergo illum Melchisedech in Christi typo sa-
 cerdotem dei accipimus. Sed illum in typo, hunc in ueritate: typus autem umbra est ue-
 ritatis. Illum in nomine unius ciuitatis, hunc regem in reconciliationem totius mundi:
2. Cor. 5 quia scriptum est: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, hoc est sempiterna di-
 uinitas. Aut si pater in filio, sicut filius in patre, & substantiae utique & operationis unitas
.Ioan. 14 non negatur. Quomodo autem negare merito possunt etiam si uelint, cum scriptum sit:
 Pater autem in me manens, ipse loquitur: &, Opera quae ego facio ipse facit: Non dixit,
 & ipse facit, ne similitudinem magis quam unitatem operis aestimares. Sed dicendo, quae
 ego facio, ipse facit: manifestum reliquit, quod unum opus patris & filij credere debea-
 mus.

mus. Deniq; ibi similitudinem operum, nō unitatem uoluit intelligi: Qui credit, inquit, in me: opera quæ ego facio, & ipse faciet. Bene hic interponendo, & similitudinem nobis donauit, ubi unitatem naturalem negauit. Vnum est igitur opus patris & filij, etiam si non placeat Arrianis.

Patris & filij unum esse regnum, & non diuisum.

Cap. VI

Væro autem quomodo regnum uelint patris & filij esse diuisum, cum dominus dixerit, ut supra ostendimus: Omne regnum inter se diuisum, facile destruetur. Et ideo ad excludendum Arrianæ sacrilegium scæuitatis, unum imperium patris & filij, etiam Petrus sanctus asseruit, dicens: Quapropter satisfacite fratres certam uocationem & collectionem facere. Hæc enim facientes non errabitis. Sic enim abundantius ministrabitur uobis introitus in æternum imperium dei & domini nostri conseruatoris Iesu Christi. Aut si quis de Christi tantū imperio dictū putat, & hoc ideo sic accipit, ut patrem filiumq; potestate secernat, is tamen & regnū filij fatebitur, & æternum. Itaq; non solum duo inducēt regna diuisa, ut obnoxia sint defectui, sed etiam cum regna comparabilia nulla sint dei regno, quod filij esse, etiā si uelint negare, nō possunt: aut contra suam sententiā ridebunt, ut idem patris & filij regnum esse fateantur: aut, quod sacrilegium est dicere: Ius patri regni minoris adscribent: aut, quod contrariū est, quem minorē diuinitate impiè memorant, eius regnū fatebuntur æquale. Sed hoc non quadrat, non congruit, nō cohæret. Dicant igitur unum esse regnū, sicut nos dicimus & probamus. Probamus autem non nostris, sed cœlestibus testimonijs. Primum enim etiā alijs exemplis discere regnum cœlorum regnū filij quoq; esse. Ipse enim dixit: Amen amē dico uobis, quoniam sunt aliqui de istis astantibus, qui non gustabunt mortem, donec uideant filiū hominis uenientem in regnū suū. Dubitari ergo non potest quod sit regnū filij dei: sed accipe ipsum esse regnū filij quod patris est. Amen dico uobis, quod sunt quidam circumstantium, qui non gustabunt mortem, donec uideant regnum dei ueniens in uirtute. Eo enim usq; unum regnū est, ut unum sit præmium, idem hæres, eadem merita idem sponsor. Quomodo non idem regnum, cum præsertim ipse de se filius dixerit: Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui? Quod enim patris est per maiestatis proprietatem, id etiam filij est per eiusdē claritudinis unitatem. Ergo & patris regnū scriptura dixit, & filij. Accipe nunc quod ubi regnum dei dicit, nec patris nec filij separat potestatem, quia & paternum & filij regnum uno dei nomine comprehendit, sicut habes: Cum uideritis Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno dei. An negamus in regno filij prophetas esse, cum & latroni dicenti: Memēto mei cum ueneris in regnū tuum: responderit dominus: Amē dico tibi, hodie mecum eris in paradiso? Aut quid est esse in regno dei, nisi æternam nescire mortem? Qui autem nesciunt æternam mortem, uident filium hominis uenientē in regnum suum. Quomodo ergo potest nō in potestate habere quod donat, dicens: Tibi dabo clauēs regni cœlorum? Et uideto distantia. Seruus aperit, dominus largitur. Ille per se, ille per Christum. Famulus clauēs accipit, dominus ordinat potestates: Aliud ius donantis, aliud dispensantis obsequium est. Vnum igitur patris & filij regnum euidenter est declaratū, sicut Apostolus Paulus asseruit, dicens: Hoc autem scitote, quod omnis impudicus, aut immundus, aut auarus, quod est idololatris, non habet hæreditatem in regno Christi & dei. Ergo unum regnum, & una diuinitas. Vnam diuinitatem lex probauit, quæ dicit unū deum. Probauit & Apostolus dicendo de Christo: In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Si enim iuxta Apostolum plenitudo omnis corporaliter diuinitatis in Christo est, aut unius diuinitatis patrem & filium fatebuntur: aut si patris & filij diuinitatē cupiunt separare, cum omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter filius habeat, quid est quod patri æstimant amplius adscribendum, cum amplius nihil sit plenitudine, & plenitudo perfectio sit? Ergo una diuinitas.

Quod una sit maiestas, & una gloria, una quoq; substantia patris & filij. Cap. VII

Maginē autem unam & similitudinem unam supra diximus, superest ut unius quoq; maiestatis patrem filiumq; doceamus. Nec longe aberit. Cum enim ipse dixerit de se filius: Cū uenerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, (Ecce filij expressa est maiestas) quid

Ioan. 14

Matth. 12
2. Petri. 1

Matth. 16

Marc. 9

Luc. 13

Matth. 16

Ephes. 3

Colos. 2

Matth. 25

stas) quid ei deest, cuius increatam maiestatem negare non possunt: Est ergo filij maie-
 stas. Accipiant nunc, ut dubitare non possint, quod patris & filij una maiestas sit. Ipse do-
 Luc. 6 minus dixit: Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cū
 uenerit in maiestate sua, & patris, & sanctorū angelorū. Quid est: Et sanctorū angelorū,
 nisi quod honorantur & serui, dignitate domini sui? Dignitatem ergo suā ad filiū & pa-
 trem retulit, nō ut angeli habeant cum patre & filio æquale consortiū, sed ut præeminen-
 tem gloriā dei cernant. Neq; enim suā maiestatem angeli habent: sicut lectū est de filio:
 Cūm sederit in sede maiestatis suæ: sed assistunt, ut patris & filij gloriā uideant, quibus
 aut possunt aut merentur aspectibus. Deniq; ipsa se explanāt uerba diuina, ut intelligas;
 Matth. 25 illam gloriā & patris & filij cum angelis non esse cōmunem. Sic enim habes: Cūm autē
 uenerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo. Et ut doceret unā maie-
 statem & unam gloriā esse patris & suam, ipse in alio libro ait: Et filius hominis confun-
 detur eum, cūm uenerit in gloria patris sui cū angelis sanctis. Illi in obsequio, hic in glo-
 ria. Illi in comitatu, hic in suggestu. Illi stant, hic sedet. Ut uerbo tamē usus utamur huma-
 ni, hic iudicat, hi ministrant. Diuinā autē non præmisit maiestatem patris, & subdidit suā:
 & angelorū, ne de superioribus ad inferiora fecisse gradū quendam ac ordinē uideretur.
 Sed quia pater inferior uideri non poterat, præmisit maiestatem suam & addidit patris &
 angelorum, ne se mediū inter patrem & angelos nominādo, aut ab angelis ad patrem per-
 sui quoq; incrementa fecisse quendam uideretur ascensum, aut à patre rursus ad angelos
 per ordinē cum sui etiam diminutione crederetur fecisse descensum. Nā nos qui unā diui-
 nitatē patris & filij cōfitemur: diuersum, ut Arriani, ordinem non putamus. De substan-
 tia autem Imperator Auguste quid loquar unius filiū cū patre esse substantiæ, cūm imagi-
 nem paternæ substantiæ filium legerimus, ut in nullo secundū diuinitatē à patre intelli-
 Ioan. 16 gas discrepare: Iuxta hanc imaginē dixit: Omnia quæ pater habet, mea sunt: ergo nec sub-
 stantiam in deo possumus denegare. Neq; enim insubstantiuus est, qui alijs dedit habe-
 re substantiā: licet alia sit substantia dei, alia creature. Nec potest insubstantiuus filius dei
 esse, per quem cuncta subsistunt. Et ideo ait: Non est absconditum os meum quod fecisti
 Psalm. 138 in abscondito, & substantia mea in inferioribus terræ. Virtuti enim & diuinitati, ea quæ
 ante constitutionē mundi, uel in perspicabili maiestate sunt gesta, abscondita esse nō po-
 terant. Legimus ergo substantiā. Sed dices de incarnatione dictā esse substantiam. Inte-
 rim nomen substantiæ lectum probati, & lectum non pro patrimonio, ut dicitis. Iam, si
 placet accipiamus secundum mysteriū in inferioribus Christi fuisse substantiā. Etenim
 ut defunctorum animas in sui corporis anima liberaret, uincula mortis solueret, peccata
 donaret, operatus est in inferno, & tamen quid obstat quo minus illam diuinam intelli-
 gas substantiā, cūm deus ita ubiq; sit, ut ei dictum sit: Si ascendero in cælū, tu illic es: si de-
 scendero ad infernum, ades? Deniq; ad substantiam diuinam deriuandū esse intelletū,
 sequentibus declarauit, dicens: Inoperatum meum uiderunt oculi tui, eo quod non ope-
 ris factura sit filius, sed uerbum genitum potestatis æternæ, ἀνατέγγασον enim dixit, hoc
 est, inoperatum atq; increatum uerbum sine alicuius creaturæ testimonio ex patre na-
 tum: & tamen abundamus alijs substantiæ testimonijs. Sit ista hoc loco substantia corpo-
 ralis, dummodo non opus dei filium, sed inoperatam eius diuinitatem & ipse fatearis.
 Scio autem aliquos dicere inoperatum esse etiam incarnationis mysterium, quod nō sit
 uirilis copulæ usus operatus, quia partus est uirginis. Si ergo pleriq; hoc loco nec Mariæ
 partum opus esse dixerunt, tu Arriane opus putas esse dei uerbum? Aut hic tantum sub-
 stantiam legimus: Nonne & alibi dixit, Portæ effractæ sunt, montes ceciderunt, & reue-
 lata est substantia: nunquid & hic creatura significatur? Solent enim aliqui dicere pecu-
 niariam esse substantiam. Ergo si ad hunc sensum refers, ideo ceciderunt montes, ut pe-
 Math. 21 cuniarium patrimoniū cerneretur. Sed si meminerimus qui montes ceciderint, illi utiq;
 de quibus: Si dictum est habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, tolle
 re, & iactare in mare. Montes ergo sunt altitudines se extollentes. Deniq; in Græco, re-
 gna ceciderunt, habetur. Quæ regna, nisi satanæ, de quo dixit dominus: Quomodo sta-
 bit regnum ipsius? Ipsos ergo legimus mōtes, quæ regna sunt diaboli. Ideoq; istis caden-
 tibus regnis de corde fidelium, reuelatum est, paternæ dei filium Christum esse substan-
 tia. Qui sunt etiam illi ipsi montes ærei, de quorum medio quatuor currus procedunt:
 Aduertimus

Aduertimus altitudinem illam extollentem se aduersus scientiam dei, uerbo domini corruisse, cum diceret dei filius: Obmutescite, & exi immunde spiritus. De quo & in propheta dixit: Ecce ego ad te mons corrupte. Isti ergo ceciderunt montes, & reuelatum est quod esset in Christo diuina substantia, dicentibus ijs qui uiderunt: Vere filius dei est. Non enim humana, sed diuina potestate demonijs imperabat. Hieremias quoque dicit: Super montes accipite luctum, & super semitas desertas planctum, quia defecerunt, eo quod non sint homines, non acceperunt uocem substantiae, a uolatilibus usque ad iumenta expauerunt & perierunt. Nec praeterit etiam alibi cum fragilitates exponeret conditionis humanae, ut susceptam a se infirmitatem carnis, & affectum nostrae mentis ostenderet, dixisse dominum per Prophetam: Memento domine quae est substantia mea, quia in natura fragilitatis humanae dei filius loquebatur. De quo supra, ut incarnationis mysterium reuelaret, ait: Tu uero repulisti domine, & pro nihilo dispulisti Christum tuum, euertisti testamentum serui tui, prophanasti in terra sanctitatem. In quo utique seruum dixit nisi in carne? quod non rapinam arbitratus est esse se aequalem deo, sed semetipsum exinaniuit serui formam accipiens, in similitudinem hominum factus, & specie inuentus ut homo. Mea ergo susceptione seruus, sua dominus potestate. Quid illud quod habes: Quoniam quis stetit in substantia domini? Et alibi: Et si stetissent in substantia mea, & audissent uerba mea, & si docuissent uerba mea, & si docuissent plebem meam, auertissem eos a nequitijs & conuentionibus suis. Quomodo negant dei esse substantiam? quomodo uerbum substantiae, quod creberrimum in scripturis est, putant esse uitandum, cum ipsi ex alia substantia, hoc est, ἐτεροουσιον dicendo filium, substantiam tamen in deo esse non abnuant? Non igitur uerbum, sed uim uerbi fugiunt, quia nolunt uerum esse dei filium. Nam licet humano uerbo non possit diuinae generationis series comprehendere, tamen iudicarunt patres fide suam tali proprie contra ἐτεροουσιον sermone signanda, auctoritatem sequuti prophetae qui ait: Quis stetit in substantia dei, & uidit uerbum eius? Secundum impietatem igitur suam positum substantiae uerbum recipiunt Arriani, secundum pietatem autem fidelium comprobatum repudiant & refutant. Nam quid est aliud, cur homouision patri nolint filium dici, nisi quia nolunt uerbum dei filium confiteri? sicut author ipsorum Eusebius Nicomediensis epistola sua prodidit, dicens: Si uerum, inquit, dei filium & increatum dicimus, homouision cum patre incipimus confiteri. Haec cum lecta esset epistola in concilio Niceno, hoc uerbum in tractatu fidei posuerunt patres, quod id uiderunt aduersarijs esse formidini, ut tanquam euagina to ab ipsis gladio, ipsorum nefandae caput haeresis amputaret. Frustra autem uerbum istud propter Sabellianos declinare se dicunt, & in eo suam imperitiam produnt. Homouision enim aliud alij, non ipsum est sibi. Recte ergo homouision patri filium dicimus, quia uerbo eo & personarum distinctio, & naturae unitas significatur. An negare possunt ouisian lectam, cum & panem ἐπιουσιον dominus dixerit: Et Moyses scripserit, ἡμεῖς μοι ἐσθαι μοι λαός ἐπιουσιος ἡμεῖς ἐσθαι μοι λαός πίστεως? Aut quid est ouisia, uel unde dicta, nisi ἀϊουσιος quod semper maneat? Cui enim esse est semper, deus est: & ideo manens semper ouisia dicitur diuina, & propterea ἐπιουσιος panis, quod ex uerbi substantia, substantiam uirtutis manentis cordi & anime subministret. Scriptum est enim: Et panis confirmat cor hominis. Seruemus igitur praecipua maiorum, nec haereditaria signacula ausi rudis temeritate uiolemus. Librum signatum illum propheticum non seniores, non potestates, non angeli, non archangeli aperire ausi sunt: soli Christo explanandi eius prerogativa est seruata. Librum sacerdotalem quis nostrum resignare audeat, signatum a confessoribus, & multorum iam martyrio consecratum? Quem qui resignare coacti sunt, postea tamen damnata fraude signarunt. Qui uiolare non ausi sunt confessores & martyres extiterunt. Quomodo fide eorum possumus denegare, quorum uictoriam praedicamus? Nemo metuat, nemo formidet, plus confert fidelibus qui minatur. Venenatae sunt blanditiae perfidorum: tunc cauendae, cum id quod negant, predicare se simulant. Sic decepti sunt & ante qui facile crediderunt, ut ibi perfidiae laqueos inciderent, ubi fide esse credebant. Qui dicit, inquit, Christum creaturam, secundum ceteras creaturas, anathema sit. Audierunt simplices, & crediderunt: Innocens enim (sicut scriptum est) credit omni uerbo. Audierunt ergo & crediderunt, primo decepti sono: ac utelut aues intenti ad escam fidei, extentum sibi laqueum non cauerunt. Ita dum fide sequuntur, hamum nefandae fraudis attraxerunt. Et ideo: Estote, inquit, astuti sicut serpentes,

Marc. 1
Hiere. 51
Luc. 4
Hierem. 9

Psal. 88

Philip. 2

Hiere. 23

Psal. 103
Apoca. 5

Prover. 14

Matth. 10

pentes, & simplices sicut columbæ: præmittitur astutia, ut sit tuta simplicitas. Sunt enim
 Colof. 3 serpentes euangelici, qui exuunt ueterem usum: ut induant novos mores, sicut scriptum
 est: Expoliantes ueterem hominē cum actibus suis, & induentes nouum secundū imagi-
 nem eius qui creauit eum. Discamus ergo depositis uetusti hominis exuuijs, euāgelico-
 rum serpentiū uias, ut more serpentiū seruare caput, fraudem cauere norimus. Satis fue-
 rat dicere: Qui dicit creaturā Christum, anathema sit. Cur bono cōfessionis Arriane ue-
 nena permisces, ut totū corpus contamines? Addendo enim secundū cæteras creaturas
 non creaturā Christum negas, sed creaturā dicis esse dissimilē. Creaturam enim dicis, est
 præstantiorem cæteris asseras creaturis. Deniq; Arrius huius impietatis magister dei fi-
 lium creaturā dixit esse perfectā. sed nō sicut cæteras creaturas. Videtis igitur hæredita-
 rio patris uestri uos usos esse sermone? Sat est creaturā negare, quid opus fuit addere, sed
 non sicut cæteras creaturas? Recide quod putruit, ne serpat contagio: uenenum habet,
 mortem affert. Deinde dicis interdum deum Christum, sed ita dic deum, ut deum uerū,
 i. Corin. 8 ut plenitudinem ei paternæ diuinitatis assignes. Sunt enim qui dicantur dii, siue in cœ-
 lo, siue in terra. Non ergo perfuntoriē nuncupandus deus, sed ita ut eandem diuinita-
 tem prædices in filio quam pater habet, sicut scriptum est: Sicut enim pater uitam habet
 Ioann. 5 in semetipso: sic dedit & filio uitā habere in semetipso. Dedit utiq; quasi filio per gene-
 rationem, non quasi inopi per gratiā. Et potestātē dedit ei iudicium facere, quia filius ho-
 minis est. Vide quid addidit, ne tu calumniaris ex uerbo. Filiū hominis legis, & accipien-
 tem arguis? Nega ergo deum, si non omnia filio quæ dei sunt, deferuntur. Cum enim di-
 Ioann. 16 in filio confiteris? Nam qui dicit: Omnia quæ pater habet, mea sunt: quid excipit quod
 non habet? Quid est quod ἰμπατισμὸν quàm fideli magis sermone cōmemores, quod mor-
 tuos suscitauerit, maria pede transmiserit, infirmitates hominum curauerit? Hæc etiā ser-
 Matth. 9 uulis suis præstitit. Plus ista miror in hominibus, quod tantam dederit potestatem homi-
 nibus. Aliquid de Christo audire desidero, quod speciale sit Christi, quod cum ijs quæ
 creata sunt, non possit esse cōmune. Quia genitus, quia unicus est dei filius, quia deus ue-
 rus ex deo uero, quia ad dexterā patris sedet: ubiq; lego confessum patris & filij, semper
 ad dexteram filius sedet. Nunquid melior filius patre? Nō hoc dicimus. Sed quæ charitas
 dei honorat, humana iniquitas derogat. Sciuit pater serēdas esse de filio quæstiones, præ-
 buit nobis quod sequeremur pietatis exemplū, ne filio derogemus. Vno tantū loco stan-
 Acto. 7 tem ad dexterā dei Iesum Stephanus uidisse se dixit. Et hoc disce, ne quam hinc moueas
 quæstionē. Cur enim ubiq; ad dexterā sedere ostenditur, uno legitur in loco stare? Sedet
 quasi iudex uiuorū & mortuorū: stat quasi aduocatus suorū. Stabat ergo quasi sacerdos,
 quando patri hostiam boni martyris offerebat, stabat quasi bono luctatori brauiū tanti
 præsul certaminis redditurus. Accipe & tu spiritū dei, ut ista distinguas, sicut accepit &
 Stephanus, & dicas sicut dixit & martyr: Ecce uideo cœlos apertos, & filium hominis
 stantem ad dexterā dei. Qui cœlos apertos habet, Iesum ad dexterā dei cernit. Qui clau-
 sos oculos habet mentis, Iesum ad dexteram dei non uidet. Confiteamur ergo Iesum ad
 dexteram, ut cœlum & nobis aperiatur. Claudunt sibi cœlū, qui aliter cōfitentur. Quod
 si qui obijciunt quod filius stabat, ostendant hoc loco quod pater sedebat. Nam licet fi-
 lium hominis stare dixerit, tamē hoc loco nec patrē sedere memorauit. Ut autē euiden-
 tius cognosceretur nulla esse stantis iniuria, sed potestas, filium Stephanus obsecrabat,
 ut se amplius cōmendaret patri, dicens: Domine Iesu, recipe spiritum meum. Et ut ean-
 dem patris & filij potestatem esse ostenderet, repetiuit, dicens: Domine, ne statuas illis
 hoc peccatum. Hoc dominus in passione propria quasi filius hominis patri dicit: hoc &
 Stephanus filium dei in suo martyrio deprecatur. Cum eadem gratia à patre filioq; depo-
 scitur, eadem potentia declaratur. Aut si uolunt Stephanum patri dixisse, uideant quid
 propria testificatione significant. Licet nos ista non moueant, aduertant tamen qui to-
 tum in litera cōstituunt & in ordine, quod filius prius sit rogatus. Nos autem & secundū
 eorum interpretationem ostendimus unitatem paternæ maiestatis & filij. Nā cum & pa-
 ter rogatur & filius, æqualitas precatōnis, operationis indicat unitatē. Si autē illis non
 placet filio dictum, Domine: uidemus quod etiā dominum eum negare conātur. Sed
 iā quia martyris tanti corona processit, studia certaminis relaxemus, ferias hodierni ser-
 monis

monis habeamus: Prosequamur sanctum martyre laudibus, sicut post magna decebat certamina, uulneribus quidem aduersarij cruentatum, sed Christi præmijs coronatum.

F I N I S.

CAPITVLA LIBRI IIII. DE FIDE.

- Quod non mirum uideatur quod humanum genus errauerit de filio dei, cum & angeli non potuerint mysteriũ domini Iesu Christi cognoscere, nisi per reuelationẽ. Cap. I
De eo quod scriptum est: Omnis uiri caput Christus est, &c. Et, Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. Cap. II
De eo quod scriptum est: Amen amen dico uobis, nõ potest filius facere à se quicquam nisi quod uiderit patrem facientem. Cap. III
Quibus rebus hæretici inæqualitatem patris & filij probare contendant. Cap. IIII
De eo quod scriptũ est: Sicut me misit uiuens pater, & ego uiuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse uiuit propter me. Cap. V
De eo quod scriptum est: Hæc infirmitas non est ad mortem. Cap. VI
Quomodo intelligi debeat quod scriptum est: Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est. Cap. VII

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIO-

LANENSIS DE FIDE AD GRATIANVM AV-
GVSTVM, LIBER QVARTVS.

Quod non mirum uideatur quod humanum genus errauerit de filio dei, cum & angeli non potuerint mysterium domini Iesu Christi cognoscere, nisi per reuelationem. Cap. I



Ogitanti mihi Imperator Auguste, qua ratione sic errauerit genus hominum, ut dei filio pleriq; (uæ mihi) diuersa sequerentur, nequaquam satis mirum uidetur quod errauit humana sciẽtia de supernis, sed quod scripturis nõ detulit obedientiam. Quid enim mirum, si mysterium dei patris & domini Iesu Christi in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, per sapientiam mundi non potuerunt homines comprehendere, quod nec angeli cognoscere nisi ex reuelatione potuerunt? Quis enim potuit opinione magis quam fide sequi dominum Iesum, nunc de cœli altissimis inferna penetrantem, nunc ab inferis ad cœlestia resurgentem, subito exinanitum ut habitaret in nobis, nec unquam imminutum, cum semper filius in patre & in filio pater esset? Dubitauit in eo ipse prænuncijs, licet per synagogæ typum dubitauit ipse ante domini faciem destinatus. Deniq; missis discipulis interrogat: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Obstupuerunt & angeli cœlesti mysterium. Vnde cum resurgeret dominus, atq; illum quem dudum secundum carnem angustus sepulchri locus texerat, resurgentem ab inferis, cœli alta sustinere non possent, hæserunt etiam cœlestia opinionis incerto. Veniebat enim nouis uictor redimitus exuuijs, dominus in templo sancto suo, præibant angeli & archangeli, mirantes spoliũ ex morte quæsitum. Et quamuis scirent nihil deo accedere ex carne potuisse, quia infra deũ omnia sunt: tamen trophæa crucis, cuius principium super humeros eius, & triumphatoris æterni manubias intuentes, quasi eum quem emiseraũt, cœli portæ capere non possent, licet nunquã eius capiant maiestatem, maiorẽ uiam querebant aliquã reuertenti, adeo nihil exinanitus amiserat. Debuĩt tamẽ nouo uictori nouũ iter parari: semper enim uictor tanquã maior & præcellior æstimatur. Sed quia æternæ sunt iustitiæ portæ, eedemq; noui & ueteris testamẽti, quibus cœlũ aperitur, non mutant utiq; sed eleuãtur: quia non unus homo, sed totus in omniũ redemptore mundus intrabat. Trãslatũ erat Enoch, raptus Helias: Sed nõ est seruus supra dominum. Nullus enim ascẽdit in cœlum, nisi qui descẽdit de cœlo. Nã & Moysen,

Matth. 11

Esa. 9.

Matth. 10

licet corpus eius non apparuerit in terris, nusquam tamen in gloria cœlesti legimus, nisi posteaquam dominus resurrectionis suæ pignore uincula soluit inferni, & piorum animas eleuauit. Translatus ergo Enoch, raptus Helias: ambo famuli, ambo cum corpore, sed non post resurrectionē, non cum manubijs mortis & triumpho crucis uiderant illos angeli. Et ideo dominū omnium primū ac solum de morte triumphantē uenire cernentes, tolli portas principibus imperabant, cū admiratione dicentes: Tollite portas principes uestri, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex glorię. Erant tamen & in cœlestibus qui stupere, qui admirarentur nouam pompam, nouam gloriam, & ideo requirebant: Quis est iste rex glorię? Sed quia & angeli processus habēt scientiæ, & capacitatem profectus, habent utiq; discretionem uirtutis, atq; prudentiæ. Solus enim sine processu deus, quia in omni perfectione semper æternus est. Dicebant alijs, illi utiq; qui affuerant resurgenti, illi qui uiderant uel iam cognouerant: Dominus fortis & potens, dominus potens in praelio. Iterum multitudo angelorum triumphali agmine præcinebant, Tollite portas principes uestri, & eleuamini portę æternales, & introibit rex glorię. Rursum alijs stupentes: Quis est iste rex glorię? Vidimus eum non habentem speciem neque decorem. Si ergo ipse non est, Quis est iste rex glorię? Respondetur à scientibus: Dominus uirtutum, ipse est rex glorię. Ergo dominus uirtutum ipse est filius. Et quomodo infirmum Arriani dicunt, quem dominum uirtutum sicut & patrem credimus? Quomodo Arriani discretionem faciunt potestatis, cū dominum sabaoth patrem, dominum sabaoth filium legerimus? Nam & hoc sic positum pleriq; codices habent, quod dominus sabaoth ipse sit rex glorię. Sabaoth autem interpretes alicubi dominum uirtutum, alicubi regem, alicubi omnipotentem interpretati sunt. Ergo quoniam qui ascendit filius est, qui ascendit autem dominus est sabaoth: omnipotens utiq; dei filius est. Quid igitur agimus: quomodo ascendemus ad cœlum? Sunt illic dispositæ potestates, ordinati principes, qui cœli ianuas seruant, qui ascendentem interrogant. Quis me admittet, nisi omnipotentem annunciem Christum? clausæ sunt portæ, non cuiuscunq; aperiantur, non quicumq; uult, nisi qui fideliter credit, ingreditur. Custoditur aula imperialis. Sed esto, indignus obrepserit, latuerit principes portarum cœlestium, discubuerit in cœna domini: ingressus dominus conuiuij, uidens non indurū nuptiale fidei uestimentum, proiciet eum in tenebras exteriores, ubi sit fletus & stridor dentium, si fidem pacemq; non seruet. Seruemus igitur nuptiale quod accepimus uestimentum, nec Christo propria denegemus, quem omnipotentē annunciant angeli, propheta significant, apostoli testificantur, sicut iam supra ostendimus. Et fortasse nō de istius tantummodo cœli portis propheta dixerit quod præteribit: & alios enim cœlos dei uerbū penetrat, de quibus dictum est: Habemus enim sacerdotē magnum, principē sacerdotū qui penetrauit cœlos, Iesum filiū dei. Qui sunt isti cœli, nisi & hi de quibus dicit Propheta: Cœli enarrant gloriā dei? Stat enim Christus ad ianuam mentis tuæ. Audi eū dicentē: Ecce sto ad ianuam & pulso si quis mihi aperuerit, ingrediar ad illum, & cœnabo cum eo & ipse mecum. Stat ergo, & non solus stat, sed præcedunt eum angeli qui dicunt: Tollite portas principes uestri. Quas portas? Illas utiq; de quibus & alibi dicit: Aperite mihi portas iustitiæ. Aperi ergo Christo portas tuas, ut ingrediatur in te: aperi portas iustitiæ, aperi portas pudicitiae, aperi portas fortitudinis atque sapientiæ. Crede angelis dicentibus: Et eleuamini portæ æternales, ut introeat in te rex glorię, dominus sabaoth. Porta tua, uocis fidelis canora confessio est: porta tua, ostium uerbi est, quam sibi Apostolus optat aperiri, dicens: Ut aperiatur mihi ostium uerbi ad eloquendum mysterium Christi. Aperiatur igitur Christo porta tua, nec solum aperiatur sed etiam eleuetur, si tamen æternalis est non caduca. Scriptum est enim: Et eleuemini portæ æternales. Eleuatum est super limen Esaia, quando Seraphim labia eius tetigit, & uidit regem dominum sabaoth. Tuæ ergo portæ eleuabuntur, si sempiternum, si omnipotentem, si inæstimabilem, si incomprehensibilem, si eum qui & præterita omnia & futura omnia nouerit, filium dei credas. Quod si præfinitæ potestatis & scientiæ, subiectumq; opinere, non eleuas portas æternales. Eleuetur ergo portæ tuæ, ut non Arriano sensu paruulus, nō pusillus, non subditus ad te Christus introeat, sed intret in dei forma, intret cum patre, intret talis qualis est & cœlum & omnia supergressus, emittat tibi spiritum sanctum. Expedit tibi ut credas quod ascendit & sederat

sedet ad dexteram patris. Nam si eum inter creaturas & terrena impia cogitatione detineas, si non tibi abeat, non tibi ascēdat, nec paraclētus ad te ueniet, sicut ipse dixit: Nam si ego non abiero, paraclētus non ueniet ad uos: si autem abiero, mittam illum ad uos. Quod si inter terrena eum requiras, sicut Maria Magdalene requirebat, caue ne & tibi dicat: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Portæ enim tuæ angustæ sunt, capere me non queunt: eleuari non queunt, intrare non possum. Vade ergo ad fratres meos, hoc est, ad illas portas æternales, quæ cum Iesum uiderint, eleuantur. Æternalis porta est Petrus, cui portæ inferi non præualebunt. Æternales portæ, Ioannes & Iacobus, utpote filij tonitrui. Æternales portæ sunt ecclesiæ, ubi laudes Christi annunciant. Propheta desiderans, dicit: Ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion. Grande ergo mysterium Christi quod stupuerunt & angeli. Et ideo uenerari debes, & domino famulus derogare non debes: ignorare non licet, propterea enim descendit ut credas. Si non credis, non descendit tibi non tibi passus est. Si non uenissem, inquit, & locutus fuisset his, peccatum non haberet. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & patrem meum odit. Quis igitur odit Christum, nisi qui derogat: Sicut enim amoris est deferre, ita odij est derogare. qui odit, quæstiones mouet: qui amat, reuerentiam defert.

De eo quod scriptum est, Omnis uiri caput Christus est, &c. Et, Qui autem plantat & qui rigat, unum sunt.

Cap. II

Taq; discutiamus eorum alias quæstiones. Scriptum est, inquit: Omnis uiri caput, Christus est: caput autem mulieris, uir: caput autem Christi, deus.

Qua in quæstione dicant mihi uelim, utrum coniungere, an diuidere hæc quatuor uelint. Si enim coniungere, atq; ita ut dicant deum caput esse Christi, sicut uir est mulieris caput, uidete quid incidant. Nam si hæc tanquam ex paribus sumpta est comparatio, & hæc quatuor, id est mulier, uir, Christus, & deus, quali ex unius atq; eiusdem naturæ similitudine comparantur: ergo mulier & deus unius incipient esse naturæ. Quod si hoc displicet, quod sacrilegium est dicere, ut uolunt diuidat. Itaq; si Christum apud deum esse substantiæ, quoniam mulier & uir unius sunt in carne naturæ. Nam quod distat, in sexu est. Cum uero inter Christum & deum patrem sexus non interueniat, quod unum inter filium & patrem in natura est, fatebuntur: quod diuersum in sexu est, denegabunt. Placētne ista diuisio: an mulierem, uirum, & Christum unius uolunt esse substantiæ, & patrem separant: Hæccine igitur diuisio placet: Si ita est, uidete quid incidat. Aut enim non solum Arrianos sed etiam Fotinianos se necesse est confiteatur, quod Christum hominem tantum fatentur, quem humanæ tantummodo naturæ æstimant copulandum: aut uel inuitos acquiescere par est nostræ sententiæ, per quam id quod impie cogitarunt, pie religioseq; defendimus, ut sit Christus quidem secundum generationem diuinam dei uir, secundum assumptionem autē carnis, unius cum omnibus hominibus in carne substantiæ, salua tamen incarnationis suæ gloria, qui ueritatem suscepit non imaginem carnis. Sit ergo iuxta humanam conditionem caput Christi deus. Non enim dixit caput Christi pater, sed caput Christi deus: quia diuinitas, utpote creatrix, caput est creaturæ. Et bene dixit, caput Christi deus, ut & diuinitatem Christi significaret & carnem: hoc est incarnationem in Christi nomine, in deo autem unitatem diuinitatis et magnitudinem potestatis. Eousq; autem caput Christi deus secundum incarnationem dictum est, ut & caput uiri Christus secundum incarnationem uerbi dictus sit. Quod alibi Apostolus euidenter exposuit, dicens: Quonia uir caput est mulieris, sicut & Christus caput ecclesiæ. Et in consequentibus addidit: Qui se tradidit pro ea. Secundum incarnationem igitur caput uiri Christus, quia secundum incarnationem facta traditio est. Est ergo uiri caput Christus, caput Christi deus, ubi serui, hoc est hominis, non dei forma tractatur. Sed nihil præiudicat dei filio, si secundum carnis ueritatem similis sit hominibus, qui diuinitate cum patre unum est. Non enim potestas hac interpretatione minuitur, sed misericordia prædicatur. Quis autem unam diuinitatem patris & filij pie abneget, cum ipse dominus consummaturus præcepta discipulis suis dixerit, Ut sint unum, sicut & nos unum sumus: Pro testimonio enim fidei positum est, licet ab Arrianis ad argumētum perfidiæ deriuetur. Etenim quoniam

Ioan. 16

Psalm. 73

Ioan. 15

1. Corin. 11

Ephes. 5

Ioan. 17

toties sectam negare non queunt unitatem; extenuare conantur, ut talis uideatur diuinitatis unitas inter patrem & filium, qualis est inter homines unitas deuotionis & fidei, licet etiã inter ipsos homines unitas naturæ sit ex cõmunitate naturæ. Vnde & illud aperitissimè soluitur, quod ad extenuationem dominicæ unitatis obijcere consuerunt, quia scriptum est: Qui autem plantat & qui rigat, unum sunt. Hoc Arriani si saperent non obijcerent: Quomodo enim negare conantur, quod pater & filius unum sunt, cum Paulus & Apollo & natura unum sint & fidei? Sed tamen per omnia unum esse non possunt, quia ne queunt comparari humana diuinis. Inseparabilis ergo deus pater uerbo, inseparabilis uirtute, inseparabilis sapientia per diuinæ unitatē substantiæ: & est in filio, sicut frequenter scriptum est. Est uerò, non ut egentem significans, nec ut uacuum implens, quia nõ uacua dei uirtus. Nec enim uirtus uirtute augetur, quia nõ duæ uirtutes sed una uirtus: nec diuinitas diuinitatem accipit, quia non duæ diuinitates, sed una diuinitas. Nos autem per acceptam & inhabitantem in nobis uirtutem, unum erimus in Christo. Communis ergo gloria, sed discrepans diuina humanaque substantia. Nos unum erimus, pater & filius unum sunt. Nos secundum gratiam, filius secundum substantiam. Alia autem per coniunctionem, alia per naturam unitas. Denique uide quid ante præmiserit, Ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te. Considera ergo quod non dixit: Tu in nobis, & nos in te: sed tu in me, & ego in te, ut se à creaturis separaret. Et addidit: Et isti in nobis, ut etiam hic suam potentiam & patris à nobis secerneret: ut quod nos in patre & filio unum sumus, non natura uideatur esse, sed gratiæ. Quod autem filius & pater unum sunt, non hoc filius accepisse per gratiam, sed naturaliter ut filius possidere credatur.

De eo quod scriptum est, Amen amen dico uobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quod uiderit patrem facientem.

Cap. III
 Ioann. 5. **A**liud rursus obijciunt, asserentes unam atque eandem potestatem filij & patris esse non posse, quia ipse dixit: Amen amen dico uobis, non potest filius facere à se quicquam, nisi quod uiderit patrem facientem. Itaque nihil ex se fecisse filium dicunt, nec facere posse, nisi quod uiderit facientem patrem. O præscia sapientia infidelium argumentorum, quæ subiecit quod solueret quæstionem, addendo quod sequitur: Quia quæcumque ille fecerit, eadem & filius facit similiter. Hoc nempe sequitur. Cur ergo scriptum est: Eadem facit filius, & non talia: nisi ut in filio unitatem non imitationem paterni operis aestimares? Sed tamen ut illorum quoque argumenta discutiamus, quero ut respondeant: Vtrum uideat filius opera patris. Videt itaque an non? Si uider, ergo & facit: si facit, desinant omnipotentem negare, quem omnia posse facere quæ pater facientem uiderit confitentur. Quid est autem, uiderit? Corporaliter ne aliquis usus eorum est: Sed si hoc de filio uelint dicere, corporalis etiã in patre usum operationis ostendent, ut facientem uideat quod ipse facturus est. Quid est autem, Non potest filius facere à se quicquam? Hoc interrogemus, hoc consideremus. Est ergo aliquid impossibile dei uirtuti atque sapientiæ: hoc est enim dei filius, qui alienam utique non accipit fortitudinem, sed quemadmodum uita est, non aliena uiuificatione subnixus, sed alios uiuificans quia ipse uita est: ita etiam sapientia est, non quasi insipiens accipiens sapientiã, se qui de suo alios faciat esse sapientes. Ita etiã uirtus est, non quasi per infirmitatē consecutus incrementa uirtutis: sed ipse uirtus, qui uirtutem fortibus largiatur. Quomodo ergo uirtus quasi cum iurisiurandi attestatone dicit: Amen amen dico uobis, quod est fideliter, fideliter dico. Fideliter ergo dicis, domine Iesu, & cum sacramenti quadã repetitione confirmas quod nihil facere potes, nisi quod facientem patrem uideris. Fecisti mundum, Nunquid aliter mundum pater tuus fecit, quem quasi ad exemplar acceperis? Ergo necesse est fateantur impij, aut duos aut certe multos esse mundos, quod philosophi asserunt, ut se etiam in hoc errore gentilitatis inuoluant. Aut si uelint uerum sequi, dicant sine exemplari te fecisse quod feceris. Dic mihi domine, quando in mari patrem incarnatum uideris ambulantem? Ego enim nescio, ego hoc de patre credere sacrilegum puto, qui te solum carnem assumpsisse cognoui. Quando uideris in nuptijs patrem aquam in uina uertentem? Sed solum te unigenitum filium legi ex patre natum, solum te ex spiritu sancto accepi & uirgine secundum incarnationis sacramenta generatum. Ergo ista quæ memora uimus à te gesta, non fecit pater, sed sine exemplari paterni operis ad redimendam tuo sanguine

sanguine salutem mundi solus immaculatus ex aluo uirginis processisti. Ac ne forte incarnationis tantummodo putent sequestrandū esse mysteriū, licet cum dicāt: Non potest filius à se facere quicquam, nihil excipiāt, ita ut et quidā impius dixerit, nec culicem facere potest, tam temerario ausu petulantiq; sermone maiestatem supernae uirtutis irridēs, dic domine Iesu quam terram sine te pater fecerit? Caelum enim sine te nō fecit: quia scriptum est, Verbo domini caeli firmati sunt. Sed nec terram sine te fecit: quia scriptum est. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Nam si aliquid sine te deo uerbo pater fecit: non ergo omnia facta per uerbum, & Euangelista mentitur. Quod si omnia facta per uerbum, & omnia per te coeperunt esse quae non erant: utiq; quae non uideri à patre facta, à te ipse fecisti. Nisi forte philosophicas tibi Idæas, Platonica illa disputatione praestituunt, quas ab ipsis tamen philosophis scimus irrisas. Si autem ex te ipse fecisti, uana est assertio perfidorum, quae auctori omnium cui suppetit ex se faciendi magisterium, tribuit discendi profectum. Quod si per te negant caelum esse factū uel terram, considerent impij quò se suo furore praecipitent, cum scriptum sit: Dij qui non fecerunt caelum & terram pereāt. Peribit ergo Arriane, qui quod perierat & reperit & redemit: Sed ad proposita reuertamur. Quomodo non potest filius facere à se quicquam? Queramus quid sit quod facere non possit. Multae sunt impossibilitatum differentiae. Est aliquid natura impossibile, & est aliquid quod est possibile per naturā, impossibile per infirmitatem. Est etiam tertium quod sit possibile per corporis et animi firmitatem, impossibile per imperitiam aut impotentiam. Est etiam quod per definitionem immutabilis propositi & constantis perseverantiam uoluntatis atq; amicitiae fidē, sit impossibile mutari. Sed haec (ut euidentius possimus aduertere) per exempla nobis disputatio dirigatur. Impossibile est, ut auis sapientiae disciplinam aliquam assequatur aut artem. Impossibile est et lapidem prodire quoquam. Impossibile est enim lapidē moueri, nisi motu moueatur alterius. Non potest ergo lapis per seipsum moueri & trāsire de loco. Non potest etiam aquila humanis imbui disciplinis. Habes unam speciem, cui impossibilitatis causa, natura est. Impossibile est & debili facere opera robusti. Sed huic alia impossibilitatis causa est. Quod enim facere potest per naturam, per infirmitatē nō potest. Causa igitur huic quoq; impossibilitati, infirmitas. Alia ergo impossibilitatis haec species, quoniam à faciendi possibilitate, corporis infirmitate reuocatur. Tertia quoq; impossibilitatis est causa, quia etiam si per naturam quis & firmitatē corporis facere aliquid possit, non potest tamen facere per imperitiam uel impotentiam: ut aut indoctus, aut seruus. Quas igitur harum quas enumerauimus impossibilitatum causas (ut quartam interim sequestramus) filio dei existimas cōuenire? nunquid insensibilis per naturam, & immobilis sicut lapis? Lapis quidem est impijs in ruinam, fidelibus angularis. Sed non insensibilis, supra quem sensibilibus populorum fideles aedificantur affectus. Non immobilis petra. Bibebant enim ex cōsequenti petra, petra autē erat Christus. Non ergo paternū opus per naturae distantiam impossibile Christo. Nūquid forte per debilitatē impossibile ei aliquid existimamus? Sed non ille debilis qui aliorū debilitates imperiali sermone sanabat. An debilis uidebatur, cum paralytico praecipiens: Tolle grabatū tuum & ambula: sanitatis iam mandabat officium, cum adhuc ille remediū debilitatis oraret? Num debilis dominus uirtutū, cum illuminaret caecos, inclinatos erigeret, mortuos suscitaret, uotis nostris medicinae praecurreret effectus, orantes curaret, & fimbriae mūdaret attactus? Nisi forte debilitatem illam impij putabatis, quando uulnera uidebatis. Erant quidem illa corporis uulnera, sed nō erat uulneris illius ulla debilitas, ex quo omniū uita profluebat. Vnde & propheta dixit: Lūore eius nos sanati sumus. An qui in uulnere debilis nō erat, erat in maiestate? Quomodo quaero, cum demonijs imperaret et reis peccata dimitteret, an cum rogaret patrē? Quo loco fortasse dicant, quomodo pater & filius unū sunt, si filius nunc imperat, nunc precatur? Et unum sunt, & imperat & precatur. Sed neq; cum imperat, solus: nec cum precatur, infirmus. Solus non est, quia quaecunq; pater facit, eadem similiter & filius facit. Infirmus nō est, quia & si in carne infirmatus est propter peccata nostra, tamē illud nostrae erat in eo pacis eruditio, sicut scriptū est, non suae maiestatis infirmitas. Deniq; ut scias quòd secundum hominē rogat, diuinitate imperat, habes in Euāgelio, quod Petro dixit: Rogauī pro te, ut non deficiat fides tua. Eidem autem su

Psalm. 32
Ioan. 11. Petr. 2
1. Corin. 16

Marc. 2

Esai. 53

Ioan. 5

Esai. 53

Luc. 22

Matth. 16

pra

pra dicenti: Tu es Christus filius dei uiui, respōdit: Tu es Petrus, & super hanc Petrā edificabo ecclesiā meā, et tibi dabo clauēs regnī cōlorū. Ergo cui propria authoritate regnū dabat, huius fidē firmare non poterat: quem cum petrā dicit, firmamentū ecclesię indica uit. Quādo igit̄ roget, quādo imperet cōsidera. Rogat quando passurus ostenditur: imperat, quando filius dei creditur. Duas igitur species impossibilitatis uacare iam cernimus, quod neq; insensibilis neq; infirma potest esse dei uirtus. Nūquid tertiū profertis in mediū, quod quasi imperitus sine magistro facere nihil possit, aut seruus sine domino? Ergo mentitus es domine Iesu, qui te & magistrū & dominum ipse dixisti, & fefellisti discipulos tuos, dicens: Vos uocatis mē magistrum & dominū, & bene dicitis, sum enim.

Ioan. 13 Sed non falleres ueritas, eos praesertim quos amicos uocasti. Tamē si ut imperitum te ab artifice secernunt, uiderint ut tibi, hoc est dei sapientiā, dicant peritiā defuisse: unitatem tamen substantiē inter te & patrem separare non possunt. Artificem namq; ab imperito imprudentia non natura secernit. Sed non in patre artificium, neq; in te insipientia. Non est enim insipiens sapientia. Ergo si neq; insensibilis in filio natura, neq; debilitas, neq; imperitia, neq; seruitus potest esse, considerent quod et per naturam & maiestatem unum sit cum patre filius, & per operationem non discrepet a patre uirtus, cum omnia quae pater fecerit, eadem et filius faciat similiter. Neq; enim similiter potest quisquā facere idem opus quod alius fecerit, nisi qui & inaequalitatem non habeat operationis, & naturae eiusdem habeat unitatem. Adhuc tamen requiro, quid sit quod non possit facere a se filius, nisi quae uiderit facientem patrem? Et insipienter aliqua de uilioribus exempla propono. Factus sum enim insipiens, uos me coegistis. Nam quid insipientius quam de maiestate dei argumēta discutere, quae quaestiones magis praestant quam edificationem dei, quae est in fide? Sed argumentis argumenta respondeant. Illis uerba, nobis charitas, quae in deo est, de corde puro & conscientia bona, & fide nō ficta. Ergo ad infirmationem tam ineptae propositionis, non piget etiam ridicula deriuare. Quomodo ergo uidet filius patrem? Videt equus picturam, quam per naturam imitari non potest. Non utiq; sic uidet filius. Videt paruulus uiri opera maioris, sed imitari non potest. Nec utiq; sic uidet deus filius. Ergo si filius & per eiusdem cum patre arcanum cōmune naturae inuisibiliter & uideri & facere potest, & per plenitudinem diuinitatis quod uoluerit exequi: quid superest nisi ut per unitatem inseparabilem potestatis, nihil credamus filium facere, nisi quod uiderit patrem facientem, quia per inseparabilem unitatem nihil a se facit filius, quoniam nihil uult quod pater nolit? Quod utiq; non infirmitatis sed unitatis est. Ergo nec contumax filius, ut etiam de quarta propositione dicamus. Nihil enim consiliarius filius facit, quod cum patris non conueniat uoluntate. Deniq; uidit pater quae fecit filius, & probauit quod bona ualde. Sic enim habes in Genesi: Et dixit deus: Fiat lux, & facta est lux: & uidit deus lucem quod bona est. Nūquid hic dixit pater: Fiat talis lux qualem ipse fecit? Aut fiat lux quae ante non fuerat? Aut filius qualem faceret, interrogauit? sed fecit ut uoluit, qualem pater usq; eo uoluit ut probaret. Ergo nouum opus filij est. Deniq; si reprehenditur in filio secundum interpretationes Arrianorum, quod quae uiderit facit, qui utique secundum scripturas quod non uidit & fecit, & dedit esse quae non erant: quid dicunt de patre: qui quod uiderat praedicauit, quasi ea quae facienda forent non potuerit prauidere? Similiter ergo uidet filius patris opus, sicut pater opus filij. Nec quasi alienum laudat, sed quasi proprium recognoscit. Quaecumq; enim pater fecerit, eadem & filius facit similiter: ut idem opus patris filijq; sentires. Nihil ego facit filius, nisi quod pater probet, pater laudet, pater uelit, quia ex patre totus est: non ut creatura, quae multa committit, dum studio lapsuq; peccati uoluntatem frequenter offendit autoris. Nihil ergo filius facit, nisi quod placeat patri, quia una uoluntas, una sententia est, una est uera charitas, unius operationis effectus. Deniq; ut scias charitatis esse, quia non potest filius a se facere quicquam, nisi quod uiderit facientem patrem, cum praemississet, Quaecumque ille fecerit, eadem & filius facit similiter, subiicit: Pater enim diligit filium. Ergo quod dixit scriptura, quia non potest, ad inseparabilis & indiuiduae charitatis retulit unitatem. Quod si naturaliter est, ut uere est, inseparabilis charitas, inseparabilis utique est etiam operatio naturaliter: & impossibile ut opus filij cum patria non cōueniat uoluntate, quādo id quod filius operatur, operatur & pater: & quod pater operatur, operatur & filius

filius: & quod loquitur filius, loquitur & pater, sicut scriptum est: Pater meus qui in me
 manet, ipse loquitur, & opera quæ ego facio, ipse facit. Nihil enim pater sine uirtute atq;
 sapientia sua condidit, qui omnia in sapientia fecit, sicut scriptum est: Omnia in sapien- Ioan. 14
 tia fecisti. Nihil etiam deus uerbum sine patre fecit. Non operatur sine patre, nõ sine pa- Psal. 103
 tria uoluntate sacrosanctæ illi se obtulit salutaris mundi totius hostia passioni: non sine
 patria uoluntate mortuos suscitauit. Deniq; Lazarum suscitaturus leuauit oculos sur- Ioan. 11
 sum & dixit: Pater gratias ago tibi quia audisti me: & ego sciebã quia semper me audis,
 sed propter turbam quæ circumstat dixi, ut credat quia tu me misisti. Ut quamuis ex per-
 sonæ hominis incarnati susceptione loqueretur, unitatem tamen paternæ uoluntatis &
 operationis exprimeret: quia pater omnia audit, omnia uidet quæ uult filius. Videt er-
 go & pater facientem filium, audit uolentem. Deniq; non rogauit, & exauditum se esse
 dixit. Nec existimari potest quod nõ audit pater quod uelit filius & ut scias quia semper
 auditur à patre, non quasi seruus, nec quasi propheta, sed quasi filius: Et ego, inquit, scie-
 bam quia semper me audis, sed propter turbam quæ circumstat dixi, ut credant quia tu
 me misisti. Propter nos igitur gratias agit, nec eundem patrem eundemq; filium esse cre-
 damus, cum idem opus patris audimus & filij. Nam ut cognosceres non quasi infirmum
 gratias egisse, sed quasi dei filium semper sibi diuinam potentiam uindicare, clamauit,
 Lazare ueni foras. Imperantis utiq; uox ista est, non precantis. Sed ut ad superiora redea-
 mus, & proposita concludamus, facit quasi uerbum filius uoluntatem patris. Verbum
 hoc nostrum utiq; prolatium est, syllabæ sunt, sonus est, & tamẽ à sensu nostro & men-
 te non discrepat, & quæ interiori tenemus affectu, ea tanquam operantis uerbi testifica-
 tione signamus. Sed non sermo noster operatur, solum est uerbum dei, quod nec prola-
 tium est, nec *ἐὶ δὲ ἰσχύει* dicunt, sed quod operatur & uiuit & sanat. Vis scire quale uer- Hebr. 4
 bum? audi dicentem: Uiuum est enim uerbum dei & ualidum atq; operatorium & acu-
 tum, & penetrabilius omni gladio acutissimo, penetrans usq; ad diuisionem animæ &
 spiritus artuumq; & medullarum. Verbum igitur audis dei filium, & à patria uoluntate
 & potestate secernis? Audis quod uiuit, audis quod sanat, noli ergo nostro comparare
 uerbo. Si enim uerbum nostrum quæ non obtutu uiderit, non auditu audierit loquitur,
 & loquitur tamen cognita per quædam naturæ humanæ interna mysteria: quomodo non
 impius qui secundũ diuinitatẽ in dei uerbo & obtutu quendam corporeũ exigat, & audi-
 tum? putat quod nõ possit à se quicquam facere filius, nisi quod patrẽ facientẽ uiderit,
 cum per unitatẽ, ut diximus, eiusdẽ substantiæ, idẽ uelle atq; idem nolle & idem posse,
 & in patre sit & in filio & in spiritu sancto? Quod si homines plerunq; sensuum qualita-
 te discreti, tamen unius propositi intentione concordant: quid de patre nos & dei filio
 congruit aestimare, cum id quod humana imitatur charitas, substantia diuina possideat?
 Ponamus tamen sicut ipsi uolunt quod quasi in exemplari, quod uiderit patrem facien-
 tem, filius faciat. Et hoc utiq; eiusdẽ substantiæ est. Nullus enim potest alterius imita-
 tionem operationis implere, nisi qui eiusdẽ naturæ habeat unitatem.

Quibus rebus hæretici inæqualitatem patris & filij probare contendunt. Ca. IIII

Imperator Auguste, quidam hoc etiam ad inæqualitatem dei patris & filij
 obijciendam usurpare consuerunt, quod dicant omnipotentem patrem esse
 quod genuerit filium, negent autem omnipotentem filium, dicentes quod
 generare non potuit. Sed uide quemadmodum scæua impietas, ut adialecta philoso-
 phorum seipsa conuincat. Hac enim quæstione, aut coæternũ patri filium necesse est sua
 uoce fateantur, aut si principium temporis filio aliquod adscribunt, principium poten-
 tiæ necesse est tribuant etiam patri. Ita cum omnipotentẽ filiũ negant, incipiunt (quod
 nefas dictu est) asserere, per filiũ patrem omnipotentẽ esse cœpisse. Nã si per generatio-
 nem omnipotens pater, utiq; aut coæternus patri filius est: quia si semper omnipotẽs pa-
 ter, sempiternus & filius: aut si fuit, quãdo nõ erat filius sempiternus, fuit ergo quãdo nõ
 erat omnipotens pater. Nã cum uolũt dicere filium aliquãdo cœpisse, in illud recidunt,
 ut & patris potentiam dicant non semper fuisse, sed ex filij generatione cœpisse. Ita dum
 filio dei cupiunt derogare, plus tribuunt, ut contra fas omne authorem paternæ poten-
 tiæ declarare uideantur, cum filius dicat: Omnia quæ pater habet mea sunt, hoc est, non
 quæ patri ipse tradiderit: sed quæ à patre iure generationis acceperit. Et ideo filium
 sempiter- Ioan. 16

sempiternam dicimus esse uirtutem. Si ergo sempiterna eius uirtus atque diuinitas, utique
 & potentia eius sempiterna. Filio igitur qui derogat, patri derogat, pietatem offendit,
 uiolat charitatem. Nos honorificemus filium in quo pater complacet. Placet enim patri
 ut laudetur filius, in quo ipse complacuit. Respondeamus tamen intentioni eorum, ne epi
 logo quodam inuidiam quaestionis declinasse uideamur. Generauit, inquit, pater, non
 generauit filius. Quod hic argumentum est inaequalitatis? Generatio enim paterna pro-
 prietatis est, non potentiae: & pietas aequat, non separat. Denique in ipso usu nostra infir-
 mitatis frequenter euenire cognoscimus, ut & infirmi filios habeant, & non habeant for-
 tiores: habeant serui, non habeant domini: habeant inopes, non habeant qui potentio-
 res sunt. Sed dicunt & hoc infirmitatis esse, quod homines uolunt filios habere nec pos-
 sunt (quamuis humana non sint conferenda diuinis) tamen intelligant inter ipsos quo-
 que homines non potentiae esse, sed paterna proprietatis habere filios uel non habere:
 nec in potestate nostra uoluntatis esse generare, sed in corporis qualitate. Nam si esset
 potentiae, utique potentior multos haberet. Ergo non est potentiae habere filios uel non ha-
 bere. Nunquid naturae est? Si naturae infirmitatem putatis, & ad humana uos confertis
 exempla, eadem patris est natura quae filij est. Itaque aut uerum filium dicitis, & patri in fi-
 lio derogatis per unitatem eiusdem naturae, (sicut enim pater natura deus, ita & filius:
 deos autem ait Apostolus non natura deos esse, sed dici) aut si negatis esse uerum filium,
 hoc est eiusdem naturae: non est ergo generatus. si non est generatus filius non generauit pa-
 ter. Colligitur itaque iuxta sententiam uestram, ut non sit omnipotens deus pater, quia generare
 non potuit, si non generauit filium, sed creauit. Sed quia omnipotens pater, cum iuxta senten-
 tiam uestram solus generator omnipotens sit, generauit utique filium non creauit. Verum
 ipsi magis quam uobis credendum est. Ille ait: Genui, & frequenter ait, generationis suae
 testis. Non est ergo naturae, non est potentiae in Christo aliqua quod non generauit infir-
 mitas, quia generatio (sicut saepe iam diximus) non ad sublimitatem potentiae, sed ad pro-
 prietatem refertur naturae. Nam si ideo omnipotens pater, quia filium habet, omnipoten-
 tior ergo esse potuit si plures haberet. An uero potentia eius in una generatione defecit?
 At ego ostendam & Christum habere filios, quos quotidie generat: sed ea generatione
 uel potius regeneratione, quae potestatis est, non naturae. Adoptio enim potestatis est,
 generatio proprietatis. Quod ipsa scriptura nos docuit. Dicit enim Ioannes: Quia in hoc
 mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit, in propria
 uenit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potesta-
 tem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Dicimus itaque potestatis esse quod nos
 filios dei fecit, proprietatis autem generationem esse oracula diuina declarant. Dicit e-
 nim Sapientia dei: Ex ore altissimi prodiui, hoc est, non coacta sed libera: non potesta-
 ti obnoxia, sed nata generationis arcano, priuilegio dominationis & iure potestatis. De-
 nique de eadem Sapientia, hoc est de domino Iesu, alibi pater dicit: Ex utero ante Lucife-
 rum genui te. quod utique ideo dixit, non ut corporalem aluum declararet, sed ut proprie-
 tatem uerae generationis ostenderet. Nam si ad corporalem referas, ergo omnipotens pa-
 ter cum dolore & coceptione generauit. Sed absit, ut deum ex infirmitate corporis me-
 tiamur. Est quidam uterus, paterna arcanum substantiae, interiusque secretum, quod non ange-
 li, non archangeli, non potestates, non dominationes, non aliqua creaturarum potuit
 penetrare natura. Cum patre enim semper & in patre semper est filius. Cum patre per di-
 stinctionem indissociabilem trinitatis aeternae: in patre per diuinae unitatem naturae. Quis
 igitur hic arbiter diuinitatis, qui discutiatur patrem ac filium: ille quare generauerit, iste
 cur non genuerit? Seruulum suum aut ancillulam, cur non genuerit nemo condemnat,
 isti condemnant, cur non generauerit Christus? Condemnant enim sua opinione cum
 derogant. Nec coniugibus inter se cur non generauerint, aut charitas minuitur, aut me-
 ritum derogatur: isti quia non generauit, Christi minuunt potestatem. Cur, inquit, fi-
 lius pater non est? Quia & pater filius non est. Cur non iste generauit? Quia nec ille ge-
 neratus est. Nec ideo minus habet filius quia pater non est, nec pater minus habet, quia
 filius non est. Dixit enim filius: Omnia quae pater habet, mea sunt. Adeo generatio in pa-
 terna proprietate, non in iure est potestatis. Est quaedam indistincta distincte incompre-
 hensibilis & inenarrabilis substantia trinitatis. Distinctionem etenim accipimus patris &
 filij

filij & spiritus sancti, non confusionem: distinctionē nō separationē: distinctionem non pluralitatem. Diuino itaq; admirandoq; mysterio, manentem semper accipimus patrē, semper filium, semper spiritum sanctum: non duos patres, non duos filios non duos spiritus. Vnus enim deus, pater, ex quo omnia, & nos in ipsum: Et unus dominus Iesus per quem omnia, & nos per ipsum. Vnus natus ex patre dominus Iesus, & ideo unigenitus. Vnus & spiritus sanctus, ut idem Apostolus dixit: Sic accipimus, sic legimus, sic tenemus. Distinctionem scimus, secreta nescimus, causas non discutimus, sacramenta seruamus. Facinus indignum, ut qui generationis suæ facultatem non habent, diuinæ generationis examen sibi arrogent, uindictam potestatem. Negent ergo æqualem patri filiū, quod non generauit filius: negent æqualem patri filium, quod patrem habet. Hoc si de hominibus dicerent, quorum aliqui uolunt filios habere nec possunt, iniuriam putarent: si inter duos honore pares, habenti filios, qui non habet, negaretur æqualis. Et ideo hoc, in quā, graue & de ipsis hominibus uidetur, ut quis ideo minor putetur, quod patrē habet. Nisi forte tanquam constitutum in familia, putent Christū dolere, quod emancipatus à patre non sit, & administrandi patrimoni non habet facultatem. Sed nō est Christus in sacris, qui sacra uniuersa destruxit. Quomodo uolunt tamē respondeant, uera ne generatio sit, & uerus filius ex deo patre natus, hoc est, ex substantia patris, an ex alia substantia patris filium dicant. Ergo quia unius substantiæ, unius utiq; potentiæ. Si uerò ex alia substantia filius est, quomodo omnipotens pater est, & omnipotens filius non est? Quid enim præstantius si ex alia substantia filiū deus fecit, cum utiq; & filius ex alia nos substantia filios dei fecerit? Ergo aut unius substantiæ filius cū patre aut unius potentiæ. Friget igitur eorum quæstio, quod de Christo iudicare non possunt, imò quod uincit ille cum iudicatur. Digni tamen sunt isti iudicio suo, qui hanc obijciunt quæstionem. Si enim ideo æqualis patri filius non est, quia non generauit filium, & isti utiq; fateantur si non habent filios, qui serunt huiusmodi quæstiones, siros sibi etiā seruos preferendos, eo quod habentibus filios æquales esse non possunt. Si autem habent filios, non putent sibi merito, sed filiorum iure deferri. Nō consistit igitur hæc quæstio, quod æqualis filius patri ideo esse non possit, quod pater generauit filium, filius nullum ex se ipse generauerit. Nam & fons fluuium generat, & fluuius fontem ex se ipse non generat. Ex lux splendorem generat, non splendor lucem: & una natura est splendoris & lucis. Vnde cum inæqualitatem ex generationis obiectu probare nō potuerint: intelligant etiam illam diuulgatam suæ calumniæ quæstionis explosam. Solent enim opponere: Quomodo æqualis potest esse filius patri? Nam si filius est, antequam generaretur non erat: aut si erat, cur natus est? Et Arrianos se negare consuerunt, qui proponunt Arrii quæstiones. Itaq; exigunt à nobis responsionem, ut si dixerimus, quod antequam generaretur erat, astute referant, Ergo antequam generaretur creatus est, & non differt à ceteris creaturis, quia prius cœpit creatura esse quam filius. Et adijciunt, Cur qui erat, natus est? An quod imperfectus erat, ut postea perfectior fieret? Si autem responderimus quod non erat, obijciunt statim: ei ergo generatio contulit ut esset qui non erat antequam nasceretur, ut hinc colligant: Erat ergo, quando non erat filius. Sed quia hoc proponunt & obscuritate uolunt inuoluere ueritatem, dicant ipsi, utrum temporaliter generet pater, an intemporaliter. Si enim temporaliter dixerint, quod filio obijciunt, patri adscribent, ut uideatur pater cœpisse esse quod non erat. Si intemporaliter, quid superest, nisi ut ipsi soluāt quam proposuerint quæstionem, ut cum generationem patris abnuant temporalem, generationem quoq; filij temporalem non esse fateantur? Si ergo non est generatio eius ex tempore, æstimari datur, quod nihil præcesserit ante filium qui non sit ex tempore. Si enim aliud ante filium, iam non sunt in ipso creata omnia quæ uel in cœlo sunt uel in terris, & Apostolus redarguitur qui hoc in epistola sua scripsit. Quod si nihil ante generationem, non aduerto cur posterior asseratur quem nemo præcessit. Connecenda est alia eorum plena impietatis obiectio, quæ latentem habeat dolum, quo sensus faciliū mentesq; præstringat. Interrogant enim utrum omne quod finem habet, aliquando cœperit. Et si acceperint eiusmodi responsionē, quia quod finē habet, cœpit aliquando, referunt, utrū pater desierit generare filiū. Quod cum tenuerint, nostro aspirante consensu, contexunt

Psalm. 113

Hebr. 1

cœpit ergo generatio. Id si non abnuas, cōsequi uideat, ut si cœpit generatio, uideatur in eo cœpta, qui natus est: ut natus esse dicat, qui ante non fuerit: unde definiat, aliquando ergo filius non fuit. Adijciunt alias ineptias loquacitatis suæ dicentes: Si uerbū patris filius est, & ideo genitus dicitur quia uerbū est: quod autē uerbū est, opus non est: multifariam locutus est pater, multos ergo generauit filios, si non operatus est sed locutus est uerbum. Amentes homines: quasi nō intelligāt quid intersit inter prolatiū sermonem & æternū permanens dei uerbū ex patre natum, natū utiq; nō prolatū, in quo non composita syllaba, sed plenitudo diuinitatis æternæ est, & uita sine fine. Subtexunt aliam impietatem, proponentes utrum uolens an inuitus generauerit pater: ut si dixerimus uolentem, antiquiorem generatione uoluntatem uideamur fateri, & referant quod non sit filius coæternus patri, quē aliquid antecessit, aut quod & ipse sit creatura, quia scriptum est: Omnia quę uoluit fecit, Cum hoc ipsum non de patre & filio, sed de his quas filius fecit dictum sit creaturis: Sin autem inuitum patrem generasse respōderimus, in ualidum patrē dixisse uideamur. Sed nihil in sempiterna generatione præcedit, nec uelle nec uolentem, ergo nec inuitum dixerim, nec uolentem: quia generatio non in uoluntatis possibilitate est, sed in iure quodam & proprietate paterni uidetur esse secreti. Nam sicut bonus pater non aut ex uoluntate est, aut necessitate, sed super utrunq;: ita non generat ex uoluntate aut necessitate pater. Esto tam en, sit generatio in uoluntate generantis, quando hanc uoluntatē fuisse dicunt: Si in principio, utiq; filius. Si sempiterna uolūtas, sempiternus & filius. Si cœpit uolūtas, displicuit igitur sibi quod erat deus, pater ut mutaret statū. Displicuit ergo tibi sine filio, placere cœpit in filio. Iam illa consequētia dicamus: Si stultum generandi nostro more assumpsit, ergo & cætera quæ generationē præcedere solent nostro more assumpsit: nostro autem usu generationis uotū est, non uoluntas. Prodigunt igitur impietatem suam, qui uolūt generationem cœpisse Christi, ut uideatur non generatio illa uerbi manentis, sed prolatio fluentis esse sermonis: Deinde multos inducendo filios, negent in Christo diuinæ proprietatem naturæ, ut nec unigenitus nec primogenitus æstimetur: postremo ut si principium credatur accepisse, etiam finem uideatur habiturus. Sed neq; principium assumpsit aliquando dei filius, qui erat in principio: neq; finem, qui est principium uniuersitatis & finis. Nam cū sit principium, quomodo quod habebat accepit: aut quomodo sui finem habebit, cum omnium ipse sit finis, ut in illo fine, sine fine maneamus: Dei enim generatio cum temporalis nō sit, nec ante se nec in se tempus inuenit. Frigida igitur eorū & uana quæstio in creaturis ipsis non habet locum. Ipsa & enim quę temporalia sunt, discretionē in quibusdam habere temporis nō uidentur. Lux nempe splendorem generat, nec comprehendi potest quod splendor luce posterior sit, aut lux splendore antiquior: quia ubi lumē, & splendor est: & ubi splendor, & lumen est. Itaq; nec sine splendore lumē, nec splendor potest esse sine lumine: quia & in splendore lumen, & splendor in lumine est. Vnde & Apostolus splendore paternæ gloriæ filium dicit, quia splendor paternæ lucis est filius: coæternus, propter uirtutis æternitatem: inseparabilis, propter claritudinis unitatem. Ergo si temporalia hæc & aëria hæc comprehendere & separare nō possumus quę uidemus: deum quem non uidemus, qui super omnem est creaturam, in ipso suæ generationis arcano possumus comprehendere: possumus eum à filio tempore separare, cum omne tempus opus filij sit: Desinant ergo dicere: & antequam generaretur, non erat. Ante enim temporis est, generatio ante tempora: & ideo quod posterius est, prius non est: nec opus ante autorem potest esse, cū opera ipsa principium de operatore suo sumant. Nam quomodo ante operatorē suum usus operis æstimetur, cum omne tempus opus sit ei, omne opus de operatore suo ut esset, acceperit: Experiri igitur adhuc istos uolo, qui sibi uident æstuti, ut de nostris respondeant qui calumniantur diuinis, longe q; refugiunt ab inscrutabili supernæ generationis arcano, quæstionem suam humanæ astruant generationis exemplo. De filio dei dicunt, quod antequam generaretur non erat, hoc est de dei sapientia, de uirtute dei, de dei uerbo, cuius generatio nihil ante se nouit: quia si aliquando, ut uolunt, non fuit (quod nefas dictu est) nō fuit ergo in deo perfectionis aliquando plenitudo diuinæ, si postea processum generationis accepit. Tamē ut sciāt quā uana sit & solubilis eorū quæstio, licet nihil in eo humanis diuinis ue cōmune, tamē docebo homines antequam nascerentur, fuisse.

Aut

Aut negent Iacob sanctum fuisse priusquam nasceretur, qui fratrem supplantauit in ma-
 terni adhuc uteri positus arcano. Negent Hieremiam antequam nasceretur sanctum fuisse,
 cui dicitur: Priusquam te formarē in utero matris tuæ noui te, & priusquam exires de uul-
 ua sanctificauit te, & prophetā in gentibus posui te. Quid hoc euidentius tanti exemplo
 propheta, qui sanctificatus est antequam natus, & antequam formaretur est cognitus?
 Quid etiā de Ioanne loquar, de quo mater religiosa testatur, quod intra materna litus ad
 huc uiscera, præsentiam domini spiritu cognouit, exultatione cōsignauit, sicut scriptum
 meminimus, matre dicente: Ecce enim ut facta est in auribus meis uox salutationis tuæ, Luc. 1
 exultauit in gaudio infans in utero meo: Erat igitur qui prophetabat, an nō erat? At cer-
 te erat. Erat enim qui uenerabatur autorem, erat qui loquebatur in matre. Deniq; Heli-
 zabet filij spiritu replebatur, Maria filij spiritu sanctificabatur. sic enim habes, quod exul-
 tauit infans in utero eius, & repleta est spiritu sancto. Vide singulorū uerborū proprie-
 tates. Vocem quidem Mariæ prior Helizabet audiuit, sed Ioannes prior domini gratiā
 sensit. Pulchre sibi conueniunt, oracula oraculis, fœmina mulieri, & pignus pignori. Istæ
 gratiā loquuntur, illi intus operantur, pietatisq; mysterium maternis adoriuntur profe-
 ctibus: dupliciq; miraculo licet honore diuerso, prophetant matres spiritu paruulorum.
 Quis igitur autor huius miraculi? nōne dei filius qui fecit esse non natos? De rebus hu-
 manis questio nostra non potest cōuenire: potest ne de diuinis cōuenire secretis? Quid
 est antequam generaretur, non erat? Nunquid pater aliqua tempora conceptionis acce-
 pit, ut filium tempora præuenirent? Aut fœmineæ more naturæ generationis suæ molit-
 tus est partū, ut molitio ipsa filio esset antiquior? Quid est hoc? cur diuina secreta discuti-
 mus? Proprietatem legi diuinæ generationis, non qualitatem. Facinus indignum, ut
 ex se quidam cœlestia metiantur, qui tanquā unum de spadonibus putant Christum nō
 nasci potuisse, sed fieri: aut tanquam unum de spadonibus patrem filium quem gene-
 rare non potuerit adoptauerit.

De eo quod scriptum est: Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter pa-
 trem, & qui manducat me, & ipse uiuit propter me. Cap. v

Leuque etiam hinc faciunt questionem, quia scriptum est: Sicut misit me ui- Ioann. 6
 uis pater, & ego uiuo propter patrē: & qui manducat me, ipse uiuit propter
 me, dicentes: Quomodo æqualis est patri filius, qui dixit, quod propter pa-
 trem uiuit? Qui hoc proponunt, primum respondeant, cuiusmodi uita sit filij, utrum ea
 quam pater largitus sit non habenti? Sed quomodo uitam aliquando potuit nō habere Ioan. 14
 cum ipse sit uita, sicut ait: Ego sum uita, ueritas & uita? Vita utiq; sempiterna, sicut uirtus
 est sempiterna. Aliquando ergo (ut sic loquar) se uita non habuit? Considerate quid le- 2. Thef. 5
 ctum sit hodie de domino Iesu, quod mostuus est pro nobis, ut siue uigilemus siue dor-
 miamus, simul cum illo uiuamus. Cuius mors, uita est: huius diuinitas uita non est: cum
 diuinitas uita sit sempiterna? An uerō uita eius in patris est potestate? Sed ne corporis Ioann. 10
 quidem sui uitam in alterius fuisse potestate memorauit, sicut scriptum est: Ego pono a-
 nimam meā, ut iterū sumam illam: Nemo tollit illam à me, sed ego pono eam à me ipso.
 Potestatem habeo ponendi eam, & iterum potestatem habeo sumendi eam. hoc manda-
 tum accepi à patre meo. Eius ergo uita secundum diuinitatem in alterius potestate po-
 sita iudicatur, cuius uita secundum corpus alienæ non erat subdita potestati? Aliena e-
 nim potestas erit, si non erat unitas potestatis. Sed sicut potestatis suæ esse significat po-
 nere animam & liberæ uoluntatis: ita etiam quod secundum mandatū deposuit patris,
 suæ ac paternæ uoluntatis significat unitatem. Ergo si uitam filius neq; aliquo accepit ex
 tempore neq; alienæ habet potestati subditam, uideamus qua ratione dixerit: Sicut mi-
 sit me uiuus pater, & ego uiuo propter patrē. Exponamus ut possumus, imò ipse potius Ioan. 6
 exponat. Considera igitur quid ante præmiserit. Ait enim: Amen amen dico uobis, ante
 instruit quemadmodum audire debeas. Vere, inquit, uere dico uobis: Nisi manducaue-
 ritis carnem filij hominis & biberitis sanguinem eius, nō habebitis uitā in uobis. Secun-
 dum filium hominis se dicere ante præmiserit: & tu quod secundū filium hominis de carne
 es loquutus & sanguine, ad diuinitatem putas esse referendum? Deniq; addidit: Caro e-
 nim mea uera est esca, & sanguis meus est potus. Carnem audis, sanguinē audis, mortis
 dominicæ sacramenta cognoscis: & diuinitati calumniaris? Audi dicentem ipsum: Quia

spiritus carnem & ossa non habet. Nos autem quotienscumque sacramenta sumimus, quæ per sacræ orationis mysterium in carnem transfigurantur & sanguinem, mortem domini annunciamus. Ergo postea quam se loqui secundum hominis filium declarauit, & carnem sæpe repetiuit, & sanguinem: subdidit postea: Sicut misit me uiuus pater, & ego uiuo propter patrem: Et qui manducat me, & ipse uiuit propter me. Quomodo igitur hoc accipiendum putant? potest enim duplex uideri comparatio. Prima ita: Sicut misit me uiuus pater, & ego uiuo propter patrem. Secunda: Sicut misit me uiuus pater, & ego uiuo propter patrem: ita & qui manducat me, ipse uiuit propter me. Si primam eligunt, hoc significat, quod sicut missus sum à patre & descendi à patre, ita uiuo propter patrem. Quasi quis autem missus est atque descendit, nisi quasi filius hominis, sicut ipsa supra sapientia dixit: Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis? Ergo si quasi filius hominis missus est atque descendit: Ita quasi filius hominis uiuit propter patrem. Denique & qui manducat quasi filium hominis, & ipse uiuit propter filium hominis. Actum ergo incarnationis suæ aduentui comparauit. Quod si secunda complacuit, nonne & æqualitatem filij cum patre, & similitudinem eius cum homine manifesta distinctione colligimus? Nam quid est, sicut ipse uiuit propter patrem, & nos uiuimus propter ipsum: nisi quod sic uiuificat filius hominem, sicut pater in filio carnem uiuificauit humanam? Sicut enim pater suscitatur mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat ut ipse dominus supra dixit. Aequalitas ergo filij ad patrem, per unitatem quoque uiuificationis astruitur, quando sic uiuificat filius ut pater. Agnosce ergo eius uitam & potentiam sempiternam. Similitudo etiam nostra ad filium, & quædam secundum carnem unitas declaratur: quoniam quemadmodum filius à patre, sic homo est uiuificatus in carne. Sic enim scriptum est, quod deus Iesum Christum à mortuis suscitauit: ita etiam nos quasi homines uiuificamur à dei filio. Secundum hanc ergo expositionem non solum ad conditionem humanam deriuatur gratia largitatis, sed etiã diuinitatis æternitas prædicatur. Diuinitatis, quod ipsa uiuificat: humanæ autem conditionis, quod uiuificata est & in Christo. Quod si quis utrumque ad Christi refert diuinitatem, ergo filius dei hominibus comparatur: ut ita filius propter patrem uiuat, sicut nos propter filium dei uiuimus. Sed filius dei uitam largitur æternam, nos autem largiri nequimus: ergo nostri comparatione nec ille largitur. Habeant igitur Arriani fidei suæ præmium, ne uitam æternam adipiscantur à filio. Libet iam ulterius progredi. Nam si illis placet hunc locum ad diuinae perpetuitatem referre substantiæ, accipiant etiam tertiam expositionem. Nonne euidenter uidetur dicere: Quod sicut uiuus pater est, ita uiuit & filius? Quod utique quis non aduertat ad unitatem uite, quod eadem patris & filij uita sit, esse referendum? Sicut enim pater uitam habet in semetipso, sic dedit filio uitam habere in semetipso. Dedit per unitatem, dedit, non ut auferat, sed ut clarificetur in filio, Dedit, ut placeat: Dedit, non ut pater custodiret, sed ut filius possideret. Sed obijciendum putant quod dixit: Ego uiuo propter patrem. Utique si ad diuinitatem referunt: propter patrem uiuit filius, quod ex patre filius est: propter patrem, quod unius substantiæ cum patre: propter patrem, quod eructatum est uerbum ex patris corde, quod à patre processit, quod ex paterno generatus est utero, quod fons pater filij est, quod radix pater filij est. Sed dicunt fortasse: Si unitatem putas patris ac filij uitæ esse, cum filius dixerit: Et ego uiuo propter patrem: nunquid unitas est filij uita atque hominum, cum dixerit filius: Qui manducat me, & ipse uiuit propter me? Imò plane, sicut unitatem fateor esse uitæ cœlestis in patre & filio per diuinæ unitatem substantiæ, ita uel diuinæ naturæ uel dominicæ incarnationis excepto priuilegio, societatem nobiscum uitæ spiritalis in filio esse profiteor per humanæ unitatem naturæ. Qualis enim cœlestis, tales & cœlestes. Denique sicut in illo sedemus ad dexteram patris, non quod cum ipso sedemus, sed quod sedemus in Christi corpore, de quo postea dicemus plenius: sicut, inquam, sedemus in Christo per corporis unitatem, ita & in Christo uiuimus per corporis unitatem. Non solum autem non uereor quod scriptum est, Et ego uiuo propter patrem: sed etiam, si per patrem dixisset, non uererer.

De eo quod scriptum est, Hæc infirmitas non est ad mortem, sed pro claritate dei, ut clarificetur filius eius per ipsum.

Cap. VI

Volent enim etiam illud obijcere quod dixit: Hæc infirmitas non est ad mortem, sed pro claritate dei, ut clarificetur filius eius per ipsum. Non solum enim per patrem, & à patre filius clarificatur, quod scriptum est: Clarifica me pater. Et alibi: Nunc clarificatus est filius hominis, & deus clarificatus est in eo, & deus clarificauit eum: sed etiam per filium, & à filio clarificatur pater, quia Veritas dixit: Ego te clarificaui super terram. Sicut ergo clarificatur per patrem, ita etiam propter patrem uiuit. Vnde & quidam *δὲ ἄρα* opinionem magis putauerunt esse, quam gloriam: & ideo sic interpretati sunt: Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi, & nunc clarifica me pater, hoc est, *δὲ ἄρα*, ut sit hic sensus: Ego opinionem de te hominibus huiusmodi infudi, ut cognoscant te deum uerum: & tu hanc de me confirma illis opinionem, ut credant me tuum filium & deum uerum. Iam illud ridiculum est, quod quidam ex illo Apostolico, discretionem inter patrem & filium faciunt potestatis, quia scriptum est: Nobis tamen unus deus pater ex quo omnia, & nos in ipsum, & unus dominus Iesus per quem omnia, & nos per ipsum. Aiunt enim non mediocrem diuinæ maiestatis esse distantiam, quod dictum est: ex illo omnia, & per hunc omnia. Nihil autem expressius quam quod hoc loco omnipotens filius euidenter ratione signatur. Nam ut ex illo omnia, ita per hunc omnia. Inter omnia pater non est, cui dictum est: Quoniam uniuersa seruiunt tibi. Inter omnia filius non est, quia omnia per ipsum facta sunt, & omnia in ipso constant: & ipse est super omnes cælos. Non ergo inter omnia filius, sed super omnia qui secundum carnem quidem est ex familia Iudæorum, idem tamen super omnia deus benedictus in secula, cuius est nomē super omne nomen. Et de quo dicitur Omnia subiecisti sub pedibus eius. Subijciendo autem omnia, nihil reliquit ei non subiectum, sicut Apostolus dixit. Quod si hoc etiam secundum incarnationis locutus est sacramentum, quemadmodum possumus de supernæ generationis incomparabili maiestate dubitare? Nihil igitur potestatis inter patrem & filium certum est interesse. Denique eousque nihil interest potestatis, ut idem Apostolus ex eo dixerit esse omnia, per quem omnia, sicut habes: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Si igitur pater sicut putant tantummodo signatur, non potest idem & omnipotens esse, quia ex ipso omnia, & omnipotens non esse, quia per ipsum omnia. Aut igitur inualidū nec omnipotentem patrem sua assertione memorabunt, aut certē omnipotentem etiam filium uel inuiti uoce propria fatebuntur. Eligant tamen utrum hic patrem declaratum putent. Si patrem, ergo & per ipsum omnia: si filium, ergo & ex ipso omnia. Si autem & per patrem omnia, nihil utique filio derogandum: & si ex filio omnia, similiter & filio deferendum. Ac ne insidiari nos unius arbitrentur obreptione uersiculī, totum caput recenseamus. O altitudo, inquit, diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uia eius? Quis enim cognouit sensum domini? aut quis consiliarius ei fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula. De quo igitur dictum putant? de patre an filio? Si de patre, sed non est sapientia dei pater, quia sapientia dei filius est. Quid est autem quod non possit sapientia, de qua scriptum est: Cū sit una omnipotens & permanens, in se omnia innouat: Non ergo accedentē legimus, sed permanentem. Habes ergo iuxta Salomonem, omnipotentē & permanentē sapientiam. Habes etiā bonā, quia scriptum est: Sapientiam autem non uincit malitia. Sed ad propositum reuertamur. Quam inscrutabilia sunt, inquit, iudicia eius. Si igitur omne iudicium pater dedit filio, filium uidetur declarare qui iudicat. Denique ut scias quod non de patre, sed de filio dicit, addidit: Quis prior, inquit, dedit illi? Dedit enim pater filio: sed dedit iure generationis, non munere largitatis. Et ideo quod negari non potest, à patre accepisse filium, secundum quod scriptum est: Omnia mihi tradita sunt à patre meo, dicendo tamen, quis prior dedit illi, non accepisse per naturā à patre filium denegauit, sed priorē nō posse dici inter patrem & filium, declarauit: quia & si pater dedit filio, non tamē quasi posteriori dedit: quia increata & inæstimabilis trinitas, quæ unius est æternitatis & gloriæ, nec tēpus, nec gradū uel posterioris recipit uel prioris. Quod si Græcos magis codices sequendos putamus,

Sic habet locus apud Esaiã ca. 40. Et ite apud Paulũ: Ambrosius tamen legisse uidetur $\pi\pi\sigma\sigma\epsilon\sigma\lambda\omega\kappa\epsilon\upsilon$ siue $\pi\pi\sigma\sigma\epsilon\sigma\lambda\omega\kappa\epsilon\upsilon$, cũ dicit, cui nihil addi potest. Et eandem lectio nem indicabãt qualiacũq; ue stigia Græcorũ elementorum: quãquam quod nobis tradidit editio Aldina, nec sentit cum eo quod uertit Hieronymus, nec cũ eo quod aditũ est nomi ne Septua. La-

tinẽ.
Ioann. 1
2. Corin. 13
Ioan. 5

1. Ioann. 2
Psalm. 10

Rom. 11
Colof. 1

Ioan. 15

quia habet $\tau\iota\varsigma\ \pi\alpha\sigma\omega\delta\omega\kappa\epsilon\upsilon\ \alpha\delta\tau\omega$ uidetur quoniam cui nihil addi potest, nõ dispar a pleno est. Ergo si filio magis conuenit hoc totum apostolicum caput, uidemus & de filio esse credendum, quia ex ipso omnia, sicut scriptũ est: Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Esto tamen de patre dictum putet. Itaq; meminerimus quod sicut ex ipso legitur omnia, ita etiam per ipsum omnia, in uniuersitatem quippe totius creature patris & filij profertur authoritas. Ac licet superius omnipotentẽ filiũ paterno probauerimus exemplo, tamen quia illis derogare studium est, considerent quod & patri derogent. Si enim infirmus filius, quia per ipsum omnia, nunquid infirmus & pater quia & per patrem omnia? Sed ut agnoscant nullam discretionem inter hæc esse iterũ demonstra bo, eiusdem esse, ex quo aliquid, & per quem aliquid, & ostendam utrumq; de patre lectum. Sic enim habemus: Fidelis deus, per quem uocati estis in communionẽ filij eius. Quid Apostolus dixerit, considerent. Per patrẽ uocamur, & nihil est quæstionis: per filium creamur, & hoc uilius æstimabimus? Pater in communionem filij uocauit, & religiose sicut debemus accipimus: filius omnia creauit, & putant non libera fuisse uoluntatis arbitrium, sed coactæ atq; seruilis operationis obsequium? Ut autem agnoscas plenius nihil distare inter patris & filij potestatem, cum per patrem in cõmunionem filij eius uocemur: ex filio enim ipsa cõmuniõ, sicut scriptũ est: Quoniã de plenitudine eius nos omnes accepimus, licet secundũ Græcum Euangeliũ, ex plenitudine eius & intel ligere debeamus. Ecce & per patrẽ cõmuniõ, & ex filio cõmuniõ, sed non discrepans, sed una cõmuniõ. Sicut idẽ Ioannes in epistola sua dixit: Et cõmunicatio nostra sit cõ patre & cum filio eius Iesu Christo. Accipe etiã quod nõ solũ ex patre & filio, sed etiam ex spiritu sancto unã nobis cõmunionẽ scriptura cõmemorauit. Gratia, inquit, domini nostri Iesu Christi & charitas dei, & cõmunicatio sancti spiritus cũ omnibus uobis. Quo ro autẽ in quo minor uideatur is per quẽ omnia, quã is, ex quõ omnia: an quod opera tor afferitur? Sed operatur & pater, quia uerus est qui dixit: Pater meus usq; modo opera tur, & ego operor. Sicut igitur pater operatur, operatur & filius. Nõ ergo operator infir mus aut uilis est, quoniam operatur & pater, & ideo quod commune est filio cum pa tre, uel propter patrem inferiore loco accipi non oportet, ne patri potius in filio ab here ticus derogetur. Nec mediõcre illud quod alibi etiã idem sanctus Ioannes ad refellendas Arrianae perfidiae quæstiones ait: Si scitis quoniã iustus est, scitote quoniã qui facit iusti tiam ex ipso natus est. Iustus autẽ quis nisi dominus qui iustitias dilexit, aut quẽ sicut su periora indicant repromissorẽ uitæ aeternæ habemus, si filium non habemus? Si igitur fi lius dei uitã nobis promisit aeternã, & ipse iustus est, ex ipso utiq; nati sumus: Aut si ex fi lio nos per gratiã natos negant, nec iustũ filium confitentur. Credas igitur necesse est e tiam ex dei filio omnia, quia omnium sicut deus pater, ita & filius & author est & creator. Videmus ergo inanem esse hanc quæstionẽ, cum & de filio credi conueniat, quoniã ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Diximus quomodo ex ipso, quomodo etiã per ipsum. In ipso autem omnia esse quis dubitet, cum alibi scriptum sit: Quoniã in ipso con dita sunt omnia in caelis & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: Habes ergo ex ipso gratiam, ipsum operatorem, in ipso omnium firmamentum: Quomodo intelligi debeat, quod scriptum est: Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est.

Cap. VII
I quod dominus dixit in Euangelio: Ego sum uitis uera, & pater meus agrico la est: agricolam & uitem diuersæ dicentes esse naturæ, & uitem esse in agri colæ potestate. Sic ergo uultis esse filium secundum diuinitatẽ sicut uitis est: ut sine cul tore nihil ualeat, & possit deserui uel recidi, & ex litera calumniam comparatis, quod do minus uitem se esse dixit, incarnationis suæ significans sacramentum? Tamen si pla cet ut ex litera argumentemur, fateor & ego, imò profiteor quod uitem se filius nomi nauit. Væ enim mihi si sacramentum salutis publice denegauero. Quomodo ergo uul tis accipere quod se uitem dei filius nominauit? Si secundum diuinam substantiam di ctum accipitis, & sicut inter agricolam & uitem, ita etiam inter patrem & filium diuini tatis creditis esse distantiam, geminam filio, geminam patri facitis iniuriam. Filio, quia si secundum diuinitatem inferior est quã agricola, inferior etiam Paulo Apostolo, ueltra

uestra assertatione necesse est æstimetur, quia & Paulus agricolam se esse dixit, sicut habes: Ego plantavi, Apollo rigavit, deus autem incrementum dedit. Num ergo uultis, ut Paulus melior sit dei filio? Habetis unam iniuriam. Alteram, quia si secundum substantiam generationis eterne, uitis est filius, cum dixerit: Ego sum uitis, uos palmites estis, unius nobiscum etiam illa diuina generatio uidebitur esse substantia. Sed quis similis tui in dijs domine; sicut scriptum est. Et rursus in Psalmo: Quoniam quis in nubibus equabitur domino; aut quis similis erit domino inter filios dei? Nec tamen soli filio derogatis; sed etiam patri. Nam si in agricolæ nomine omnis paternæ prerogatiua est potestatis; cum etiam Paulus agricola sit, patri utiq; (cui filium negatis æqualem) Apostolum comparatis. Deniq; cum scriptum sit: Sed neq; qui plantat est quicquam, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum deus, in eo nomine uos summam paternæ maiestatis locabitis, quod uidetis infirmum. Si enim qui plātat et qui rigat nihil est, sed qui dat incrementum deus: uidete quid uestra asserere moliat impietas: ut & pater nomine sit contemnendus agricolæ, & deus aliquis incrementū paterno operi qui tribuat requirendus. Impie igitur ex nomine agricolæ, dei patris preferendam existimant potestatem, in quo sit patri deo cum homine appellationis commune consortiū. Quid autem egregiū, si ei (ut uultis heretici) filio preferat, cuius diuina substantia ab humana conditione non discrepet: Nam si uitem filium secundum diuinam substantiam appellatū putatis, non solum corruptelæ incertisq; elementorū obnoxiiū iudicatis, sed etiam humanæ tantummodo consortem naturæ, quia unius naturæ sunt uitis & palmites, ut non per incarnationis sacramentum carnis dei filius assumpsisse uideatur, sed principiū sumpsisse de carne. Ego autem dicā planē, carnē eius licet nouo generationis mysterio, unius tamē naturæ fuisse nobiscum, & hoc salutis nostræ sacramentum esse, non diuinæ generationis exordium. Vitis enim est, qui meas sustinet passiones, quando quidem in illo nexa fragilis prius humana conditio fecundis reuiuū fructibus pietatis adoleuit. Veruntamē si te pompa delectat agricolæ, dicas uelīm quis ille sit qui locutus sit in propheta: Domine notū mihi fac ut sciam, tunc uidi cogitationes eorū. Ego ut agnus ductus sum innocēs ad immolandum & nesciebā, aduersum me cogitauerunt consiliū, dicentes: Venite mittamus lignum in panē eius. Si enim filius incarnationis futuræ loquit sacramentū, quod impiū est ut de patre credas, filius est utiq; qui supra dixit: Ego plantavi te uitē fructiferā, quomodo conuersa es in amaritudinē uitis alienæ? Itaq; & filiū uides esse agricolā: unius nominis cum patre, unius operis, unius dignitatis atq; substantiæ. Ergo si agricola & uitis est filius, uitem utiq; secundum incarnationis accipimus sacramentum. Sed non solū esse uitem dixit, sed etiam botrionem uoce prophetica nuncupauit, tunc quando ad uallem botrionis exploratores Moyses iussu domini direxit. Quæ est illa uallis, nisi humilitas incarnationis & fecunditas passionis? Et puto botrionem ideo dictum, quia ex uinea illa translata ex Ægypto, hoc est, ex familia ludæorū, utilis mundo fructus emicuit. Nemo certē botrionem potest ad generationem referre diuinam, aut qui refert aliud nihil relinquit, nisi ut botrionem illum natū ex uite credamus. Itaq; adscribit insipiens patri, quod reprehendit in filio. Verum si iam dubitari non potest quod uitis secundum incarnationem dei filius nominatus sit, uidetis secundum quod sacramentum dominus sit locutus, quoniā pater maior me est. Nam cum hoc in superioribus dixerit, continuo subiicit: Ego sum uitis uera & pater meus agricola est, ut agnosceres secundum id patrem esse maiorem: quia sicut agricola uitium, ita pater dominicæ carnis est cultor: quæ & augeri potuit per aetatem, & per passionem recidi, ut omne humanum genus ab estu secularium noxiō uoluptatum, diffusæ salutaribus brachijs crucis umbra uelaret.

F I N I S.

CAPITA LIBRI V. DE FIDE.

Filium à patre non separari.

Cap. I

Quomodo intelligi debeat, quod Christus dixit: Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus quod scimus. Et illud: Sedere ad dexteram uel sinistram non est meum dare uobis.

Cap. II

h 4

Unitatem

1. Cor. 3

Ioan. 15

Psalm. 88

1. Cor. 3

Hierem. 17

Num. 15

Num. 22

Psalm. 79

Ioan. 14

Vnitatem esse in trinitate.

Eandem patris, filij ac spiritus sancti esse potestatem.

Quibus rationibus dei filius creatura dici non possit.

Qua ratione filius subiectus sit patri: & quomodo filius omnia sibi subiecerit. Cap. III

Quomodo intelligendum, quod scriptum est: De die autem illo & hora nemo scit, neque Cap. IIII
angeli, neque filius, nisi solus pater. Cap. V

De humili ac deuota authoris ad deum patrem conuersione rectæque fidei confessione, Cap. VI
cum disertissima huius operis conclusione, ad laudem & gloriam inæstimabilis, in-
narrabilis, incircumscriptæ & immensæ ac sanctissimæ trinitatis, perfidissimorumque Cap. VII
Arrianorum confusionem & damnationem. Cap. VIII

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIO-

LANENSIS DE FIDE AD GRATIANVM AV-
GVSTVM, LIBER QVINTVS.

P R A E F A T I O.



Matth. 24

Ioan. 21

1. Cor. 3

2. Tim. 2

1. Cor. 11

Matth. 25

Luc. 19

Vis nam est fidelis seruus & prudens quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore cibum: Beatus ille seruus, quem ueniens dominus eius inuenerit sic facientem. Non uilis hic seruus est, magnus aliquis esse debet. Quis sit iste consideremus. Est Petrus, ipsius domini ad pascendum gregem electus iudicio, qui tertio mere tur audire: Pasce agniculos meos, pasce agnos meos, pasce ouiculas meas. Itaque pascendo bene cibo fidei gregem Christi, culpam lapsus prioris aboleuit. Et ideo tertio admonetur ut pascat, tertio utrum dominum diligat, interrogatur: ut quem tertio ante crucem negauerat, tertio fateretur. Beatus & ille seruus, qui potest dicere: Lac uobis potum dedi non escam, nondum enim poteratis. Nouit enim quos quemadmodum pascat. Quis nostrum hoc facere potest? Quis nostrum potest uere dicere: Factus sum infirmus, ut infirmos lucrificem? Et tamen ille tantus ad curam gregis electus a Christo, qui sanaret infirmos, curaret inualidos, haereticum a commissio sibi ouili statim post unam correptionem repellit, ne unius erraticæ ouis scabies serpenti ulcere totum gregem contaminet. Iubet praeterea stultas quaestiones & contentiones esse uitandas. Quid igitur nos agemus, inter messis antiquæ noua zizania, imprudentes accollæ constituti? Si taceamus, cedere uidebimur: si contendamus, uerendum est, ne nos quoque iudice mur esse carnales. Scriptum est enim de huiusmodi quaestionibus, quod generant lites. Seruum autem domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia docentem eos qui resistunt. Et alibi: Si quis contentiosus est, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia dei. Eoque scribere aliquid sententiae fuit, ut sine strepitu aliquo impietati haereticorum nostra pro nobis scripta respondeant. Quintum itaque imperator Auguste hunc librum paramus ordiri. Nam & quartum librum oportuit in illa uitis disputatione finire, ne coaceruasse magis librum eundem quodam uideremur quaestionum tumultu, quam fructu spiritualis uinae repleuisse: nec in consummatam fidei uindictam tantis adhuc superfluentibus disputationibus decuit derelinqui. Quinque igitur libros de patris ac filij & spiritus sancti inseparabili diuinitate digerimus, sequestrata interim pleniore disputatione de spiritu sancto, prouocati magisterio Euangelicæ lectionis, ut credita nobis quinque fidei talenta quasi quadam horum quinque sorte librorum humanis foeneremur affectibus, ne forte cum uenerit dominus, & inuenerit in terra absconditam pecuniam suam, dicat mihi: Serue male & piger, sciebas quod meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi, oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & ueniens ego recepissem quod meum est. Aut quemadmodum in alio libro est: Et ego, inquit, ueniens cum usuris utique exegissem. Date ergo ueniam si quos prolixioris huiusce sermonis offendit audacia. Officij contemplatio cogit credere quod accepimus. Dispensatores sumus mysteriorum celestium. Ministri sumus, non ex aequo omnes, sed unicuique, inquit, sicut dominus dedit. Ego plantaui,

plantari, Apollo rigauit, sed deus incrementum dedit. Vnusquisque igitur enitatur ut mercedem possit accipere secundum suum laborem. Dei enim sumus (ut Apostolus ait) cooperarij, dei cultura, dei edificatio. Beatus itaque ille qui tales foeneratoris sui cernit usuras. Beatus & ille qui fructus sui operis intuetur. Beatus quoque qui superedificat supra fundamentum fidei, aurum, argentum, lapides preciosos. Vos nobis estis omnia qui haec auditis & legistis. Vos foeneratores usurae: uerbi usurae, non pecuniae. Vos agricolae redditus. Vos edificatores, aurum, argentum, lapidesque preciosos superedificantes. In uestris meritis sacerdotalis summa laboris est. In uestris animis fructus episcopalis operis enitescit. In uestris profectibus, aurum domini refulget, multiplicatur argentum, si eloquia diuina teneatis. Eloquia enim domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum. Vos ergo facietis foeneratorum diuitem, agricolam fructuosum. Vos peritum probabitis architectum. Non arroganter dico, quia non tam mea sunt quam uestra quae uoueo. O si mihi liceat secure de uobis nunc temporis dicere: Domine quinque talenta mihi dedisti, ecce alia quinque lucratus sum, & ostendere uestrarum talenta preciosa uirtutum. Habemus enim thesaurum in uasis fictilibus. Haec sunt talenta quae iubet dominus spiritaliter foenerari. Aut duo ara noui & ueteris testamenti, quae spoliato illi a laetrone Samaritanus ille Euangelicus ad curanda uulnera dereliquit. Neque ego fratres uoti ararus ideo haec opto, ut supra multa constituar. Sat est mihi praemium de uestro profectu. Utinam non indignus eo inueniar quod accepi, ea quae sunt me maiora melioribus tribuenda, non exigo. Licet soleas domine dicere: Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. Accipiat potestatem supra decem ciuitates qui meretur. Sit ille talis quasi Moyses qui legis decem uerba conscripsit. Sic ille Iesus Naue, qui subegit quinque reges, & Gaabonitas in deditioem accepit, ut esset typus uenturum eius nominis uirum, cuius imperio corporales omnes deliciae uincerentur, conuerterentur gentes ut fidem Iesu Christi magis quam pristina studia sua & uota sequerentur. Sit ille Dauid, cui occurrerunt psallentes iuueneculae, dicentes: Saul triuphauit in milibus, Dauid in decem milibus. Mihi sat est, si non in exteriores tenebras extrudar, quemadmodum ille qui commissum sibi talentum in terra quadam suae carnis abscondit: Sicut principes synagogae ceterique principes Iudaeorum, qui credita sibi eloquia dei, humo quadam sui corporis occupauerunt, delitijsque carnis intenti, quasi in quadam exaltati cordis fouea foenus caeleste merferunt. Nos igitur non intra latibula carnis absconditam domini teneamus pecuniam, uel manam illam sudario reponamus: sed tanquam boni nummularij cum sudore quodam mentis & corporis aequo & parato semper libremus affectu, ut prope sit uerbum in ore tuo & in corde tuo. Hoc uerbum dei preciosum est talentum quo redimeris. Haec est pecunia per mensas animarum saepe cernenda, ut frequenter agitando in omnem terram bonorum sonus possit exire nummorum, per quem uita paretur aeterna. Haec est autem uita aeterna quam largiris omnipotens pater, ut cognoscamus te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christum.

Psal. 111

Matth. 25

2. Corin. 4

Luc. 10

Matth. 20

Iosue. 10

1. Reg. 18

Filium a patre non separari.

Cap. I

Vnde aduertat Arriani quam impij sint qui de spe nostra & uoto nobis faciunt quaestiones. Et quoniam hic praeter ceteris uociferari solent dicentes: separatum a solo et uero deo Christum, intellectus impios pro nostris uiribus confutemus. Hoc enim loco magis intelligere debent, quod haec utilitas, haec merces est perfectae uirtutis, hoc diuinum & incomparabile munus, ut cognoscamus cum patre Christum, nec separamus a patre filium, sicut scriptura non separat. Namque hoc magis ad unitatem, quam ad distantiam diuinae proficit potestatis, quod idem praemium, unum honorem nobis dat patris filijque cognitio, quam mercedem habere non poterit, nisi qui & patrem cognouerit et filium. Sicut enim patris, ita filij cognitio uitam acquirit aeternam. Itaque sicut in principio statim uerbum cum deo patre pia confessione iunxit Euangelista dicens: Et uerbum erat apud deum: ita & hic scribendo uerba domini: Ut cognoscant te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christum: coniunctione illa, patrem utique copulauit & filium, ut Christum uerum deum a maiestate patris nemo secernat. Nunquam enim coniunctio separat. Et ideo dicens: Ut cognoscant te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christum, & Sabellianos interficit, & Iudaeos exclusit: Eos utique qui audirent loquentem: Ne aut illi eundem patrem putarent esse quem filium, si non addidisset & Christum: aut isti a patre filium separarent. Quer-

Ioan. 1

Ioan. 17

ro autem

ro autem cur non putes subaudiendum, & ex superioribus colligendum, ut quod præmisit, solum uerum deum patrem, subaudiamus etiam Iesum Christum solum uerum deum: Expri- mendum enim aliter non fuit, ne duos deos dicere uideretur. Nam neque duos dicimus deos, & eiusdem cum patre diuinitatis filium confitemur. Itaque quæramus qua ratione diuini- tatis hic putent factam esse distantiam, utrum deum negent Christum? Sed negare non possunt. An uerum deum negent? Sed dicant, si uerum negant, utrum falsum an nuncu- patium deum iudicent. Nam secundum scripturas, aut uerus deus est, aut tantummodo nuncupatiuus, aut falsus. Verus ut pater, nuncupatiuus ut sancti, falsus ut demones atque simulacra. Dicant igitur qua filium dei confessione designent, utrum falso præreptum dei nomen, an uero quasi nuncupatiuo inspirationem tantum diuinitatis inesse arbitrentur. Falso præreptum nomen non puto quod dicant, ut apertiore se crimine impietatis inuol- uant, ne ut demonis & simulacris, ita etiam Christo falso dei inditum nomen insinuando se prodant. Sin autem ideo dictum putant deum, quod inspirationem diuinitatis habuit, si- cut & multi sancti uiri (eos enim scriptura deos dixit, ad quos sermo fiebat dei) ergo non ultra homines eum præferunt, sed comparandum hominibus arbitrantur, ut hoc eum putent esse quod hominibus ipse donauit, dicens ad Moysen: Posui te in deum Pharaoni. Vnde & in psalmo dictum est: Ego dixi dii estis. Et hanc tamen sacrilegorum opinio- nem Paulus excludit qui ait: Nam & si sunt, qui dicantur dii, siue in cælo siue in terra. Non dixit sunt dii, sed si sunt qui dicantur. Christus autem sicut scriptum est, heri et hodie ipse est. Est, inquit, hoc est, non solum nomine, sed etiam ueritate. Et bene scriptum est: heri & hodie ipse est, ut Arrii impietas astruendi sacrilegi locum inuenire non posset. Qui cum legeret in Psalmo secundo, dicentem filio patrem: Filius meus es tu, ego hodie genui te, adnotauit hodie non heri, ad aternitatem diuinæ generationis referens, quod de carnis assumptione memoratum est, sicut Apostolus in actibus Apostolorum ait: Et nos uobis adnunciamus, que ad patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc deus adim- pleuit filiis nostris, resuscitans Iesum Christum, sicut scriptum est in Psalmo secundo, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sancto igitur Spiritu repletus Apostolus, ut il- lam elideret scæuitatem, ait: Heri & hodie ipse est & in secula. Heri propter aterni- tatem, hodie propter corporis susceptionem. Est ergo Christus, & est semper. Qui enim est, semper est. Christus autem semper est, de quo dicit Moyses: Qui est, misit me. Erat utique Gabriel, erat Raphael, erant angeli, sed semper esse qui aliquando non fuerint, ne- quaquam pari ratione dicuntur. In Christo autem (sicut legimus) non fuit est, & non, sed est in illo fuit: unde uerè dei solius est esse, qui semper est. Ergo si & nuncupatiuum deum non audent dicere, & falsum eum dicere maioris est impietatis: restat ut deus uerus sit, ueri patris, non dissimilis, sed equalis. Qui cum & iustificet & sanctificet quos uelit, non foris assumens, sed in se habens sanctificandi potestatem, quomodo non est uerus deus? Nam Apostolus eum utique uerum deum dixit, qui naturaliter uerus deus esset, sicut ha- bes: Quia tunc inquit, nescientes deum, seruistis his qui natura non erant dii: hoc est, qui ueri dii esse non poterant, quibus hoc naturaliter minime suppetebat. Verum copiose iam uerum deum Christum in superioribus libris, scripturarum lectionibus approbau- mus. Ergo si Christus (ut edoctum est) deus uerus est, quæramus qua ratione, cum solum uerum deum patrem legant, a patre filium cupiunt separare. Si dicunt quod uerus solus deus pater est, negare non possunt, quod & filius solus deus ueritas est, quia Christus ue- ritas est. Nunquid ueritas uero minor est, cum secundum appellationem nominum, ue- rus plerumque a ueritate dicatur, sapiens a sapietia, iustus a iustitia? Hoc nos inter patrem non sentimus & filium: quia & patri nihil deest, quia pater est uerax: & filius quia ueri- tas est, æqualis est uero. Ut sciant autem cum solum legunt nequaquam esse a patre filium separandum, meminerint in prophetis a deo dictum: Ego extendi cælum solus. Et utique non extendit sine filio pater. Ipse enim filius qui sapientia dei est, dixit: Quando para- bat cælos, cum ipso aderam. Et Paulus de filio dictum esse confirmat: In initio terram tu fun- disti domine, & opera manuum tuarum sunt cæli. Siue ergo filius cælum fecit, sicut & Apostolus uoluit intelligi, & ipse utique non sine patre cælum solus extendit, siue ut in Prouerbis habes: Deus in sapientia fundauit terram, parauit autem cælos in intellectu, ostenditur quod nec pater solus sine filio cælos fecit, nec sine patre filius: & tamen qui cælum

cœlum extendit, solus dicitur. Quam uerò id & de filio aperte intelligendum sit, quod so-
 lus appelletur, & si nūquā inscio patre aliquid fecisse credatur, etiam alibi habes ubi scri-
 ptum est: Extendens cœlum solus, & ambulans quasi in pavemento super mare. Namq; *Iob. 9*
 Euangelium domini docuit nos, quod in mari non pater, sed filius ambulauit, quando *Matth. 14*
 Petrus rogauit eum, dicens: Domine iube me uenire ad te. Sed etiam prophetia ipsa do-
 cumento est. Sanctus enim Iob aduētum domini prophetabat, de quo uere dixit, quod
 magnum cœtum erat debellaturus, & factum est. Nam feralē illum cœtū, Zabulum scili-
 cet ultimis temporibus uenerabili corporis sui passione prostratum perculit & afflixit.
 Est ergo solus & uerus deus, filius. Hæc enim & filio prerogatiua deferri. De nullo enim
 qui creatus est, proprie dici potest quod solus est. Nam cui inest communitas creaturæ,
 quemadmodum quasi solus potest à cæteris separari: Itaq; homo rationalis uidetur in-
 ter omnia terrena animantia, sed tamen non est solus rationalis. Scimus enim rationa-
 bilia esse et cœlestia opera dei, Angelos & Archangelos rationabiles cōstemur. Si ergo
 angeli rationabiles, nō utiq; solus rationalis homo dicitur. Sed dicunt solū dici posse solē,
 quia sol alter nō est. Sed & ipse sol habet cōmunia multa cū stellis, quod percurrit cœ-
 lum, quod æthereæ illius cœlestibusq; substantiæ est, quod creatura est, quod inter om-
 nia dei opera computatur, quod cum omnibus deo seruit, cum omnibus benedicit deū,
 cum omnibus laudat. Non ergo solus proprie dicitur, quia nec à cæteris separatur. Itaq;
 cū patris & filij spiritusq; sancti diuinitati, quæ sola nō inter omnia sed super omnia est,
 nulla possit creatura conferri (ut de spiritu interim assertio reseruetur) sicut pater dicitur
 solus deus uerus, cui nihil commune cum cæteris, ita etiam solus est filius imago ueri
 dei, solus dextera patris, solus uirtus dei atq; sapientia. Solus ergo filius facit sicut & pa- *Ioan. 14*
 ter, quia scriptum est: Quæcunq; facio ipse facit. Cum enim unum opus sit patris & filij,
 bene de patre & filio dicitur, quod deus solus operatus est: unde etiam cum creatorem *Rom. 1*
 dicimus & patrem & filium cōstemur. Nam utiq; cum Paulus diceret: Qui seruiuerunt
 creaturæ potius quam creatori, nec patrem creatorē negauit ex quo omnia, nec filium *1. Tim. 6*
 per quem omnia. A quo alienum utiq; non uidetur, quod scriptum est: Qui solus habet
 immortalitatem. Quomodo enim immortalitatem non habet, qui uitā habet in semet-
 ipso: Habet utiq; in natura, habet in substantia, & habet non per gratiam temporalem,
 sed per sempiternam diuinitatem: habet non ex dono quasi seruus, sed ex generationis *Ioan. 5*
 proprietate quasi filius cœternus. Et habet sicut pater. Sicut enim pater habet uitam in
 semetipso, ita & filio dedit uitam habere in semetipso: sicut habet, inquit, sic dedit. Didi-
 cisti supra quemadmodum dederit, ne putares esse gratiæ largitatem, ubi generationis
 arcanum est. Cum ergo inter patrem & filium uitæ nulla distantia sit, quemadmodum
 quod immortalitatem solus habeat pater, filius nō habeat, æstimari potest: Vnde intel-
 ligant nec hoc loco à solo uero deo patre filium separandum, quia probare nō possunt,
 quod solus & uerus deus filius nō sit, cum presertim & hic aut subaudiatur (ut diximus)
 & Christum solum uerum deum esse, Aut certè aliud ad diuinitatem patris & filij, aliud
 ad incarnationem Christi relatum intelligendum sit, quia non est perfecta cognitio, nisi
 quæ & secundū aternitatem unigenitū deum uerū dei filiū Iesum Christū & secundum *1. Ioan. 4*
 carnem generatū ex uirgine confitetur. Quod alibi hic ipse Euangelista nos docuit, di-
 cens: Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse, de deo est. Deniq;
 quam non alienum sit etiam incarnationis hoc loco intelligere sacramētum, docet nos *Ioan. 17*
 ipsius series lectiōis. Sic enim habes: Pater uenit hora, clarifica filium tuum, utiq; cum &
 horam uenisse cōmemoret, & clarificari petat, quomodo nisi secundū carnis assumptio-
 nem locutū eum cōuenit æstimari? Nā nec ulla sibi temporū præscripta momēta diuini-
 tas habet, nec clarificatiōe indiget lumē aternū. Ergo in solo uero deo patre, & filiū dei
 solum uerū secundū diuinitatis intelligimus unitatē, & in Iesu Christi nomine, quod ex
 uirgine natus accepit, incarnationis agnoscimus sacramētū. Quod si cum solū uerum
 deum patrem legunt, filiū cupiunt separare, ergo cum de filij incarnatione legunt: Hic *Act. 4*
 est lapis qui reprobatus est à uobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, Et infra:
 Nō est aliud nomē sub cœlo datū hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, patrē exi-
 stimant ab impertiēde nobis salutis beneficio separandū. Sed neq; sine patre salus, ne-
 que uita aeterna sine filio. Sed asserunt Arriani: si solum uerum deum sicut patrem, ita &
 filium

filium dicitis, & unius substantiæ patrem & filium cõfitemini: nõ unum deum, sed duos deos inducitis: quia qui unius substantiæ sunt, non unus deus, sed duo dij uidentur: sicut duo homines, aut duæ oues pluresq; dicuntur, homo autem & ouis, nec duo homines dicuntur, nec duæ oues, sed unus homo, & una ouis. Hæc Arriani dicunt, & hac disputatione uersuta simpliciores capere nituntur. Tamen si legamus scripturas diuinas, inuenimus pluralitatẽ magis in ea cadere, quæ diuersæ discretæq; substantiæ sunt, hoc est, *ἐτερόου-
οια*. Idq; in Salomonis libris habemus expressum, eo loco scilicet in quo dicit tria sunt im-
 possibilis intelligere, & quartũ nõ agnosco. Vestigia aquilæ uolantis, & uiam serpentis supra petram, & semitas nauis nauigatis, & uias uiri in iuuetute. Vtiq; aquila & nauis & serpens unius non sunt generis atq; naturæ, sed differētis discretæq; substantiæ, & tamen tria sunt. Contra se igitur sua esse intelligant argumenta testimonijs scripturarũ. Itaq; dicendo, patris & filij discretam esse substantiam, differentemq; deitatem, duos utiq; ipsi deos asserunt. Nos autem cum & patrem confitemur, & filium asserendo: ramen unius esse deitatis non duos deos, sed unum deum dicimus. Et hoc dominicis eloquijs approbamus, quia ubi plures sunt, ibi aut naturæ aut uoluntatum & operationum est differentia. Deniq; ut suis sibi testimonijs reuincantur, duo homines dicuntur, quia licet unius naturæ sint iure nascendi, tamen & tempore & cogitatione & opere & loco distant, & ideo non potest unus homo dici in significatione & numero duorũ, quia non est unitas, ubi est diuersitas: unus autem deus dicitur, & patris & filij ac spiritus sancti gloria & plenitudo signatur. Deniq; tanta ueritas unitatis est, ut etiã quando natura sola generatio-
 nis aut carnis significatur humanæ, & unus homo de multis dicatur, sic habes: Dominus mihi audiutor, non timebo quid faciat mihi homo. id est, non una persona hominis, sed una caro & una fragilitas generationis humanæ. Et addidit: Bonum est sperare in domino, quàm sperare in homine. Nec hic utiq; specialem hominem, sed generalem conditionẽ designauit. Deniq; statim subiicit de pluribus: Bonũ est confidere in domino, quàm confidere in principibus. Sed ubi homo dicitur, naturæ interdum, ut supra diximus, communis inter omnes unitas significatur: ubi principes, uariarũ quædã differentia potestatum est. Sed inter homines aut in hominibus unius alicuius rei unitas est, aut charitatis, aut cupiditatis, aut carnis, aut deuotionis & fidei. Generalis autẽ unitas, & quæ in se secũdum diuinitatis gloriã complectatur omnia, solius est patris & filij & spiritus sancti. Vnde & dominus cum diuersitatẽ inter se hominũ designaret, qui nihil habet inter se quod possit ad unitatẽ indiuiduæ substantiæ pertinere: In lege uestra, inquit, scriptũ est, quod duorũ hominũ testimonium uerũ est. Et cum præmisisset, duorum hominum testimonium uerũ est, ubi uenit ad suum & patris testimonium, nõ dixit, uerum est testimonium nostrum, quia duorum deorum testimonium est: sed ego, inquit, sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me qui misit me pater. Supra quoq; similiter ait. Et si iudico ego, iudicium meũ uerum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater. Itaq; & infra & supra & patrem signauit & filium, nec pluralitatem admiscuit, nec diuinæ unitatem substantiæ separauit. Euidens est igitur, quia quod unius est substantiæ, separari non potest, etiamsi nõ sit singularitatis, sed unitatis. Singularitatem hanc dico, quæ Græcè *μονότης* dicitur. Singularitas ad personam pertinet, unitas ad naturam. Ea uerò quæ diuersæ substantiæ sunt, non solum unũ, sed etiam plura dici solere, licet iam ex prophetico claruerit testimonio, expressius tamẽ ipse Apostolus declarauit, dicens: Nam etsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo siue in terra. Vides igitur quod hi qui ex diuersis substantijs sunt, & non ex unius ueritate naturæ, dij appellatur? Pater autem & filius quia unius substantiæ sunt, non duo dij, sed unus deus. Pater ex quo omnia, & unus dominus Iesus Christus per quem omnia. Vnus, inquit, deus pater & unus dominus Iesus. Et supra, Vnus deus, non duo. Et infra: Vnus dominus & non duo. Pluralitas ergo excluditur, non unitas sequestratur. Sed quemadmodum cum legimus dominum Iesum, nec patrem (ut supra diximus) à dominationis iure secernimus, quod ei commune cum filio est: ita cum legimus solum uerum deum patrẽ, nec filium à solius ueri dei iure possumus separare, quod ei commune cum patre est. Aut dicant quid aliud sentiant, quid uerè arbitrentur, cum legimus: Dominum deũ tuũ adorabis, & illi soli serues: utrum Christum non adorandũ, & Christo non existiment seruiendũ? Quod si illa quæ adora-
 uit

uit eum Chananæa impetrare meruit, quod poposcit, & Paulus Apostolus, qui seruum se Christi prima scriptorum suorum præfatione profitetur, Apostolus esse meruit, nō ab hominibus neq; per hominem, sed per Iesum Christum: dicant quid arbitrentur sequendum: utrum cum Arrio malint sibi societatem esse perfidiæ, ut solum & uerū deum Christum negando ostendant, quod nec adorandum eum, nec seruiendum ei iudicēt: An uerū consortium malint habere cum Paulo, qui seruiendo atq; adorando etiam Christum, utiq; solum uerum deum uoce affectuq; non diffitebatur, quem pio seruitio fatebatur.

Roma. 1
Galat. 1

Quomodo intelligi debeat, quod Christus dixit: Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus quod scimus. Et illud: Sedere ad dexteram uel sinistram, nō est meum dare uobis.

Cap. II

Vod si quis dicat: Quoniam deum patrem adoret & filius, quia scriptum est: Ioan. 4

Q Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, consideret quādo & apud quem & cuius suscepto loquatur affectu. Deniq; & in superioribus non immerito præmissum est, quod Iesus fatigatus ex itinere sedebat & à Samaritana bibere postulabat, quia secundum carnem hominis loquebatur. Nam secundum diuinitatem nec fatigari poterat nec sitire. Deinde cum Samaritana quasi Iudæum appellaret, & prophetam putaret, quasi Iudæus qui mysteria legis doceret, respondit: Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus. Nos inquit: hoc est, se hominibus copulauit. Quō autem, nisi secundum carnem hominibus copulatur? Et ut ostenderet quod secundum incarnationem respōderat, addidit: Quia salus ex Iudæis est. Sed statim post hoc se questrauit hominis affectum, dicens: Veniet, hora & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem. Non dixit, adorabimus. Quod utiq; dixisset, si cōsortium nostri subiret obsequij. uerum cum legerimus, quod Maria adorauit eum, intelligere debemus quod non potest per eādem naturam & adorare quasi seruus & adorari quasi dominus: sed potius quod ut homo inter homines adorare dicitur, & quasi dominus à famulis adoratur. Multa ergo secundum incarnationis legimus & credimus sacramenta: sed in ipsa naturæ humanæ affectione, maiestatem licet spectare diuinam. Fatigatur ex itinere Iesus, ut reficiat fatigatos: Petit bibere, sitientibus potum spiritalem daturus: Esurit, cibum salutis esurientibus traditurus: moritur, uiuificaturus: sepelitur, resurrectorus: Tremulo pendet in ligno, confirmaturus trementes: Cœlum caligine obducit, ut illuminet: Terras tremefacit, ut solidet: Maria conturbat, ut mitiget: Reserat tumulos mortuorum, ut ostendat domicilia esse uiuorum: Creatur ex Virgine, ut ex deo natus esse credatur: Nescire se simulat, ut scire faciat nescientes: Adorare quasi Iudæus dicitur, ut quasi uerus dei filius adoretur. Quomodo, inquit, filius dei, solus uerus deus potest esse similis patri, cum ipse dixerit filijs Zebedæi: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam uel ad sinistram, nō est meum dare uobis, sed quibus paratū est à patre meo? Hoc igitur uestrum diuinæ, ut uultis, inæqualitatis est argumētum: cum in eo magis uenerari domini clementiam, adorare gratiam deberetis, si tamen uirtutis atq; sapiētiae dei profunda secreta possētis aduertere. Considerate enim quæ cum filijs & pro filijs petat: mater est utiq; cui pro filiorum honore sollicita immoderatio quidem, sed tamē ignoscenda mensura uotorum est. Atq; mater ætate longæua, studio religiosa, solatio destituta, quæ tunc temporis quando uel iuuanda uel alenda foret ualidæ prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur, & uoluptati suæ, mercedem sequentium Christum prætulera filiorum. Qui prima uoce uocati à domino (ut legimus) relictis retibus & patre sequuti sunt eum. Hæc igitur studio maternæ sedulitatis indulgentior, obsecrabat saluatorem dicens: Ut sedeāt hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & alter ad sinistrā in regno tuo. Matt. 20

Et si error, pietatis tamen error est. Nesciunt enim materna uiscera patientiam: & si uoti auara, tamen ueniabilis cupiditas, quæ non pecuniæ est auida, sed gratiæ. Nec inuerecūda petitio, quæ non sibi, sed liberis consulebat. Matrem considerate, matrem cogitate. Sed nihil mirum si uilis uobis uideatur circa filios affectus parentum, qui etiam omnipotentis patris uilem putatis esse circa unigenitum filium charitatem. Dominus cœli atq; terrarum uerecundabatur (ut secundum assumptionē carnis & uirtutes animæ loquar) uerecundabatur, inquam, & ut ipsius uerbo utar, confundebatur, matri pro filijs postulanti etiam suæ sedis consortium denegare: nos æterni dei filium proprium, interdū pro

ministerio stare cōtenditis, interdum famulatoriū, hoc est, non ex maiestatis unitate, sed ex patris præceptione uultis eius esse confessum, & negatis hoc deo uero dei filio, quod ille hominibus aperte noluit denegare. Considerabat enim matris dilectionem, quæ filiorum mercede grandævam solabatur senectam, & desiderijs licet fessa maternis, charissimorum pignorum tolerabat absentiam. Considerate etiam scēminam, hoc est sexū fragiliorem, quem dominus propria nondum confirmauerat passione. Considerate, inquam, Eugē illius primæ mulieris heredem, transfusa in omnes immoderata cupiditatis successione labentem, quam dominus adhuc proprio sanguine non redemerat, nondū inolitam affectibus omnium immodici contra fas honoris appetentiam, suo Christus cruore diluerat. Hæreditario igitur mulier delinquebat errore. Et quid mirum si mater pro filiorum suorum (quod est tolerabilius quàm pro se) quando etiam Apostoli ipsi in

Luc. 22 ter se (sicut legimus) de sui prælatione certabant? Non debuit igitur medicus omnium destitutam matrem, & ægram adhuc mentem, pudoris conuitio fauciare, ne postulato sibi superbius denegato quasi immoderata petitionis damnata, mœreret. Deniq; dominus qui honorandam sciret esse pietatem, non mulieri sed filijs eius respondit, dicēs: *Postestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicentibus autem illis: Possumus. Ait illis Iesus: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam uel ad sinistram non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo. Quam patiens & clemens dominus, quam alta sapientia & bona charitas? Volens enim ostendere quod non perfunctoriam rem aliquam discipuli postularēt, sed eam quam impetrare nō possent, prærogatiuam eis paternæ honorificentiaē reseruauit, non metuēs, ne quid iuri proprio derogaret, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo: simul diligens discipulos, quia sicut habes, Vsq; in finem dilexit eos, noluit his quos diligeret uideri quod peterent denegasse. sanctus & bonus dominus, qui mallet aliquid dissimulare de iure quàm de charitate deponere. Charitas enim patiens est, benigna est, non æmularur, non inflatur, nō quærit quæ sua sunt. Deniq; ut agnoscat, nō infirmitatis sed indulgentiaē esse quod dixit: Non est meum dare uobis, ubi sine matre filij Zebedæi rogant, nihil de patre dixit. Sic enim habes: Non est meum dare uobis, sed quibus paratum est. Ita Marcus*

Mar. 10 Euangelista posuit. Vbi uerò mater pro filijs rogat, hoc est secundum Matthæum: Non est, inquit, meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo. Hic addidit à patre meo, quia maiorem indulgentiam maternus poscebat affectus. Quod si putant, dicendo quibus paratum est à patre meo, quod aut patri plus tribuit, aut sibi aliquid derogauit, dicant utrum & illic putent patri aliquid derogatum, quia dixit in Euāgelio filius de

Ioan. 5 patre: Pater non iudicat quemquam. Quod si sacrilegum putamus dicere quod pater ita iudicium detulit filio, ut ipse nō habeat, habet enim, nec potest amittere quod habet naturaliter diuina maiestas: sacrilegum utiq; æstimare debemus, quod non potest filius dare quicquid, aut homines mereri possunt, aut quæuis accipere creatura, præsertim cum

Ioan. 14 ipse dixerit: Ego ad patrem uado, & quodcunq; ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam. Si enim quod pater dare potest, filius non potest, mentita est ergo ueritas. Non enim potest facere quicquid in nomine eius pater fuerit obsecratus. Nec enim ideo dixit: *Quibus paratum est à patre meo, ut tantummodo à patre poscant. Nam omnia quæcumque à patre fuerint postulata se donare memorauit. Deniq; non dixit: Quodcunq; à me petieritis hoc faciam, sed quodcunq; ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam. Quæro nunc, utrum possibile aliquid humanæ conditioni, aut alicui creaturæ, an impossibile putent à Zebedei coniuge & filijs postulatum. Si possibile, quomodo ad sinistra sua uel ad dexteram impertiendæ Apostolis sedis nō habuit potestatem, qui omnia fecit esse cum non erant? Aut quomodo non poterat iudicare de meritis hominū, cui pater dedit omne iudicium? Notum est quemadmodū dederit. Nam quomodo quasi indigēs accepit filius qui omnia creauit ex nihilo? quorū igitur naturas fecerat, eorum iudiciū nō habebat? Dedit autem filio pater omne iudicium, ut omnes, inquit, honorificent filium, sicut honorificant patrem. Non igitur potentia filij, sed cognitio nostra proficit. Neq; aliquid ad substantiam eius accedit, sed ad nostram utilitatem quod à nobis cognoscitur: ut cognoscēdo dei filium, uitam habeamus æternam. Cum autem in cognitione filij dei honor illius, noster aut non illius sit profectus, si quis putat quod dei uirtus illo honore cumq;*

cumulat, necesse est etiam deum patrem credat posse cumulari, quod & ipse per cog-
 nitionē nostram clarificatur sicut filius, iuxta quod scriptū est, dicente filio: Ego te clari-
 ficavi super terram. Ergo si possibile aliquid erat, quod petebatur, in potestate utiq; filij *Ioan. 17*
 fuit. Sed tamen ostendant qui possibile putāt, quid de hominibus aut cæteris creaturis, *Matt. 22*
 aut ad dexterā aut ad sinistram dei sedeat. Pater enim dicit filio: Sede ad dexteram meā.
 Itaque si quis ad dexteram filio sedet, inter ipsum utique & patrem (ut humano usu lo-
 quamur) filius medius reperitur. Non ergo possibile hominī aliquid petebatur, sed no-
 luit dicere, quod homines sedere secum non possent. Si quidem diuinam suam gloriam
 celare priusquā resurgeret non diuulgare cupiebat. Nā & supra cū inter famulos suos *Matt. 17*
 Moysen & Heliā apparuisset in gloria, monuerat discipulos ne cui dicerēt quod uidi-
 sent. Itaq; si possibile non erat hominibus uel creaturis cæteris hoc mereri, non debet ui-
 deri filius minus posse quia non dedit Apostolis, quod nec pater hominibus uel creatu-
 ris dedit. Aut dicant cui horum dederit pater. Non utiq; angelis, de quibus scriptura di-
 cit: Quod omnes Angeli stabant in circuitu sedis. Deniq; & Gabriel se stare dixit, sicut *Apoc. 7*
 habes: Ego sum Gabriel, qui adsto ante deum. Non ergo Angelis, non senioribus qui a- *Luc. 1*
 dorant sedentem. Illi enim non super sedem maiestatis sedent, sed (ut dixit scriptura) in *Apoc. 4*
 circuitu sedis. Sedes enim aliæ uiginti & quatuor sunt, ut habes in Apocalypsi Ioānis: Et *Matt. 19*
 super sedem uiginti quatuor seniores sedentes. In Euangelio quoq; ipse dominus dicit:
 Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & ipsi super sedes duodecim *Matt. 19*
 iudicantes duodecim tribus Israel. Non ergo sedis suæ dixit Apostolis dari posse confor-
 tium, sed alias illas sedes esse duodecim, quas tamen non pro corporali concessu, sed pro
 successu spiritalis gratiæ aestimare debemus. Deniq; in libro Regnorum dixit Micheas *3. Reg. 22*
 propheta: Vidi dominū deum Israel sedentem super thronū suum, & omnis militia cœli
 stabat circa eum ad dexteram eius & ad sinistram. Quomodo igitur stantibus Angelis
 ad dexteram uel ad sinistram, quibus pro uirtutis præmio angelorum similitudo promitti-
 tur: sicut dominus dicit: Eritis sicut Angeli in cœlo: Sicut Angeli, inquit, nō plus quam *Matt. 22*
 Angeli. Si ergo nihil plus dedit pater quam filius, nihil utiq; minus dedit filius quam pa-
 ter: nihil igitur minus filius potest quam pater. Ponite tamen possibile impetratu homi-
 nibus quod posceretur. Quid est quod ait: Sedere autem ad dexteram meam uel ad sini-
 stram, non est meum dare uobis: Quid est meum? Supra dixit: Calicem quidem meū bi-
 betis. & infra posuit: non est meum dare uobis: & supra meum, & infra meum dixit, nec *Matth. 20*
 immutauit. Ergo superiora docent propter quid dixerit meum. Rogatus enim a mulie-
 re quasi homo, ut ad dexteram uel ad sinistram suam filios eius sedere pateretur, quia illa
 quasi hominem rogauerat, & dominus quasi tantummodo homo de sua passione respō-
 dit: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Itaq; quia secundum carnem de
 passione sui corporis loquebatur, demonstrare uoluit, quod secundum carnem quidem
 subeundæ passionis nobis. exēplum ac similitudinē dereliqueret, secundum humanā *Ioan. 7*
 autem conditionē, sedis supernæ consortia nō donaret. Hoc est enim quod dixit, nō est
 meū. Sicut alibi: Mea doctrina non est mea: nō est enim, inquit, secundū carnē mea: quia
 quæ diuina sunt, non sunt carnis eloquia. Indulgentiā autē suam circa discipulos quos di-
 ligeret, quā expresse reuelauit præmittēs: Calicē quidem meum bibetis. Etenim quia
 nō debebat id dare quod petierāt, aliud proposuit ut prius cōmemoraret quid ihs tribue-
 ret, quā quid negaret, quo magis æquitatē sibi petitionis quā studium dominicæ li- *Matt. 20*
 beralitatis intelligerēt defuisse. Calicē quidem, inquit, meum bibetis, hoc est, passionem
 quidē quæ carnis meæ est, non negabo. Quod enim humane assumptionis habeo, pote-
 stis imitari: donauī uobis uictoriā passionis, hereditatē crucis. Sedere autem ad dexterā
 meam uel ad sinistram, non est meum dare uobis. Non dixit, non est meum dare: sed nō
 est meum dare uobis: Non sibi potestatē deesse asserens, sed meritum creaturis. Accipe
 aliter: Non est meum dare uobis. Quod est, non est meum, qui ueni humilitatem docere:
 non est meum, qui ueni non ministrari, sed ministrare: non est meum, qui iustitiā seruo,
 non gratiā. Deniq; ad patrē referens, addidit: Quibus paratum est, ut ostenderet patrem *Act. 10*
 quoq; non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia deus personarū acceptor nō est. *Rom. 8*
 Vnde & Apostolus ait: Quos præsciuit, & prædestinauit. Non enim ante prædestinauit
 Ambr. to. 2 i 2 quam

quam præsciret, sed quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinauit. Iure igitur reprehenditur mulier, quæ & impossibilia & speciali quodam præiudicio ab eo domino postulauit, qui ea quæ sanctis iudicauit esse donanda, non duobus Apostolis, sed omnibus discipulis, etiam sine cuiusquam precatione, uoluntaria sui largitate contulerit, sicut scriptum est: Duodecim uos sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Et ergo etiam si possibile putemus postulatum fuisse, calumniæ locus non est: tamen cum legerim Seraphim stare, quomodo possum quod homines ad dexteram uel ad sinistram filio dei sedeant, arbitrari? Supra Cherubim dominus sedet, sicut habes: Qui sedes super Cherubim, appare. Quomodo Apostoli super Cherubim sedebunt? Et hoc tamē colligo non ex meo ingenio, sed ex dominicæ uocis oraculo. Ipse enim dominus in posterioribus Apostolos cōmendans patri, ait: Pater quos dedisti mihi, uolo, ut ubi ego sum, & illi sint mecū. Vtiq; si iudicasset quod diuinam sedem pater hominibus daret, dixisset: Uolo ut ubi ego sedeo & illi sedeant mecū. Sed uolo, inquit, ut sint mecum, non ut sedeant mecū: & ubi ego, non quomodo ego. Deinde sequit. Vt uideant claritatē meā. Nec hic dixit, ut habeant claritatē meam, sed ut uideant. Seruus enim uidet dominus possidet. Si aut & Dauid docuit, dicens: Vt uideam uoluptatē domini. Et ipse dominus in Euāgelio reuelauit, dicēs: Beati mūdo corde: Ipsi enim deum uidebunt. Videbunt, inquit, non super Cherubim cū deo sedebūt. Desinant ergo uiliora secundū diuinitatem æstimare de dei filio, ne uiliora quoq; de patre æstiment. Qui enim male crediderit de filio dei, non potest bene sentire de patre: qui male crediderit de spiritu, non potest bene sentire de filio. Vbi enim una dignitas, una gloria, una charitas, una maiestas est, in commune derogatur quicquid in aliquo putaueris derogandum. Jam enim non erit plenitudo quam discernas & diuidas in aliquas pōrtiones.

Unitatem esse in trinitate.

Cap. III

Ioan. 17

E

Xistunt tamen Imperator Auguste qui hanc diuine unitatem substantiæ negare cupientes, extenuare studeant patris & filij charitatem, quia scriptū est: Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Quod cum dicunt, quid aliud agunt, nisi inter dei filium & homines æqualitatem quandam comparationis inducunt? Nunquid sic diligi possunt à deo homines quemadmodū filius, in quo complacuit pater? Ille per se complacet, nos per ipsum. In quibus enim deus filium suum ad imaginem suam cernit, eos per filium asciscit in gratiam filiorum: ut quemadmodum per imaginem ad imaginem sumus, sic per generationem filij in adoptionem uocemur. Alius igitur naturæ amor sempiternus, alius gratiæ. Aut si ex uerbis faciunt quæstionem, quia scriptum est: Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti, & comparationem factam putant: ergo & illud cōparatiuè dictum putant, Estote misericordes, sicut & pater uester qui in cœlis est. Et alibi: Estote perfecti, sicut & pater meus qui in cœlis est perfectus est. Quod si ille secundū plenitudinem maiestatis, suæ perfectus est, nos autem perfecti secundum uirtutis accidentis profectum: etiam filius diligitur à patre, secundum semper manentis plenitudinē charitatis, in nobis autem charitatem dei, uirtutis emeretur profectus. Vides igitur quā gratiā deus dederit hominibus, & tu patris & filij uis soluere naturalem & indiuiduam charitatem: & tu uerba adhuc discutis, ubi unitatem maiestatis aduertis? Vide totū hunc locum, ex cuius affectu loquatur. Habes enim dicentem ipsum: Clarifica me pater claritate ea quam habui priusquam mundus esset apud te: & tamen ut scires magnum deum & salutarem & omnipotentem dei filiū, iudiciū suæ maiestatis admiscuit dicēdo: Et mea omnia tua sunt, & tua mea. Omnia habet, & tu missum esse ad iniuriam deriuas? Qui si secundū carnē non accipis missum ut Apostolus dixit, & ex uerbo simplici præiudiciū struis, quo dicas inferiores à superioribus mitti solere, quid ad illa respondes, quod filius ad homines missus est? Nam si minorem putas eum qui mittitur eo uidelicet à quo mittitur: disce quod & minor maiorem misit, & maiores ad minores missi sunt. Nam & Tobias Raphaelem misit, & Angelus ad Balaam missus est, & dei filius ad Iudæos. Nunquid ergo minor etiam Iudæis dei filius ad quos mittebatur? De ipso enim scriptum est: Nouissime autem misit eis filium suum unicum. Et uidē quod ante seruos, postea filium nominauit, ut scias quod dei filius unigenitus secundum diuinitatis potentiam, nec nomen habet, nec consortium commune cum seruis: reuerendus mittitur, non cum famulis

mulis conferendus. Et bene addidit, meum, ut non unus de multis, nec degeneris natu-
 ræ, aut minoris alicuius potestatis, sed uerus à uero, paternæ imago uenisse substantiæ cre-
 deretur. Esto tamen, minor sit qui mittitur eo à quo mittitur, ergo & Pilato minor Chri-
 stus, quoniam Pilatus misit eum ad Herodem. Sed non præiudicat potestati scriptura,
 quæ missum à patre dicit, missum dicit à præside. Vnde si sobriè de dei filio quæ digna
 sunt opinemur, ideo missum intelligere debemus, quod ex illo incomprehensibili in-
 narrabiliq; secreto maiestatis profundæ, dedit se comprehendendum pro captu nostro
 mentibus nostris dei uerbum, non solum cum se exinaniret, sed etiam cum habitaret in
 nobis, sicut scriptum est: Quoniam inhabitabo in illis. Deniq; & alibi habes quod deus
 dixit: Venite descendamus & confundamus linguas eorū. Non enim deus de loco ali-
 quando decedit, qui ait: Ego cælum & terram compleo: sed in eo descendere uidetur, si
 nostros dei uerbum penetret affectus, sicut dixit propheta: Parate uiam domino, rectas
 facite semitas eius, ut quemadmodum ipse promisit, ueniens cum patre, apud nos faciat
 mentionē. Euidens est igitur quomodo ueniat. Vnde & euidens est quomodo dominū
 dicat, quem patrem nouit. Ait enim: Confiteor tibi pater domine cæli & terræ. Ante pa-
 trem dixit sapientia suum, postea creaturæ dominū nuncupauit. Itaq; dominatū nō esse
 ubi uera progenies est, ipse dominus ostendit in Euangelio suo dicens: Quid uobis ui-
 detur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis Iesus: Quō ergo Dauid in spi-
 ritu uocat eum dominum, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis? Et
 addidit: Si ergo Dauid in spiritu uocat eum dominū, quomodo filius eius est? Et nemo
 poterat ei respondere uerbū. O quam cautē. Propter Arrianos enim in hoc etiā testimo-
 nio dominus fidei prospexit. Nō enim dixit: Vocat eū spiritus dominū: sed quod Dauid
 dixit in spiritu, ut cuius secundum carnem filius est Dauid scilicet, eius etiam secundum
 diuinitatē & dominus & deus crederetur. Vides igitur quod nomen pietatis & domi-
 nij discretum est. Et bene dominus suum quidem patrem, cæli autem & terræ dominū
 prædicauit, ut tu cum legis & patrem & dominū, intelligas patrem filij, & dominū crea-
 turæ. In alio prerogatiua naturæ est, in alio authoritas potestatis. Formā enim serui acci-
 piēs, eo utiq; dominum uocat, quo seruitutē suscepit, æqualis in dei forma, seruus in cor-
 poris: seruitus enim carnis, dominatus autē diuinitatis est. Vnde & Apostolus ait: Deus
 domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, hoc est, deum assumptionis humane asserens, pa-
 trem autē gloriæ. Num enim duos filios habuit deus, Christū & Gloriam? Minime. Ergo
 si unus dei filius Christus, utiq; Christus est gloria. Quid autē ei derogas qui patris gloria
 est? Si ergo & filius gloria est, & pater gloria, quia pater gloriæ, non potest aliud esse q̄
 gloria, non diuisio gloriarum, sed una est gloria. Itaq; ad proprietatem naturæ gloria re-
 fertur, dominatus ad suscepti corporis seruitutem. Si enim caro etiam iusti animæ subdi-
 ta est, sicut scriptum est: Castigo corpus meum & seruituti redigo, quanto magis subie-
 cta est diuinitati, de qua dicitur: Quoniam uniuersa seruiunt ei? Vna autem quæstione
 & Sabellianos & Fotinianos & Arrianos dominus exclusit. Nam cum dominum cū do-
 mino dicit, Sabellius excluditur: qui eundem patrem uult esse quem filium. Excluditur
 Fotinus, qui secundū carnem iudicat, quia dominus Dauid regis nō poterat esse, nisi qui
 deus est. Scriptum est enim: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruiēs. Nūquid
 contra legem propheta sentiret, qui sub lege regnaret? Excluditur Arrius, qui filium se-
 dere audit ad dexteram patris, ut si ex usu argumentetur humano, ipse se perimat, & ue-
 nenum sacrilegæ disputationis suæ in se refundat, ut dum inæqualitatem patris & filij
 ex consuetudine hominum interpretatur, in utroq; à uero deuius, eū præferat cui dero-
 gat, confessurus priorē quem audit ad dextrā. Excluditur etiam Manichæus. Non enim
 negat esse se Dauid filium secundum carnē, utpote qui clamātibus cæcis: Iesu fili Dauid
 miserere nobis, & delectatus est fide, & stetit & curauit eos: Sed negat hoc suræ esse æter-
 nitatis, si Dauid solius filius à perfidis nominetur. Nam filius dei est contra Hebionem:
 Filius Dauid est contra Manichæos, Filius dei est contra Fotinum: Filius Dauid est con-
 tra Marcionem: Filius dei est contra Paulum Samosatenum: Filius Dauid est contra Va-
 lentinum: Filius dei est contra Arrium atque Sabellium gentilis erroris hæredes: Domi-
 nus Dauid est contra Iudæos, qui dei filium in carne cernentes, hominem tantummo-
 do impio furore credebant. Sed Ecclesiastica fide & dei patris & Dauid idem atque

Leuit. 26

2. Cor. 6

Gen. 11

Hier. 23

Esa. 40

Matt. 11

Ibid. 22

Psal. 109

2. Cor. 1

1. Cor. 9

Psal. 118

Matt. 4

Matt. 20

unus est filius: quia incarnationis dei mysterium uniuersae salutis est creaturae, secundum
Hel. 2 quod scriptum est: Ut sine deo pro omnibus gustaret mortem: Id est, quod creatura om-
Rom. 8 nis sine passione aliqua diuinitatis, dominici sanguinis redimenda sit precio, sicut alibi
 habes: Omnis creatura liberabitur a seruitute corruptionis. Aliud est igitur secundum
 diuinam substantiam, aliud secundum susceptionem carnis filium nominari. Nam & se-
 cundum generationem diuinam, deo patri aequalis est filius, & secundum susceptionem
 corporis, deo patri seruus est: formam enim serui, inquit, accepit, unus tamen atq; idem
 est filius. Contra autem sancto patriarchae David secundum gloriam suam dominus est,
 secundum corporalis successionis seriem filius est, non deficiens a se, sed nostrae ius sibi
Psal. 88 adoptionis acquirēs. Nec solum ex genere David seruitutem suscepit in persona homi-
 nis, sed etiam ex nomine, sicut habes: Inueni David seruū meum. Et alibi, Ecce ego mit-
 tam ad uos seruum meum, Oriens nomē est ei. Et ipse filius ait: Sic dicit dominus, qui fin-
 xit me seruum ex utero sibi, & dixit mihi, magnum tibi est uocari puerum meum. Ecce
 posui te in testamentum generis mei, in lucem gētium, ut sis in salutem, usq; ad extremū
 terrae. Cui hoc dicitur, nisi Christo? Qui quum in forma dei esset, exinaniuit se, & formā
 serui accepit. Quid est in dei forma, nisi in diuinitatis plenitudine? Disce igitur, quid sit,
 formam serui accepit, id est, plenitudinem perfectionis humanae, plenitudinem obediē-
 tiae. Ideoq; dicit in Psalmo tricesimo, statuisti in loco spaciofo pedes meos: super omnes
 inimicos meos factus sum opprobrium, illustra faciem tuam super seruū tuum. Seruus
 dictus est homo, in quo sanctificatus est: Seruus homo, in quo unctus est: seruus homo,
 in quo factus sub lege, factus ex uirgine est. Et ut compendio dicam, seruus dictus est, in
 quo matrē habet, sicut scriptū est, O domine ego seruus tuus, & filius ancillae tuae. Quis
 nimis humiliatus est, nisi Christus, qui uenit, ut omnes liberaret per obedientiam: Sicut
 enim per inobediētiam unius hominis, peccatores cōstituti sunt plurimi, ita & per unius
 obediētiam iusti constituentur multi. Quis calicē salutarem accepit? Christus princeps
 sacerdotū, an David, qui neq; sacerdotū habuit, neq; passionē subiit? Quis sacrificauit
 hostiā laudis? Sed si hoc parū est, accipe aliud. Custodi animam meam, quoniā ego san-
 ctus sum. Nūquid de se hoc diceret David? Sed ille dicit qui ait: Non derelinques animā
 meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionē. Idem ergo utrunq; dicit.
 Addidit uero, Saluū fac seruū tuū. Et infra, Da potestātē puero tuo, & filio ancillae tuae.
 Et alibi, id est, in Ezechiele, Et suscitabo super eos pastorem unum, & reget eos seruus
 meus David: & erit eorum pastor & ego dominus: & ero illis in deū, & David in medio
 eorum princeps. Vtiq; David iam defunctus erat, filius Iesse. De Christo itaq; dicit, qui
 propter nos filius ancillae factus est, secundum formam hominis. Nam secundū diuinā
 generationē non matrē habet sed patrē: nec corporalis uentris est fructus, sed sempiter-
 na dei uirtus. Ergo etiam illud cum legimus quod dixit dominus: Tempus meum non-
Ioan. 7 dum impletum est, Et: Adhuc modicum tempus uobiscū sum: Et, uado ad eum qui me
Ioan. 13 misit: Et, clarificatus est filius hominis, ad incarnationis sacramentum referre debemus.
 Cum autem legimus: Et deus clarificatus est in eo: Et deus clarificauit eum, quid tibi est
 questionis, ubi & filius clarificatur a patre, & pater clarificatur a filio? Denique ut fidem
Ioan. 16 unitatis & copulam trinitatis aperiret, etiam a spiritu clarificandum esse se dixit, sicut ha-
Ibid. 8 bes: Ille de meo accipiet & clarificabit me. Clarificat ergo dei filium etiam spiritus san-
 ctus. Quomodo igitur ipse dixit: Si ego clarificauero meipsum, claritas mea nihil est: Er-
 go nihil est claritas filij? Sacrilegum est dicere nisi referas ad carnē: quia ex persona ho-
 minis filius loquebatur, eo quod comparatione diuinitatis nulla est carnis claritas. Desi-
 nant igitur impie obijcere, quod in suam perfidiam retorquetur. Scriptum est enim: nō
 nego: Nunc clarificatus est filius hominis. Sed uideant quid subiectum sit. Clarificatus
 est filius hominis. Videant etiam quid sequatur: Et deus clarificatus est in eo. Ego excu-
 sationem habeo de filio hominis, ille de patre non habet, quia pater non suscepit carnē.
 excusationem habeo & non utor: ille non habet, & calumniatur. Aut simpliciter me pa-
 tiatur intelligere, aut ad carnem referre quae carnis sunt. Pia mens, quae leguntur, secun-
 dum carnem diuinitatemq; distinguit, sacrilega confundit, & ad diuinitatis
 detorquet iniuriam, quicquid secundum humilitatem
 carnis est dictum.

Eandem

Eandem patris, filij ac spiritus sancti esse potestatem.

Cap. IIII

Vid quod etiam more Iudaico falli & impudentes interpretes Arriani uerborum sunt diuinorū, dicentes: usque adeo aliam patris, aliam filij, aliam spiritus sancti esse potestatem, ut scriptum sit: *Ite docete omnes gentes, baptizātes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, & ex uerborum ordine differentiam diuinā faciunt potestatis? Ego autem licet hoc ipsum testimonium in superioribus libris pro unitate asseruerim maiestatis ac nominis, tamen si hinc faciunt quæstionem, possum testimonijs asserere scripturarum, in plerisque locis prius filium nominatum, postea patrem dictū. Nūquid igitur quia filij significatio ante præmissa est, uerborum, ut Arriani uolūt, præiudicio, pater secundus a filio est? Absit, inquam, absit. Nescit hūc ordinem fides, nescit discretum patris & filij honorem. Non legi, non audiui, nec aliquem in deo inuenio gradum. Nusquam secundum nusquam tertium deum legi: primum legi, primum ac solum audiui. Si ordinis exigimus superstitionem, nec ad dexteram patris sedere filius debet, nec primum se & principium debuit dicere. Male ergo Euangelista, quia prius a uerbo quam a deo cœpit dicens: *In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum. Et enim iuxta humani ritus ordinem prius patrem debuit nominare. Nesciuit etiam Apostolus ordinē qui ait: Paulus seruus Christi Iesu, uocatus Apostolus, segregatus in Euāgelio dei. Et alibi: Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas dei, & communicatio spiritus sancti. Si uerborū sequamur ordinem, in primo filium posuit, in secūdo patrem. Sed uerborum ordo saepe mutatur, & ideo nō debes uel de ordine uel de gradu, patri deo & filio eius facere quæstionem, cum secūdam diuinitatem diuisio nulla sit unitatis. Ad extremum ut Christianos se non esse manifestent, negant in Christum esse credendum, dicentes scriptum esse: *Qui in me credit, non credit in me, sed in eum qui me misit. Hanc ergo expectabam confessionem, quid me quibusdam ambagibus ludebatis? sciam mihi aduersum Gentiles esse contentionem, sed illi conuertuntur, uos non conuertimini. Illi si credant, saluum est sacramentum: uos perdidistis acceptum, & nec cœptum fortasse, sed fictum. Scriptum est inquit: *Qui in me credit, non in me credit, sed in eum qui me misit. Sed uidete quid sequatur, & uidete sic quemadmodum se dei filius uult uideri. Sequitur enim: *Et qui uidet me, uidet eum qui me misit, hoc est, quia pater uidetur in filio. Expositum igitur id quod ante præmisit: *Quia ille credit in filium, qui confitetur & patrem. Nam qui filium nescit, nec patrem nouit. Omnis enim qui negat filium, nec patrem habet. Qui confitetur filium, & filium & patrem habet. Quid est ergo: *Non credit in me? Nō in id quod corporaliter cernitis, non in hominem tantummodo quem uidetis. Nō enim in hominem tantummodo credendum asseruit, ut credas quia Iesus Christus ipse est & dei filius & homo. Propter quod & utrumque ait: *A meipso non ueni. Et alibi: *Ego sum principium quod & loquor uobis. Quasi homo a se non uenit: quasi dei filius non ex homine principium habet. Sed sum, inquit, ipse principium quod loquor uobis. Neque humana sed diuina sunt quæ locutus sum. Neque enim fas est credere, quod negauerit in se esse credendum, cum ipse dixerit: *Vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et alibi: *Hæc est enim uoluntas patris mei qui me misit, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam, Et alibi: *Creditis in deum, & in me credite. Nemo ergo filium sine patre accipiat, quia filium legimus. Habet patrem filius, sed non temporalem, non ex passione, non ex conceptione, non ex gratia. Generationem legi, non legi cōceptionem. Et pater dicit: *Genui, non dicit, creauit. Et filius non creatorem suum deum secundum æternitatem diuinæ generationis, sed patrem nominat. Se quoque nūc ex persona hominis, nunc in dei maiestate significat: nunc unitatem sibi diuinitatis cū deo patre uindicans, nunc fragilitatem humanæ carnis assumens: nunc doctrinam suam se non habere, nunc uoluntatem suam se non quærere, nunc testimonium suum uerū non esse, nūc uerum esse significās. Nam ipse dixit: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum nō est uerum. Et ipse in posterioribus ait: *Et si ego testimoniū perhibeo de me, uerum est testimonium meum. Quomodo igitur non est uerum testimonium tuum domine Iesu, cui qui credidit, in cruce licet positus, & inter confessi sceleris supplicia cōfritutus, merita latronis exiuit, præmia innocētis emeruit? Deceptus est ergo Paulus, qui ideo recepit oculos, quia credidit, quos amiserat antequam crederet? Errauit ne etiā Iesus***************

Matt. 23

Ioan. 1

Rom. 1

2. Cor. 13

Ioan. 12

Ibid.

Ioan. 8

Ioan. 11

Ioan. 6 et 14

Ioan. 5 et 8

Act. 9

Iosue 5

Naue, qui ducem militiæ cœlestis agnouit, sed postea quàm credidit statim uicit, dignus qui fidei prælio triumpharet. Deniq; non æratas acies in bella produxit, nec ariete ceterisq; tormentorum machinis, sed tubarum septem sacerdotium sono, murorum hostilium septa deposuit. Ita bellum immane confecit tubæ clangor, & infula sacerdotis. Vidit hoc meretrix, & quæ in excidio ciuitatis remedia desperaret salutis, quia fides uicerat, signa fidei atq; uexilla dominicæ passionis attollens, coccum in fenestra ligauit, ut species cruoris mystici quæ foret mundum redemptura uernaret. Ita foris Iesu nomē fuit præliantibus ad uictoriam, intus species dominicæ passionis periclitantibus ad salutem.

Iosue 2 Vnde quia intellexit Raab cœlestē mysterium, dicit dominus in Psalmo: Memor ero Raab & Babylonis scientibus me. Quomodo ergo non est uerum testimonium tuū domine, nisi secundum fragilitatem hominum? Omnis enim homo mendax. Deniq; ut secundum hominem dixisse se demonstraret, ait: Qui misit me pater, ipse testimoniū perhibet de me. Verum autem est testimonium secundum diuinitatem, sicut ipse ait: Et uerū est testimonium meum, quia scio unde ueni, & quod uado, uos autem nescitis unde ueni, & quod uado, uos secundum carnem iudicatis. Non ergo secundum diuinitatem, sed secundum hominem iudicant, qui putant Christo testificandi scientiam defuisse. Ergo cū

Psal. 86 audis: Qui credit in me, non credit in me. Et qui misit me pater ipse mihi mandatum dedit, didicisti quod id putes esse referendum. Deniq; mandatum quod esset ostendit dicēs:

Psal. 115 Pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. Vides ideo dictum, ut ostenderet liberam sibi ponendæ ac resumendæ animæ potestatem: sicut ipse dixit: Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo. Siue igitur mandatum, siue ut aliqui Latini habent præceptum, non utiq; secundum diuinitatem, sed secundum incarnationem datur, ad subeundæ uictoriam passionis.

Quibus rationibus dei filius creatura dici non possit.

Cap. v

Ibid. 12 Aud uero in hanc humilitatem dei filium deducemus, ut nisi quæ audierit facere aut loqui nesciat, & præscriptam agendi loquendiq; ei putemus esse merituram, quia scriptum est: Ex me ipso non sum locutus. Et infra: Sicut dixit mihi pater ita loquor, sed ad obedientiam carnis, aut ad fidem unitatis ista referantur. Pleriq; enim doctiores & audire filium, & dicere aliquid filio patrem accipiunt per unitatē naturæ. Quod enim per unitatem uoluntatis nouit filius, patrem uelle uidetur audisse. Vnde non officium corporale, sed arbitrium indissociabile cooperationis declaratur. Neq; enim uerborū hic aliquem significat auditum, sed unitatem uoluntatis atq; uirtutis, quæ & in patre est & in filio. Quam etiam & in spiritu sancto esse memorauit alio loco dicens: Nō enim loquet̃ à semetipso, sed quæ audit loquetur: ut aduerteremus quod quicquid spiritus loquitur, loquitur & filius: & quicquid loquitur filius, loquitur & pater, quia una sententia & operatio trinitatis est. Sicut enim pater uidetur in filio, non utriusque specie corporali, sed unitate diuinitatis: Ita etiam pater loquitur in filio, non temporali uoce, nec corporali sono, sed operis unitate. Deniq; cū dixisset, Pater qui in me manet ipse loquitur, & Opera quæ ego facio ipse facit, addidit: Credite mihi, quia ego in patre & pater in me est. Alioquin propter opera ipsa credite. Hic intellectus est nostri secundū diuinarum seriem scripturarum. Arriani autem qui nolunt de deo æstimare quæ digna sunt, uel apto suis meritis confutentur exemplo: nec totum carnaliter credant, cū ipsi patris sui diaboli opera incorporaliter uideant. Sicut de eorum consortibus Iudæis dominus declarauit dicens: Vos quod uidistis patrem uestrum faciētem facitis, cum utriq; non quod diabolus operantem uiderint, sed quod arbitria eius fecerint arguantur, inuisibiliter in his secundū iniquitatem suam diabolo operante peccatum. Hoc secundū Apostolum propter insipientiam posuimus perfidorum. Cæterum satis probatū est scripturarum exemplis, ad unitatem maiestatis pertinere diuine, quod & pater maneat in filio: & ea quæ loquitur filius à patre uideatur audisse. Unitatem autem maiestatis quibus alijs possumus intelligere, quam quod eadem patri & filio deferuntur. Nam quid præcelentius potest dici, quam quod Apostolus dixit dominū maiestatis crucifixū? Filius ergo est & deus maiestatis, & dominus maiestatis: sed non creaturis subiecta maiestas: Nō ergo creatura filius. Filius paternæ est imago substantiæ: omnis autem creatura dissimilis supernæ

supernæ substantiæ, sed non dissimilis dei patris filius: Non ergo creatura filius. Filius
 nõ rapinam arbitratus est esse æqualem deo, sed nulla creatura æqualis deo, æqualis au-
 tem filius. Non ergo creatura filius. Omnis creatura mutabilis, sed non mutabilis dei fi-
 lius: Non ergo creatura dei filius. Omnis creatura accidentia & boni & mali recipit suæ
 capacitate naturæ, eademq; decessionem sentit: Dei autem filio nihil potest ex eius diui-
 nitate uel decedere uel accedere: Non ergo creatura dei filius. Omne opus suum addu-
 cet deus in iudicium, sed dei filius non adducitur in iudiciũ, quia ipse iudicat: Non ergo
 creatura dei filius. Postremo ut unitatem intelligas, de ouibus dicens saluator: Nullus in-
 quit, rapit eas de manu mea. Pater quod dedit mihi maius omnibus est, & nemo potest
 rapere de manu patris mei. Ego & pater unum sumus. Sic uiuificat filius, ut pater. Sicut
 enim pater suscitatur mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Sic suscitatur filius,
 ut pater: sic conseruat filius, ut pater. Qui non impar est gratia, quomodo impar est pote-
 stas: Sic etiam non perdit filius, ut pater. Et ideo ne quis uel duos deos crederet, uel di-
 scretionem potestatis induceret: unum se esse cum patre dixit. Id quemadmodũ potest
 dicere creatura: Nõ ergo creatura dei filius est. Nõ idem est regnare & seruire: Christus
 autem & rex est & filius regis: Non ergo seruus est dei filius. Omnis autem creatura ser-
 uit, sed non seruit dei filius, qui ex seruis filios dei facit: Non ergo creatura dei filius. Di-
 uinè itaq; illam parabolam induxit diuitis qui in regionem longinquam profectus est ac-
 cipere regnum & reuertí, seipsum secundum substantiam diuinitatis incorporationisq;
 describens. Ipse enim diues secundum plenitudinem diuinitatis, qui pro nobis pauper
 factus est, cum diues esset & rex æternus, & æterno rege progenitus, peregre profectus
 secundum corporis susceptionem, quia uias hominis tanquam iter ingressus alienum, in
 hunc mundum uenit ut regnũ sibi pararet ex nobis. Venit ergo Iesus in hunc mundum
 regnum accipere de nobis, quibus ait: Regnum dei intra uos est. Hoc est regnum quod
 Christus accepit, hoc est quod patri tradidit. Nam quomodo regnum accepit, qui erat
 sempiternus? Venit ergo filius hominis accipere regnum & reuertí. Noluerunt eum su-
 scipere Iudæi, de quibus ait: Illi qui noluerunt me regnare super se, adducite & interfici-
 te eos. Sequamur scripturarum ordinem. Ille qui uenit, regnũ deo patri tradet, & cũ tra-
 diderit regnũ, tũc & ipse subiectus erit ei qui sibi subiecit omnia, ut sit deus omnia in o-
 mnibus. Sicut filius hominis, regnum accepit dei filius: ut filius utiq; hominis etiam tra-
 diturus est quod accepit, sicut filius hominis: Tradit ergo & dei filius. Hominis uero su-
 scptionem, utiq; per conditionem carnis, nõ per maiestatem diuinitatis agnosce. Et tu
 ad contumeliam obijcis, quod ei subiecerit omnia deus, cum audias quod regnum filius
 hominis deo tradat, & ut in superiorib. diximus libris, legeris: Nemo uenit ad me nisi pa-
 ter attraxerit eũ, & ego resuscitabo eũ in nouissimo die: Si literã sequamur, uide magis
 atq; aduerte unitatẽ honorificentia: & pater subiecit filio, & filius patri tradit. Dic quid
 sit amplius, trahere an resuscitare? Nõ ne secundũ morem hominũ, ministerium trahen-
 tis, potestas est suscitantis? Sed & filius ad patrem trahit, & pater ad filium trahit: et filius
 suscitatur, & pater suscitatur. Facestant sacrilegæ commẽta discretionis, ubi unitas potestatis
 est. Tradit igitur patri regnum suum filius. Nec deperit Christo regnum quod tradit, sed
 proficit. Nos sumus regnum, quia nobis dictũ est: Regnũ dei intra uos est. Et sumus reg-
 num Christi ante, postea patris, quia scriptũ est: Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Cũ
 in uia sum, Christi sum: cum peruenero, patris sum: sed ubiq; per Christum, & ubiq; sub
 Christo. Bonum est in regno Christi esse, ut Christus nobiscũ sit, sicut ipse ait: Ecce ego
 uobiscum sum usq; ad consummationem mundi. Sed melius est esse cum Christo. Dissol-
 uí enim & cum Christo esse multo melius, cum in hoc mundo sub peccato simus. Chri-
 stus nobiscum est, ut per unius obedientiam iusti constituentur multi. Si peccatum hu-
 ius mundi euasero, incipiam esse cum Christo. Deniq; ait: Veniam iterum, & assumam
 uos ad me. Et infra: Volo ut ubi ego sum, & isti sint mecum. Ergo nunc sub regno Chri-
 sti sumus, dum in corpore uersamur, & nondũ forma exuimur serui, quam ille cum se ex-
 inaniuisset accepit: cum uero gloriam eius uiderimus quam habuit priusquam mundus
 esset, erimus in regno dei, in quo patriarchæ sunt & propheta: de quibus scriptũ est: Cũ
 uideritis Abraã, Isaac & Iacob, & oēs prophetas in regno dei: ut iã pleniore dei cognitio
 ne potiamur. Sed in filij regno & pater regnat, et in regno patris filius regnat: quia pater
 in

Ecc. 12

Ioan. 10

Ioan. 5

Luc. 19

Luc. 17

Luc. 19

1. Cor. 15

Ioan. 6

Luc. 17

Ioan. 14

Matt. 28

Philip. 1

Roma. 5

Ioa. 14. et 17

Luc. 13

in filio, & in patre filius: & in quo habitat filius, habitat & pater: & in quo habitat pater habitat & filius. Sicut ipse ait: Ego & pater uenimus, & apud eum mansionem faciemus. Ergo sicut una domus, ita & unum regnum. Eousque autem unum patris & filii regnum est, ut quod filius tradit, pater accipiat: & quod pater accipit, filius non amittat. Ergo in uno regno unitas potestatis est. Nemo igitur diuinitatem inter patrem filiumque secernat.

Qua ratione filius subiectus sit patri: & quomodo filius omnia sibi subiecerit. C. VI

Quod si patri & filio unum dei nomen & ius est, cum deus uerus & rex sempiternus sit etiam dei filius, non utique secundum diuinitatem subiectus est dei filius. Subiectum itaque imperator Auguste quemadmodum debeamus accipere, consideremus. Quomodo enim subiectus dei filius: ut creatura uanitati? Sed impium est de diuinitatis substantia, tale aliquid aestimare. An quemadmodum creatura omnis dei filio, quod aequè scriptum est: Omnia subiecerit sub pedibus eius? Sed non Christus ipse sibi subiectus est. An quemadmodum mulier uiro, sicut legimus: Mulieres uiris suis subditæ sint? Et alibi: Mulier in silentio discat cum omni subiectione: Sed sacrilegum est, uel patri uirum, uel dei filio mulierem comparare. An quemadmodum Petrus dixit: Subiecti esto te omni humanae creaturae? Nec sic itaque Christus. Vel quemadmodum Paulus scripsit: Patri & deo, subiecti inuicem, in timore Christi? Sed neque in suo, neque in alterius Christi timore subiectus est filius, quia unus est Christus. Quorum uerborum uim considerate, quia patri subiecti sumus, dum etiam Christum ueremur. Quomodo ergo subiectum intelligimus? Totum Apostolicum caput recenseamus, ut nihil uideatur fraude subiectum, aut obreptione praestricum. Si in hac inquit, uita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium. Videtis quoniam de resurrectione Christi tractata est disputatio. Quoniam sicut per unum hominem, inquit, mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine, primitiae Christus: deinde hi qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt: deinde finis, cum tradiderit regnum deo & patri, cum euacuauerit omnem principatum & potestatem & uirtutem. Oportet enim illum regnare donec ponat omnem inimicos sub pedibus eius. Nouissime autem inimica destruet mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat: Omnia subiecta sunt ei, sine dubio praeter eum qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse filius subiectus erit illi, qui sibi subiecit omnia, ut sit deus omnia in omnibus. Quod etiam ad Hebraeos idem Apostolus dixit: Nunc autem nondum uidemus omnia illi esse subiecta. Accipiamus Apostolicam seriem lectionis. Quomodo igitur subiectum dicimus? Sabelliani & Marcionitæ dicunt, quod haec futura sit Christi ad deum patrem subiectio, ut in patre filius refundatur. Si ergo ea erit uerbi subiectio, ut resoluitur in patre deus uerbum, ergo & quaecumque patri filioque subiecta sunt, in patrem & filium resoluentur, ut sit deus omnia & in omnibus creaturis. Sed absurdum est dicere. Non igitur per refusionem subiectio. Alia sunt enim quae subijciuntur, ea utique quae creata sunt, & alius cui fit illa subiectio. Conticescant itaque seque refusionis interpretes. Atque utinam & illi tacerent, qui quoniam resoluibile dei uerbum, deique sapientiam probare non possunt, infirmitatem diuinitatis subiectionis adscribunt, dicentes quod scriptum est: Cum autem subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse subiectus erit. Videmus igitur quod nondum subiectum, sed subijciendum esse scriptura commemorat. Ergo nunc non est subiectus deo patri filius. In quo igitur filium subiectum fore dicitis? Si in diuinitate, nec inobediens est, quia non est a patre discors: nec subiectus, quia non est seruus, sed unicus proprio patri filius. Denique cum caelum crearet, & terram conderet, & potestatem exercebat & charitatem. Nulla igitur seruilis in Christi diuinitate subiectio. Si autem nulla subiectio, uoluntas libera est. Quod si etiam subiectionem putant filii, quia cum eius uoluntate omnia faciant, discant hoc ipsum esse indiuiduae potestatis argumentum, quia unitas uoluntatis est, quae non coepit ex tempore, sed erat semper. ubi autem unitas perpetuae uoluntatis, non utique temporalis subiectionis infirmitas. Si enim per naturam subijceretur, semper subiectus maneret. Cum uero subijciendus dicatur in tempore dispensationis, ergo susceptae non perpetuae infirmitatis erit illa subiectio: maxime cum sempiterna dei uirtus non possit statum

statum mutare pro tempore, nec deo patri ex tempore ius potestatis accedere. Nam si fi-
 lius aliquando mutabitur, ut secundum diuinitatem subijciatur: ergo & deus pater si ali-
 quando plus poterit, ut subiectum secundum diuinitatem habeat filium, nunc interim
 minus posse secundum interpretationem uestram, necesse est aestimetur. Quid autē cul-
 pæ commertit filius, ut postea, secundum diuinitatē subijci posse credatur? Nunquid se-
 cundum diuinitatem ad dexteram patris sedere præripuit, ut inuito patre sibi prærogati-
 uam paterni solij uindicaret? Sed ipse ait: Omnia quæ placita sunt ei facio semper. Ergo
 si in omnibus patri cōplaceat filius, cur subijciē qui ante subiectus nō erat? Videamus
 itaq; ne non diuinitatis illa sed nostra fiat in Christi timore subiectio, plena gratiæ, & ple-
 na mysterij. Itaq; rursus Apostolica uerba pendamus. Cū autem subiecta, inquit, illi fue-
 rint omnia, tunc & ipse subiectus erit ei qui sibi subiecit omnia, ut sit deus omnia in om-
 nibus. Ergo quid dicis? Nunc subiecta non sunt ei omnia? Non subiecti sanctorū chorū?
 non Angeli qui in terris posito ministrabant? non Archangeli qui etiā ad Mariā aduen-
 tus dominici prænunciij mittebantur? nō omnis militia cœlestis? nō Cherubim & Sera-
 phim? nō throni & dominationes & potestates quæ uenerant & laudant? Quō ergo sub-
 iecta erūt? Sic utiq; quemadmodum ipse dominus dixit: Tollite iugū meum super uos.
 Non enim indomiti iugum portant, sed humiles atq; māsueti. Nec est planē angelis nec
 ipsis hominibus uilis, sed gloriosa subiectio, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœ-
 lestium, terrestrium, & inferorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus in
 gloria est dei patris. Ideo autem ante subiecta non erant omnia, quia nondum receperāt
 sapientiam dei, nondum habile iugum uerbi, mentis quadam ceruice portabant. Quot
 quot autē, sicut scriptum est, receperūt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. Dicit ali-
 quis: Ergo iam subiectus est Christus, quia plurimi crediderunt? Minime: Quia non in
 paucis est Christi subiectio, sed in omnibus. Sicut enim si in me concupiscat adhuc caro
 aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, nō uideor esse subiectus, & si ex par-
 te sim subditus: ita quia omnis Ecclesia unum corpus est Christi, quam diu genus dissen-
 tit humanum, Christum diuidimus. Nondum ergo subiectus est Christus, cuius nō sunt
 adhuc membra subiecta. Cum autē fuerimus non multa membra, sed unus spiritus, tunc
 & ipse subiectus erit, ut per ipsius subiectionem, sit deus omnia in omnibus. Sicut autē
 nondum subiectus est Christus, ita nondum perfectum est opus patris, quia dei filius di-
 xit: Meus cibus est ut faciam uoluntatem patris mei qui me misit, & perficiā opus eius.
 Quid igitur quæstionis est, quod in me erit filij subiectio, in quo imperfectū est opus pa-
 tris, quia non sum ipse perfectus? Ergo qui imperfectum opus facio patris, ipse filium fa-
 cio esse subiectū? Sed nō est iniuria ista sed gratia: quia in eo quod subijcimur, noster ut-
 tiq; nō diuinitatis est profectus: ut subijciamur legi, subijciamur gratiæ. Quoniā ante, si-
 cut ipse dixit Apostolus, sapiētia erat carnis inimica in deū. Legi enim non erat subdita.
 Nunc autē iam per Christi est subdita passiōe. Et tamen ne quis calūnietur, uidete quid
 diuinitus spirās scriptura præcauerit. Ostēdit enim nobis in quo subiectus erit deo Chri-
 stus, dum docet in quo sibi uniuersa subijceret. Ideoq; dicit: Nunc autē non uidemus om-
 nia ei subiecta. Nam paulominus quam angelos minoratū uidimus Iesum propter pas-
 sionem mortis. Ostendit itaq; minorem factum in carnis susceptione. Quid igitur impe-
 dit quinetiam subiectionem in carnis susceptione significet, per quam subijciēt sibi om-
 nia dum in ipsa patri deo est ipse subiectus? Consideremus itaq; eius subiectionē. Pater,
 inquit, meus si uis transfer calicem hunc à me: uerū non mea uoluntas, sed tua fiat. Ergo
 secundum humanæ naturæ assumptionē erit illa subiectio. Quia sicut legimus: Specie
 inuentus ut homo, humiliauit semetipsum factus obediens usq; ad mortem. Subiectio
 utiq; obedientia est, obedientia mortis, mors assumptionis humanæ, assumptionis ergo
 humanæ erit illa subiectio. Nequaquam igitur diuinitatis infirmitas, sed dispensatio ista
 pietatis est. Vide quā non timeam eorum propositiones. Illi obijciunt subijciendū pa-
 tri deo, ego lego Mariæ subditum matri, quia scriptum est de Ioseph & Mariā: Et erat
 subditus illis. Aut si hoc putant, dicant quod hominibus erat subiecta diuinitas. Non igi-
 tur præiudicet quod subiectus dicitur, cui non præiudicat quod seruus legitur, quod cru-
 cifixus asseritur, mortuus prædicatur. Qui cum moreretur uiuebat, cum subijceretur re-
 gnabat, cum sepeliretur resuscitabat, ac subiectum se potestati præbebat humanæ,
 alias

Ioan. 3

1. Cor. 15

Matt. 11

Philip. 2

Ioan. 1

Gal. 5

1. Cor. 15

Ioan. 4

Hebr. 2

Ibid.

Luc. 22

Philip. 2

Luc. 2

aliàs se dominum maiestatis declarabat æternæ. Erat sub iudice, & ad dexteram dei solitè
 sibi iudex perpetuus iudicabat. Scriptum est deniq;: A modo uidebitis filium hominis
Matt. 26 sedentem ad dexteram uirtutis. Vapulabat à Iudæis, imperabat Angelis. Natus ex Ma-
 ria sub lege erat, ante Abraam supra legem erat, in cruce uenerandus natura. Deniq; sol
 refugit, terra contremuit, conticuerunt Angeli. Cuius igitur passionem elementa uide-
 re timuerunt, huius generationem uidere potuerunt. Et in quo subiectionem corporis
 non tulerunt, in eo subiectionem naturæ uenerabilis sustinebunt. Sed cum unius natu-
 ræ sint pater & filius & spiritus sanctus, utiq; non erit pater sibi ipse subiectus. Et ideo nō
 erit in eo subiectus filius, in quo cum patre unum est, ne per unitatem diuinitatis uideat
 & pater filio esse subiectus. Ergo sicut in illa cruce, non diuinitatis plenitudo, sed nostra
 fragilitas erat subdita: ita etiam postea subditus erit filius patri, in nostræ utiq; participa-
 tione naturæ: ut subiectis carnis illecebris, non cupiditas dominetur cordi, nō ambitio,
 non uoluptas, sed omnia nobis deus sit, & omnino quantū capere possumus ad eius ima-
 ginem similitudinemq; uiuamus. Ad communitatem igitur beneficium transiuit à spe-
1. Cor. 15 cie, quia in sua carne naturam totius humanæ carnis edomuit. Et ideo iuxta Apostolū:
 Sicut portauimus imaginem huius terreni, portemus & imaginē huius cœlestis: Quod
 utiq; nisi per interiorē hominem non potest euenire. Deponētes igitur uniuersa, hoc
Col. 3 est illa quæ legimus, iram, animositatē, blasphemiam, turpiloquiū, & sicut infra dicitur,
 Expoliantes nos ueterem hominem cum actibus suis, induamus nouum, qui renouatur
 in agnitionem, secundū imaginem eius qui creauit eum. Et ut scires, quod cum dicit: Vt
 sit deus omnia in omnibus, à deo patre nō separet Christū, ipse ad Colossenses, dicit: Vt
1. Cor. 15 bi non masculus, inquit & fœmina, Iudæus & Græcus, Barbarus & Scytha, seruus & li-
 ber, sed omnia & in omnibus Christus. Ergo etiam ad Corinthios dicēs: Vt sit deus om-
 nia in omnibus, & unitatem & æqualitatem cum deo patre complexus est Christi, quia
 nec à patre filius separatur. Et similiter sicut pater omnia in omnibus, ita omnia in omni-
 bus etiam Christus operatur. Si ergo Christus quoq; in omnibus omnia operat, nō utiq;
 in diuinitatis maiestate subiectus est, sed in nobis. Quomodo autem subiectus in nobis,
 nisi eo modo quo minor Angelis factus est, in corporis scilicet sacramento? In eo enim
 nondum subiecta ei omnia uidebantur, quæ creatori suo à principio sui utiq; seruiebāt.
Matt. 25 Quod si quæsieris quemadmodum sit subiectus in nobis, ipse ostendit dicens: In carce-
 re eram, & uenistis ad me. Infirmus eram & uisitastis me. Quod enim unū horum mini-
 morum fecistis, mihi fecistis. Infirmum audis, & nō moueris, subiectum audis & moue-
 ris? cum in eo infirmus, in quo subiectus, in quo peccatum atq; maledictum pro nobis fa-
 ctus est. Sicut igitur non propter se sed pro nobis peccatum atq; maledictum factus est,
 ita non pro se sed pro nobis erit subiectus in nobis, non in natura subiectus æterna, neq;
Deut. 21 in natura maledictus æterna. Maledictus enim omnis qui pendet in ligno. Maledictus,
 quia nostra maledicta suscepit: subiectus quoq; quia subiectionem nostram ipse susce-
 pit, sed in seruilis formæ assumptione, non in dei maiestate: ut dum ille nostræ fragilita-
 tis se præberet in carne consortem, nos in uirtute sua diuinæ faceret consortes natura.
 Non quo aut hoc nobis cum superna Christi generatione naturale consortium aut diui-
 nitatis in Christo sit illa subiectio: sed sicut in illo per carnem illam, quæ est pignus no-
 stræ salutis, sedere nos in cœlestibus, Apostolus dixit, utiq; nō sedentes, sic & ille per no-
 stræ assumptionem nature dicitur subiectus in nobis. Quis enim tam demens qui putet,
 ut supra diximus, quod ad dexteram dei patris, sedes sibi uenerabilis non debeat, cum
 scilicet etiam secundum carnē Christo ea à patre, generationis tamen supernæ & æqua-
Ephes. 2 lis potentia deferatur? Angeli adorāt, & tu tibi præsumptione sacrilega solium dei ster-
 nis: Scriptum est inquit, quod cum mortui essetis peccatis, conuiuificauit uos in Chri-
 sto, cuius gratia estis salui facti, & simul suscitauit simulq; facit sedere in cœlestibus in
 Christo Iesu. Agnosco scriptum. Sed non ut homines sedere ad dexteram sibi patiatur
 deus, sed ut in Christo sedere, puia ipse est omnium fundamentum, & ipse est caput Ec-
 clesiæ, in quo communis secundum carnem natura, prærogatiuam sedis cœlestis eme-
 ruit. In Christo enim deo caro, in carne autem humani natura generis omnium hominū
 particeps honoratur. Sicut nos ergo in illo sedemus per corporeæ commune nature, ita
 & ille qui per susceptionem nostræ carnis maledictū pro nobis factus est, cū maledictū
 utiq;

utiq; in benedictum filium dei non cadat, ita inquam & ille per obedientiam omnium erit subiectus in nobis, cum Gentilis crediderit: cum Iudeus agnouerit, quem crucifixit: cum Manichæus adorauerit, quem in carnem uenisse non credidit: cum Arrianus omnipotentem confessus fuerit, quem negauit: cum postremo in omnibus fuerit sapiëntia dei, iustitia, pax, charitas, resurrectio. Per sua igitur opera Christus & genera diuersa uirtutum erit in nobis patri subditus, cum uitijs abdicatis et feriente delicto, unus in omnibus deo coeperit in uno sensu populorum omnium spiritus adhærere, tunc erit deus omnia & in omnibus. Conclusionem igitur totius absolutionis breuiter colligamus: Vnitas potestatis opinionem iniuriosæ subiectionis excludit: euacuatio potestatis, & uictoria de morte quaesita, triumphatoris utiq; non minuit potestatem: subiectionem operatur obedientia, obedientiam Christus assumpsit, obedientia usq; ad crucem, crux ad salutem: ergo ubi opus, ibi & author est operis. Cum igitur omnia Christo subiecta fuerint per obedientiam Christi, ut in nomine eius omnes genu flectant, tunc erit ipse omnia in omnibus. Nunc enim quia non omnes credunt, non uidentur omnes subiecti. Cum omnes ergo crediderint, & dei fecerint uoluntate, erit omnia & in omnibus Christus: cum Christus fuerit omnia & in omnibus, erit omnia & in omnibus deus, quia pater manet semper in filio. Quomodo ergo infirmitatis arguitur, qui redemit infirmos? Ac ne forte & illud ad infirmitate filij referas, quod scriptum est, quod subiecit ei deus omnia, discere quomodo omnia sibi etiam ipse subiecerit. Scriptum est enim: Nostra autem conuersatio in coelis est: Vnde & saluatorem expectamus dominum Iesum, qui transfigurabit corpus humanitatis nostræ, conforme ut fiat corpori gloriæ suæ, secundum operationem qua possit etiam subicere sibi omnia. Didicisti ergo quod omnia possit sibi ipse subicere, secundum operationem utiq; diuinitatis. Discere nunc quod secundum carnem omnia subiecta accipiat, sicut scriptum est: Qui operatus est in Christo, suscitans eum a mortuis, & constitutus eum ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Secundum carnem igitur ei omnia subiecta tradentur, secundum quam & a mortuis suscitatus est, & secundum animam humanam ac rationabilem subiectionem. Diuine pleriq; interpretantur, quod scriptum est: Nonne deo subiecta erit anima mea? Animam dixit non diuinitatem, animam non maiestatem. Et ut sciremus quod dominus per prophetam de susceptione naturæ est locutus humanæ, addidit: Usquequo adijcietis super hominem? secundum illud quod ait in euangelio: Quid me queritis interficere hominem? Et addidit: Veruntamen precium uoluerunt repellere, cucurrerunt in sitim, ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Iudæi enim reportante Iuda precium, recipere noluerunt, currentes in sitim amentia, quia spiritualis potus gratiam recusarunt. Hæc est pia subiectionis interpretatio. Etenim cum dominicæ passionis hoc munus sit, utiq; in quo passus est, in hoc erit subiectus in nobis. Querimus qua causa? Vt neq; angeli, neq; uirtutes, neq; altitudo, neq; profundum, neque presentia, neq; futura, neq; creatura alia separare nos possit a charitate dei, quæ est in Christo Iesu. Videmus itaq; ex his quæ diximus, nullam exceptam esse creaturam, sed istis quas supra dixit, omnem, si qua est, annumeratam esse. Simul etiam illud est considerandum, quod cum in superioribus dixerit: Quis nos separabit a charitate Christi: subter posuit: Neq; mors, neq; uita, nec alia creatura separare nos poterit a charitate dei quæ est in Christo Iesu. Videmus ergo eandem charitatem dei esse, quæ Christi est. Denique non ociose posuit charitatem dei quæ est in Christo Iesu, ne separatam dei & Christi intelligeres charitatem. Nihil autem est quod charitas diuidat, nihil quod diuinitas sempiterna non possit, nihil quod latet ueritatem, fallat iustitiam, prætereat sapientiam.

Quomodo intelligendum, quod scriptum est: De die autem illo & hora nemo scit, neq; angeli, neq; filius, nisi solus pater. Cap. VII

Vnde execrables eos, qui ista commemorant, & a spiritu sancto esse damnatos, scire debemus. Quos enim alios nisi specialiter Arrianos propheta damnat, qui dicunt quod dei filius nesciat tempora & annos? Non enim est aliquid quod ignoret deus. Est autem deus Christus, & altissimus Christus, ipse est enim super omnia deus. Videte quemadmodum sanctus Dauid huiusmodi qui dei filio scien

Philip. 2

Philip. 3

Philip. 1

Ephesi. 3

Psalm. 61

Math. 27

Roma. 8

tiam derogent perhorrescat. Sic enim habes: In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo obtinuit eos superbia eorum, cooperti sunt iniquitate
Rom. 9 & impietate sua, prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in dispositionem cordis. Vtiq; eos condemnat qui ex dispositione cordis aestimanda quae diuina sunt arbitrantur. Nam deus nec dispositioni est subiectus, nec ordini: quando etiam ipsa quae sunt in usu hominum, & successione fruuntur humana, non semper aliqua solennis dispositione rationis, sed plerumq; secretis latentibusq; decursa mysterijs, euenire cernamus. Cogita uerunt, inquit, & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelsum locuti sunt, posuerunt in caelum os suum. Videmus itaq; quod impij sacrilegij reos damnet, qui ex similitudine
Psal. 72 humanae naturae, dispositionem sibi arrogent caelestis arcani. Et dixerunt: Quomodo sciuit deus? & si est scientia omnis in altissimo: Nonne haec quotidie perstrepunt Arriani, scientiam omnem in Christo esse non posse? Quia ipse, inquit, diei & horae se professus est esse ignarum. Nonne dicunt, quomodo sciuit, qui eum non potuisse scire commemorant, nisi quae audierit, & uiderit, & ea quae spectant ad diuinam unitatem naturae, ad firmitatem quoq; sacrilega interpretatione deriuant? Scriptum est inquit: De die autem illo & hora nemo scit, neq; angeli caelorum, nec filius, nisi solus pater. Primum ueteres non habent codices Graeci, quod nec filius scit. Sed non mirum si & hoc falsarunt, qui scripturas interpolauerunt diuinas. Qua ratione autem uideatur adiectum, proditur, dum ad interpretationem tanti sacrilegij deriuatur. Pone tamen ab Euangelistis scriptum. Medium utiq; nomen est filij. Nam & filius hominis dicitur, ut secundum imprudentiam assumptionis nostrae diem futuri iudicij nescisse uideatur. Quomodo enim nesciret diem dei filius, cum in ipso sint thesauri sapientiae & scientiae dei absconditi? Quaro autem utrum ex substantia, an ex accidenti habuerit scientiam. Omnis enim scientia aut ex natura, aut ex disciplina est. Ex natura suppetit, ut equo currere, pisce natate: haec enim faciunt antequam discant. Ex disciplina rursus suppetit, natate homini. Nam nisi didicerit, scire non poterit. Cum ergo multis animantibus suppetant ex natura facere & scire quae non didicerint, quid censes de dei filio, utrum ex institutione, an ex natura habeat scientiam? Si ex institutione, ergo non est natus sapientia, & ex processu coepit esse perfectus, nec erat semper. Quod si naturalem scientiam habet, utiq; perfectus in principio erat, perfectus ex parte processit, & ideo praescientia non eguit futurorum. Non ergo nesciuit diem. Neque enim sapientiae dei est, ex parte scire & ex parte nescire. Nam quomodo potest nescire partem, qui fecit omnia, cum minus sit scire quam facere? Multa enim scimus quae facere non possumus, nec eodem modo omnes scimus, sed ex parte cognoscimus. Nouit enim uentorum uim stellarumq; cursus, aliter rusticus, aliter ciuitatis incola, aliter gubernator. Et si omnes non norunt, omnes tamen nosse dicuntur. Solus autem plene nouit ille qui fecit. Nouit gubernator quanta uigilia procedat arcturus, quales ortus exploret orionis: non tamen colligationes uergiliarum caeterarumq; stellarum, aut numerum nouit, aut nomina, sicut ille qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus his nomina uocans, quem utiq; non fallit operis sui uirtus. Quomodo enim uultis haec fecisse dei filium? Nunquid quasi annulum, qui non sentit quod exprimit? Sed omnia in sapientia pater fecit, id est, omnia per filium fecit, qui est uirtus dei & sapientia. Sapientiae autem id conuenit, ut suorum operum & uirtutes norit & causas. Et ideo non potuit creator omnium ignorare quod fecit, nescire quod ipse donauit. Nouit ergo diem quem fecit. Sed dicis, quia praesentem nouit, nescit futurum. Licet inepta sit propositio, tamen ut de scripturis satisfaciam tibi, discite quod non solum praeterita fecit, sed etiam quae futura sunt, sicut scriptum est: Qui fecit quae aduentura sunt. Et alibi ait scriptura: Per quem & facta sunt secula, splendor est gloriae, & character substantiae eius. Secula enim & praeterita & praesentia, & futura sunt. Quomodo ergo facta sunt quae futura sunt, nisi quia operatoria uirtus & scientia comprehendit numerum omnium seculorum? Sicut enim uocat quae non sunt, tanquam quae sint: sic & fecit quae futura sunt, tanquam quae sint, quia non contingit ut non sint, sed necessario sunt futura quae esse precepit. Ergo qui fecit quae futura sunt, eo genere quo sunt futura cognouit. Si hoc de seculis, multo magis de iudicij credendum die, eo quod cognitionem eius habeat dei filius tanquam a se iam factae, quia scriptum est: Dispositione tua permanebit dies. Non solum permanet dixit, sed etiam permanebit, ut eius dispositione quae uentura

uentura sunt gubernentur. Quæ disposuit ergo, non nouit? Qui plantauit aurē non au-
 diet, qui finxit oculum non considerat: Videamus tamen ne quid forte magnū sit quod
 creatorē suum potuerit præterire: & tamen eligant utrum quasi magnum aliquid & præ-
 stantius putent esse quàm cætera: an quasi minimū atq; abiectū. Si minimū atq; abiectū,
 non est iniuria (ut nostro usu loquar) uilia & exigua nescire. Nam cum potentia sit scire
 quæ maxima sunt, despexisse magis uidetur degeneris operis utilitatē. Fastidio igitur ab-
 solutus est, non potestate fraudatus. Quod si magnū & summum arbitrantur scire iudi-
 cij diem, dicant quid deo patre maius aut melius sit. Patrē igitur deum nouit ut ipse ait,
 Nemo nouit patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Patrem, inquam, nouit, &
 diem nescit: Si ergo creditis quod patrem reuelat, & diem non potest reuelare? Deinde
 quia gradus quosdam facitis, ut patrem filio, filium spiritui præferatis, dicite mihi utrum
 Spiritus sanctus nouerit iudicij diem. Nihil enim de eo scriptū est hoc loco. Negatis pro-
 fecto. Quid si doceo, quod nouerit? Lectum est enim, Nobis autem reuelauit deus per
 spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta dei. Vtiq; quia alta dei scruta-
 tur, cum deus nouerit iudicij diem, etiam spiritus nouit. Nouit enim omnia quæ deus no-
 uit, sicut Apostolus declarat dicens. Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spi-
 ritus qui in ipso est? Sic & quæ dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus dei. Videte igitur,
 ne negando spiritum sanctum scire, negetis & patrem scire. Quæ dei sunt, cognouit
 & dei spiritus: quæ autem non cognouit spiritus dei, utique dei non sunt. Confitendo
 igitur quæ spiritus nouit dei, quod negatis filium scire, contra uestram assertionem spiri-
 tum filio præferitis. Verum nō solum sacrilega ista, sed etiā inepta dubitatio. Nunc con-
 sideremus quibus modis scientia colligatur, & ostendamus ipsum filium demonstrasse,
 quod & diem sciret. Quod enim scimus, aut tempore, aut loco, aut signis, aut personis
 declaramus, aut ordinē. Quomodo igitur nesciuit iudicij diem, qui & horam iudicij &
 locum & signa expressit & causas? Deniq; sic habes: In illa hora qui fuerit in tecto non
 descendat tollere uasa, & qui in agro, similiter non redeat retro. Eousq; igitur futurorū
 norat periculorum euentus, ut etiam præsidia periclitantibus demonstraret. An poterat
 dominus diem ignorare, qui ipse de se dixit, quod filius hominis dominus est sabbati?
 Locum quoq; etiam alibi designauit cū sibi estructuras templi ostendentibus discipulis
 diceret: Videtis hæc omnia? Amen dico uobis, non relinquetur lapis super lapidem qui
 non destruat. De signo quoq; interrogatus ab Apostolis dixit: Videte ne seducamini.
 Multi enim uenient in nomine meo dicentes, quia ego sum Christus. Et infra. Terra mo-
 tus, inquit, magni erunt per loca singula, & fames, & pestilentia terroresq; de caelo, & si-
 gna magna erunt. Itaq; & personas expressit & signa. Quo autem modo, uel circumdatu-
 ros exercitus Hierusalem dicat, uel implenda tempora gentium, & quo ordine, Euan-
 gela utiq; lectionis attestacione referatur. Sciuit ergo omnia. Sed quærimus qua ratione
 designare momenta noluerit. Si quæramus, non ignorantie inueniemus esse, sed sapien-
 tiæ. Nobis enim scire non proderat, ut dum certa futuri iudicij momenta nescimus, sem-
 per tanquam in excubijs constituti, & in quadā uirtutis specula collocati, peccandi con-
 suetudinem declinemus, ne nos inter uitia dies domini deprehendat. Nō enim prodest
 scire sed metuere quod futurum est. Scriptum est enim: Noli alta sapere, sed time. Nam si
 diem designasset expresse, unī atati hominum quæ proxima erat iudicio, uideretur di-
 sciplinam præscripsisse uiuendi, superioris temporis aut iustus esset remissior, aut pecca-
 tor securior. Namq; adulter nisi quotidianam pœnam metuat, nō potest adulterandi cu-
 piditatem relinquere: nec latro obsessorū saltuum secreta deserere, nisi sciat sibi momen-
 tis omnibus imminere supplicium. Plerunq; enim quibus incentiuum est impunitas, ti-
 mor tædium est. Ideo ergo dixi quod scire non proderat, imo proderat ignorare: ut igno-
 rantes timeremus, ut obseruantes emendaremur, sicut ipse dixit: Estote parati, quia ne-
 scitis qua hora filius hominis uenturus est. Nanq; miles nisi bellum in manibus esse co-
 gnoscat, prætereire non nouit in castris. Vnde alibi quoq; ipse dominus interrogatus,
 ab Apostolis, inquam, qui utiq; non sicut Arrius intelligebant, sed filium dei futura scire
 credebant, nam nisi hoc credidissent nunquam interrogassent: interrogatus ergo quanti
 do restitueret regnum Israel, non se nescire dixit, sed ait: Non est uestrum scire tempora
 & annos, quæ pater posuit in sua potestate. Attende quid dixerit: Non est uestrum scire.

Psal. 93

Matth. 11

Matth. 12

Luc. 6

Luc. 21

Rom. 11

Matth. 24

Acto. 1

Lege iterum, Non est uestrum. Vestrum dixit, non meum. Iam enim non secundum perfectionem sed secundum profectum humani corporis ac nostrae animae loquebatur.

1. Thef. 5 Vestrum ergo dixit, non meum. Quod & Apostolus secutus, De temporibus autē & mentis fratres non habetis, inquit, opus ut uobis scribamus. Itaque ne Apostolus quidem ipse Christi seruus dixit se nescire momenta, sed non opus esse doceri populum, qui semper spiritualibus munimētis esse debet armatus, ut uirtus Christi in uno quoque praetendat. Cum autem dicit dominus, de temporibus quae pater posuit in sua potestate, utique non potest exors esse scientiae paternae, cuius nequaquam exors est potestatis: cum potestas ex sapientia & uirtute gignat, quod utrumque Christus est. Sed quaeritis, qua causa non ita discipulis negauerit, quasi sciret & nollet dicere, sed neque angelus, neque filium scire memorauerit? Interrogabo uos & ego, qua causa in Genesi deus dicat: Descendam itaque ut uideam secundum clamorem eorum uenientem ad me, si consummabuntur: Sin autē, ut sciam? Qua causa etiam scriptura de deo dicat: Et descendit dominus uidere ciuitatem & turrim quam aedificarent filij hominum? Qua causa etiam dicat propheta in psalterio: Dominus respexit super filios hominum si est intelligens aut requirens deum: quasi & illic si non descenderet deus, & hic si non prospiceret dominus, aut opera hominum ignoraret aut merita? Sed etiam in Euangelio habes secundum Lucam, quia pater dicit: Quid faciam? Mittam filium meum dilectissimum, forsitan hunc uerebuntur. Secundum Mattheum autem & secundum Marcum habes: Quoniam misit deus unicum filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. In uno libro dicit: Forsitan uerebuntur, & quasi nesciens dubitat, nam hic sermo dubitantis est, in duobus autem alijs libris: Verebuntur, inquit, filium meum: hoc enim confirmat reuerentiam deferendam. Sed neque dubitare dei est, neque falli. Dubitat enim, qui ignorat quod futurum est: fallitur autē, qui aliud praedixit, & aliud est secutum. Quid autem euidentius quam quod scriptura habet, aliud patrem dixisse de filio, et aliud accidisse eadem scriptura testatur? Ille dixit: uerebuntur filium meum, filius autē uapulauit, illusus est, crucifixus est, mortuus est, multoque illis seruis qui prius fuerant destinati, grauiora secundum carnem passus est. Fefellit igitur pater, an ignorauit, uel subuenire non potuit? Sed uerus nescit fallere. Scriptum est enim: Fidelis deus qui non mentitur. Quomodo autem ignorauit, qui nouit omnia? Aut quid non potuit, qui omnia potest? Tamen si aut ignorauit aut non potuit (facilius enim acquiescitis ut dicatis patrem ignorasse, quam confiteamini filium scisse) uideritis quia ex hoc ipso quod unius substantiae est filius cum patre, si quemadmodum pater, ita & filius (ut secundum uestram insipientiam loquar) aut non omnia nouit, aut non omnia potest. Non sum enim auarus aut praecipuus circa filij laudes, ut plus audeam dicere filium posse quam patrem, qui nullam inter patrem & filium discretionem facio potestatis. Sed fortasse dicetis: Non ita dixisse patrem, sed de patre filium nos fefellisse. Iam ergo non solum infirmitatis filium, sed etiam sacrilegij & mendacij arguitis. Veruntamen si non creditis de patre filio, nec de se credatis. Si enim fallere nos uoluit qui dixit dubitasse patrem, quia nesciret quod esset futurum: fallere ergo etiam de se nos uoluit, quia futura nescire se dixit: multoque tolerabilius ad pudorem, si ignorantiam ante praetendit quod de se fecit, quam si contrario promissis lusus uideatur effectu, quod de patre praedicauit. Sed neque fallitur pater, neque fallit filius: uerum ea est in scripturis consuetudo diuinis, sicut & superiora & multa alia exempla testantur, ut deus dissimulet se nescire quod nouit. Et in hoc ergo unitas diuinitatis, et unitas dispositionis in patre probatur & filio, si quemadmodum deus pater cognita dissimulat, ita filius etiam in hoc imago dei, quae sibi sunt nota dissimulet. Edoctum est igitur, non ignorasse dei filium quae futura sunt. Quod si fatentur, & ego ut iam respondeam: qua ratione neque angelos neque filium sed patrem scire memorauit, solennem eius circa discipulos charitatem etiam in hoc loco & gratiam recognosco, quod ex frequentia ipsa debet omnibus esse iam cognitum. Mauult enim dominus nimio in discipulos amore propensus, petentibus his quae cognitum inutilia iudicaret, uideri ignorare quod nouerat, quam negare: Plusque amat nostram utilitatem instruere, quam suam potentiam demonstrare. Sunt tamen plerique non ita timidiore ut ego. Malo enim alta timere quam sapere. Sunt tamen plerique eo freti quod scriptum est: Et Iesus proficiebat etate & sapientia & gratia apud deum & homines, qui dicant confidenter, quod secundum diuinitatem quidem ea quae futura sunt ignorare non potuit,

non potuit, sed secundum nostræ conditionis assumptionem ignorare se quasi filiū hominis ante crucem dixit. Etenim cum filiū dicit, nō quasi de alio dicit: nam ipse est & dominus noster dei filius, & filius uirginis. Sed medio uerbo nostrum informat affectū, ut quasi hominis filius secundum susceptionem nostræ imprudentiæ uel profectus nō ple ne adhuc scisse omnia crederetur. Non est uestrum scire quæ futura sunt. Eadem igitur uidetur ignorare conditione qua proficit. Nam quomodo secundum diuinitatem proficit, in quo habitat plenitudo diuinitatis? Aut quid est quod nesciat dei filius, qui dicebat: Quid cogitatis mala in cordibus uestris? Quomodo nesciat, de quo dicit scriptura: Iesus autem norat cogitationes eorum? Hæc tamen alij dicant. Ego autem ut ad superiora redeam, qui proposuerim scriptum quod pater dixit: Fortasse reuerentur filium meum: quod utiq; ideo arbitror positum, ut quod de hominibus loquebatur pater, humano locutus uideatur affectu: multo magis arbitror quod filius qui cum hominibus conuersatus est, & hominem egit & carnem suscepit, nostrū assumpsit affectū, ut nostra ignoratione nescire se diceret, non quod aliquid ipse nesciret. Nam & si homo in ueritate corporis uidebatur, erat tamen uita, erat lux, & uirtus exibat de eo, quæ uulnera faciorum, maiestatis suæ autoritate sanabat. Aduertitis ergo quæstionem uobis esse sublatam, cum & filij dictum ad susceptionem integræ conditionis referatur humanæ, & de patre ideo scriptum sit, ut uel sic calumniari filio desinatis. Nihil ergo fuit quod ignorauerit dei filius: nihil enim fuit quod ignorauerit pater. Quod si nihil & filius ignorauit, ut iam concludamus, dicant in quo eum minorem uelint uideri. Si minorem generauit deus filium, minus contulit: si minus contulit, aut minus uoluit, aut minus potuit. Sed nec infirmus, nec inuidus pater: quia nec uoluntas ante filium, nec potestas. In quo enim minor, qui omnia habet quæ pater habet? Nam & omnia à patre iure generationis accepit, & totum patrem gloriæ suæ maiestatis expressit. Scriptum est inquit: Quoniam pater maior me est. Sed scriptū est: Nō rapinam arbitratus est se esse æqualē deo. Scriptum est, quod propterea uolebant illū Iudæi occidere, quia filiū se dicebat dei, æqualē se faciens deo. Scriptum est: Ego & pater unum sumus. Vnum legūt, multa non legunt. Nunquid ergo & minor & æqualis per naturam eandem potest esse? Sed aliud ad diuinitatē referatur, aliud ad carnem. Minorem dicunt: Quæro, quis mensus sit, quis tam exaltati cordis, qui uelut ante tribunal suum patrem deum & filium constituat, ut de prælatione iudicet: Non est exaltatum cor meum, neq; inuanum elati sunt oculi mei, Dauid dicit. Rex Dauid exaltare cor metuit in rebus humanis, nos exaltamus aduersus diuina secreta: Quis igitur iudicat de dei filio? Throni, dominationes, angeli, potestates: sed famulantur & seruiunt. Archangeli: sed ministrant. Cherubin & Seraphin: sed laudant. Quis igitur iudicat de dei filio, cum legeris quod ipse pater nouerit filium, non iudicet: Nemo enim nouit filium, nisi pater. Nouit inquit, non iudicat. Aliud est nosse, aliud iudicare. Habet pater in se scientiam, filius supra se non habet potestatē. Et rursus: Nemo nouit patrem nisi filius, & ipse nouit patrem sicut eum pater nouit. Sed dicis, quod minorem se dixit: dixit & lapidem. Plus dicis, & impiè calumniaris: minus dico, & pie astruo. Minorem dicis & supra angelos confiteris. Ego minorem angelis dico, & non derogo: quia non diuinitatem arguo, sed misericordiam prædico.

De humili ac deuota authoris ad deū patrē conuersione rectæq; fidei confessio ne, cum disertissima huius operis conclusione, ad laudē & gloriā inæstimabilis, inenarrabilis, incircūscriptæ & immensæ ac sanctissime trinitatis, perfidissimumq; Arrianorum confusionem & damnationem. Cap. VIII

A De te nunc omnipotens pater cum lachrymis uerba conuerto. Ego te quidē inaccessibilem, incomprehensibilem, inæstimabilem prompte dixerim: sed filium tuum minorem non ausim dicere. Nam cum illum splendorem gloriæ & imaginē substantiæ tuæ legerim, uereor ne minorē imaginē tuæ dicendo substantiæ, minorem substantiam tuam dicere uidear, cuius imago sit filius, cum plenitudo tuæ diuinitatis omnis in filio sit. Immensum te filiumq; tuum & spiritum sanctum, incircūscriptum, inæstimabilem, inenarrabilem legi frequēter, credo libenter. Et ideo æstimare nō possum, ut examinare possim. Esto tamen, spiritu ausuq; temerario metiri te uelim. Unde quæso te metiar? Funiculū agrimenforium uidit propheta quo metiebatur Angelus

Acto. 1

Colof. 2

Matth. 9

Luc. 6

Luc. 20

Ioan. 14

Philiph. 2

Ioan. 5

Ioan. 10

Psalm. 130

Matth. 11

Hebr. x

Hierusalem. Metiebatur tamē Angelus, non Arrius. Metiebatur Hierusalē non deū, & fortasse nec Hierusalem metiri poterat Angelus. Vir enim erat. Deniq; sic habes: Et alle-
Exech. 40 travi oculos & uidi, & ecce uir & in manu eius funiculus agrimensorius. Vir erat, quia ty-
Ioann. 1 pus suscipiendi corporis declarabatur. Vir erat ille de quo est dictum: Post me uenit uir,
2. Corin. 11 cuius nō sum dignus soluere corrigiā calciamenti eius. Ergo Iesus in typo Hierusalem me-
 titur, Arrius deū. Et satanas transfiguratur se in angelū lucis: Quid mirum Arrius suū imita-
 tur authorem, ut usurpet illicita, licet quod pater suus Zabulus per semetipsum nō fecit,
 intolerabiliore iste sacrilegiō diuinorum sibi scientiā secretorum & supernæ generatio-
 nis arcana præsumat? Zabulus enim uerū dei filium fatebatur, Arrius negat. Si ergo me-
 titi te omnipotens pater nō queo, possum ne sine sacrilegiō de tuæ generationis disputa-
 re secreto: Possum ne dicere quod aliquid inter te & filium tuū plus minus' ue sit, cū ipse
Ioan. 16 qui natus est dixerit, Omnia quæ pater habet mea sunt? Quis me constituit iudicem aut
Luc. 12 diuisorem de rebus humanis? Hoc filius dicit, & nos inter patrē & filiū diuisionē nobis
 & iudicium uindicamus? Bona pietas arbitros refugit etiā in diuisione patrimonij. Nos
 ergo erimus arbitri ut inter te & filium tuum increata maiestātē substantiæ diuidamus?
Luc. 11 Generatio inquit hæc, generatio nequam est: signū querit & signum nōn dabitur ei, nisi
 signum Ionæ propheta. Signum utiq; datur nō diuinitatis, sed incarnationis. Deniq; de
Esa. 7 incarnatione dicitur ait: Pete tibi signum. Et cū ille dixisset, Non petā neq; tentabo do-
 minum, responsum est: Ecce ergo uirgo in utero concipiet. Ergo signū diuinitatis uide-
 re non possumus, mensurā quarimus? Væ misero mihi, impie discutere audemus quæ di-
 gne rogare non possumus. Viderint tamē quid faciant Arriani. Ego te pater si maiorem
 omnibus dixerō, iniuriose te tuis operibus comparauī: si maiorem filio, ut Arrius asserit
 impie iudicauī: de te prior erit illa sententia. Nā neq; ulla fieri potest nisi ex comparatio-
Iacob. 5 ne prælatio, neq; præferri quisquam nisi de quo prius fuerit iudicatum. Iurare nobis per
 cælum non licet, iudicare de Dei filio licet? Sed filio tuo soli iudicium de omnibus detur
Matth. 3 listi. Ioannes carnem domini baptizare metuebat, Ioannes prohibebat dicens: Ego à te
 debeo baptizari & tu uenis ad me, & ego Christum iudicio meo subdam? Moyses exci-
 tat sacerdotiū, Petrus imperatū in ministerio declinat obsequium: Arrius scrutatur etiā
Eccle. 3 alta dei: Sed non Arrius spiritus sanctus. Sed Arrio & hominibus dictum est: Altiora te
Exod. 33 ne quaeris. Moyses uultum domini prohibetur uidere, Arrius meruit uidere secretū
Psalm. 98 Moyses & Aaron in sacerdotibus eius. Moyses qui cū domino apparet in gloria. Moy-
 ses ergo illa posteriora tantummodo dei in typo uidit, Arrius totū deum facie ad faciem
Exod. 33 comprehendit? Sed nemo, inquit, uidere potest faciem meam & uiuere. Paulus etiam de
1. Cor. 13 inferioribus dicit: Ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus. Arrius dicit: Ex toto
 deum nō ex parte cognoui. Inferior ergo Paulus quam Arrius? Et uas electionis ex par-
1. Corin. 12 te scit, uas perditionis totum scit: Scio, inquit, hominē, siue in corpore siue extra corpus
 nescio, deus scit, qui raptus est in paradysum, & audiuit ineffabilia. Paulus raptus usq; ad
 tertium cælum, seipsum nesciuit: Arrius in stercore uolutatus, deum sciuit? Paulus dicit
 de ipso, deus scit, Arrius de deo dicit, Ego noui? Sed non Arrius raptus in cælum, quam
Esa. 14 uis eum secutus sit qui iactatione damnabili diuina præsumeret dicens: Ponam thronū
 meum super nubes, & ero similis altissimo. Sicut enim ille dixit: Ero similis altissimo, sic
 & Arrius altissimum dei filium similem suū uult uideri: quem non in diuinitatis æternæ
 maiestate ueneratur, sed ex carnis infirmitate metitur.

F I N I S

CAPITA PRIMI LIBRI DE SPIRITV SANCTO.

Non esse inter creaturas spiritum sanctum, nec inter omnia, sed super omnia. Cap. I
 Non posse ad spiritum derivari dei, quia scriptum est de dei filio: Omnia per ipsum facta Cap. II
 sunt, quia spiritus dei super omnia, non inter omnia est. Cap. III
 Spiritum sanctum à patris filijq; maiestate non secerni. Cap. IIII
 Quoniam ipse est spiritus sanctus, qui est spiritus dei, & spiritus Christi. Ipse est spiritus Cap. V
 patris, ipse paracletus, ipse spiritus ueritatis, ipse spiritus uitæ. Quia
 Quia sicut pater sanctus, ita filius, ita & spiritus dicitur sanctus.

Quia spiritu signamur.	Cap. VI
Quia replet omnia spiritus dei.	Cap. VII
Quia sempiternus dei filius.	Cap. VIII
Quia spiritus peccata condonat.	Cap. IX
Non de loco ad locum transire spiritum dei, de quo scriptum est: Qui a patre procedit & de quo dicit filius dei: Quem ego mittam uobis.	Cap. X
Quia una pax, una gratia patris & filij & spiritus sancti.	Cap. XI
Quia una charitas patris & filij & spiritus sancti, & operatio trinitatis, ut passionem corporis dominus Iesus subiret.	Cap. XII
Quia una communicatio patris, & filij & spiritus sancti.	Cap. XIII
Quia unum nomen patris & filij & spiritus sancti.	Cap. XIII
Quia & filius paracletus dicitur sicut & spiritus, & quia beneficij & gratiae hoc nomen non iniuriae est.	Cap. XV
Quia sicut pater lumen, ita & filius lumen, & spiritus lumen est. Et sicut patrem ignem legimus, ita & filium & spiritum sanctum.	Cap. XVI
Quia lumen uultus dei spiritus, & spiritus lumen.	Cap. XVII
Quia sicut pater uita, & filius uita, & spiritus sanctus uita.	Cap. XVII
Quia sicut pater fons uitae est, ita etiam filius ita & spiritus sanctus.	Cap. XIX
Quia sicut pater flumen, ita & filius, & spiritus sanctus.	Cap. XX

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI LIBER I

DE SPIRITV SANCTO AD GRATIANVM AVGVSTVM.



Heroboal cum sub arbore, ut legimus, quereu, tritici messem uirga caederet, accepit oraculum, ut a potestate alienigenarum in libertatem dei populum uindicaret. Nec mirum si est electus ad gratiam, cum sub umbra iam tum sacrae crucis & uenerabilis sapientiae praedestinato incarnationis futurae mysterio constitutus, feracis segetis sensibilia de latibulis frumenta produceret, electionemque sanctorum a purgamentis inanis paleae sequestraret: qui tanquam uirga ueritatis exerciti, superflua ueteris hominis cum eius actibus deponentes, quasi in torculari ita in ecclesia congregantur. Ecclesia enim torcular est fontis aeterni, in qua coelestis uitis fructus exundat. Com- Iudic. 6
motus oraculo Gedeon, cum audisset quod deficientibus licet populorum milibus, in uno uiro dominus plebem suam ab hostibus liberaret, obtulit hoedum caprarum, cuius carnem secundum praecceptum angeli & azyma supra petram posuit, & ea iure perfudit: quae simul ut uirgae cacumine quam gerebat angelus dei contigit, de petra ignis erupit, atque ita sacrificium quod offerebatur absumptum est. Quo iudicio declaratum uidetur, quod petra illa typum habuerit corporis Christi, quia scriptum est: Bibebant Augustinus lib. 4. De doct. Christ. cap. 21
de consequenti eos petra, petra autem erat Christus. Quod utique non ad diuinitatem eius sed ad carnem relatum est, quae sitiendum corda populorum perenni riuo sui sanguinis inundaui. Iam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia dominus Iesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus aboleret, nec solum delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hoedi ad culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatum, sicut scriptum est: Quia concupiuit populus cupiditatem pessimam, & dixerunt: Quis nos cibabit carne? Quod igitur extendit angelus uirgam, & tetigit petram de qua ignis exiit, ostendit quod caro domini spiritu repleta diuino, peccata omnia humanae conditionis exureret. Vnde & dominus ait: Ignem ueni mittere in terram. Aduertit igitur uir doctus & praesagus futuri superna mysteria, & ideo secundum oracula occidit uitulum a patre suo idolis deputatum, & ipse septennem alium uitulum immolauit deo. Quo factis manifestissime reuelauit post aduentum domini, omnia Gentilitatis abolenda sacrificia, 1. Corin. 10 Num. 11 Luc. 12

- cia, solumq; sacrificium deo dominicæ passionis pro redemptione populi deferendum.
- Ioan. 8** Etenim uitelus ille erat in typo Christus, in quo septē spiritaliū plenitudo uirtutū, sicut Esaias dixit, habitabat. Hunc uitelū & Abrahā obtulit, quādo diem domini uidit, & gauisus est. Hic est qui nunc in hœdi typo, nunc in ouis, nunc in uiteli offerebatur. Hœdi, quod sacrificiū pro delictis sit: ouis, quod uoluntaria hostia: uiteli, quod immaculata sit uictima. Præuidit ergo mysterium sanctus Gedeon. Deniq; trecētos elegit ad prælium, ut ostenderet non in numero multitudinis, sed in sacramento crucis mundum ab incur-su grauiorum hostium liberandū. Et tamen licet fortis & fidus, pleniora adhuc de domi-
- Iudi. 6** no futuræ uictoriæ documēta quærebat, dicens: Si saluas in manu mea Israel, quemadmo- dum locutus es domine, Ecce ego pono lanæ uellus in area: & si ros factus fuerit super uellus, & super omnē terrā siccitas, cognoscā quia in manu mea secundū promissa tua populum liberabis. Et ita factū est. Sed adiecit postea, ut rursus ros proflueret super to- tam terram, & siccitas esset in uellere. Quærit fortasse aliquis, utrum nam quasi incredu- lus esse uideatur, qui frequētibus informatus indicij adhuc plura poscebat. Sed quē ad- modum poterat uideri quasi ambiguus incertusq; tētasse, qui mysteria loquebat? Non ergo ille ambiguus, sed prouidus, ne nos ambigeremus. Nam quomodo ille ambiguus, cuius precatio habebat effectū? Vnde autē securus adorsus esset præliū, nisi intellexisset oraculum? Ros enim in uellere, fides erat in Iudæa: quia sicut ros, dei uerba descendunt. Ergo quando totus orbis infructuoso æstu gentilis superstitionis arebat, tunc erat ros il-
- Matth. 15** le cœlestis uisitatiōis in uellere. Postea uero quā ues quæ perierūt domus Israel, (unde puto figuram Iudaici uelleris adumbratam) oues inquā ille fontē aquæ uiuæ nega- runt, ros fidei humētis exaruit in pectoribus Iudæorū, meatusq; suos fons ille diuinus in corda Gentium deriuauit. Inde est quod nūc fidei rore totus orbis humescit. At uero Iu- dæi prophetas suos & consiliarios perdiderunt. Nec mirum si perfidiæ subeant siccita- tem, quos dominus deus prophetici imbris ubertate priuauit, dicens: Mādabo nubibus meis ne pluant super uineam istam. Est enim prophetica nubis pluuia salutaris, sicut &
- Esaiæ. 5** Dauid dixit: Descendit sicut pluuia in uellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Hanc nobis scripturæ diuinæ totius mundi pluuia pollicebatur, quæ rigaret orbem sub domini saluatoris aduētū spiritus rore diuini. Venit ergo iam dominus, uenit et pluuia, uenit dominus stillicidia secū cœlestia deferēs: & ideo iam nos bibimus qui antē sitieba- mus, & diuinum illum spiritū hauistu interiore potamus. Hoc ergo præuidit sanctus Ge- deon, quia uerum & spiritalem rorem etiā gentes nationesq; erant fidei perceptione bibitura, & ideo diligentius explorauit. Est enim necessaria cautela sanctorum. Siqui-
- iosue. 5** dem etiā Iesus Naue cum uidisset ducē militiæ cœlestis, interrogauit: Noster es an ad- uersariorum? ne forte aliquibus aduersarij præstigijs falleretur. Non tamē ociose uellus non in cāpo posuit uel in prato, sed in area, ubi messis est tritici (Messis enim multa, ope- rarij autem pauci) eo quod per fidem domini futura esset messis fœcūda uirtutum. Nec illud ociosum, quod exiccavit uellus Iudaicum, & rorem eius misit in peluim ut replere- tur aqua, non tamen ipse eo rore pedes lauit. Alij debebatur tantū prærogatiua mysterij. Expectabatur ille qui sordes omnium solus posset abluere. Non erat tātus Gedeon, qui hoc sibi mysteriū uindicaret. Non enim Gedeon, sed filius hominis uenit non ministrari sed ministrare. Itaq; cognoscamus in quo hæc mysteria uideantur esse completa. Non in sancto Hieroboal: adhuc enim erant illa principia. Ideo gentes uictæ, quia siccitas erat adhuc in gentibus. Ideo Israel uicit, quia ros tunc manebat in uellere. Veniamus ad
- Ioan. 13** Euangelium. Inuenio dominum spoliantem se uestimenta, & præcingentem se linteo, mittentem aquam in peluim, lauāntem pedes discipulorum. Hæc erat aqua, ros ille cœ- lestis: hoc prophetabatur quod illo rore cœlesti discipulorum suorum dominus Iesus pedes lauaret. Et nunc extendantur pedes animorum nostrorum, uult dominus Iesus & nostros lauare pedes. Non enim Petro soli, sed unicuiq; dicit fidei: Nisi lauero tibi pe- des, non habebis mecum partem. Veni ergo domine Iesu, exue te uestimenta quæ pro- pter me induisti: esto nudus, ut nos misericordiā tua uestias. Præcinge te propter nos lin- teo, ut nos tui muneris immortalitate præcingas. Mitte aquam in peluim, laua non solū pedes, sed etiā caput. Nec solum corporis nostri, sed etiā mentis uestigia uolo exuere, omnes nostræ sordes fragilitatis, ut & ego dicam: Nocte exui tunicā meam, quomodo in duam

induā eam: Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quanta ista maiestas est. Qua si minister pedes famulorum tuorum lauas, quasi deus rorem mittis e cœlo. Nec solū pedes lauas, sed etiam ut tecum recubamus inuitas, & exemplo nos tuæ dignationis horaris, dicens: Vocatis me dominum & magistrū, & bene facitis, sum enim. Si ergo ego laui pedes uestros dominus & magistrus, & uos inuicē lauate pedes uestros. Volo ergo & ego pedes lauare fratrum meorum, uolo domini implere mādatum, uolo in me non uerecundari, non dedignari quod ipse prius fecit. Bonum mysteriū humilitatis: quia dum alienas sordes lauo, meas abluo. Sed non hoc omnes haurire poterant mysteriū. Lauare uoluit quidē & Ahrahā pedes, sed hospitalitatis affectu. Volebat & Gedeon lauare pedes angelo domini, qui apparuit sibi, sed uolebat uni, uolebat quasi is qui deferret obsequium, non qui donaret cōsortium. Hoc mysterium magnū est, quod nemo cognouit. Deniq; Petro dixit: Quod ego facio tu nescis, cognosces postea. Hoc inquā diuinū mysterium est, quod etiam qui lauerint, requirent. Non est enim simplex aqua, cœleste mysterium, per quam consequimur ut partem cum Christo habere mereamur. Est & quædam aqua quam mittamus in peluim animę nostrę, aqua de uellere in libro Iudicū, aqua de libro Psalmorum. Aqua est ros cœlestis oraculi. Veniat igitur domine Iesu hæc aqua in meam animam, in meā carnē, ut huius humore pluuię nostrarū conualles mentiū atq; intimi cordis arua uiridescant. Veniant in me stillicidia tua, gratiā immortalitatemq; rostantia. Dilue gressus mentis meę, ne iterum peccem. Ablue animi mei calcaneū, ut possim abolere maledictum, ne morsum serpentis interiore pede sentiam, sed sicut ipse iussisti sequentibus te, ut serpentes & scorpiones illaeso possim calcare uestigio. Redemisti mundum, redime unius animam peccatoris. Hæc est specialis tuæ prærogatiua pietatis, qua totum mundum in singulis redemisti. Helias ad unam missus est uiduam, Helisæus mundauit unum: tu nobis domine Iesu hodie mille mundasti. Quantos in urbe Roma, quantos Alexandria, quantos Antiochiæ, quantos etiam Cōstantinopoli? Nam etiam Constantinopolis iam dei uerbum recepit, & euidentia meruit tui documenta iudicij. Etenim quādiu uenena Arrianorum suis fouebat inclusa uisceribus, bellis finitimis iniqua, murus armis circūsonabat hostilibus. Postea uero quā fidei exules abdicauit, hostem ipsum, quem regnum semper timere consueuerat, deditum uidit, supplicem recepit, morientem obruit, sepultum possidet. Quantos ergo & Constantinopoli, quantos postremo toto hodie in orbe mundasti? Non mundauit Damasus, non mundauit Petrus, non mundauit Ambrosius, non mundauit Gregorius. Nostra enim seruitia, sed tua sunt sacramenta. Neq; enim humanæ opis est diuina conferre, tuum domine munus & patris est, qui locutus est per prophetas dicens: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij & filię eorum. Hic est in typo ros ille cœlestis. Hęc pluuiæ uoluntaria sicut legimus: Pluuiam uoluntariam segregans deus hæreditati suæ.

Ioh. 13

Psalm. 67

Iohel. 2

1. Corin. 12

Non esse inter creaturas spiritum sanctum, nec inter omnia, sed super omnia. Cap. I
 Non enim spiritus sanctus aut potestati alienæ est subiectus aut iuri, sed suæ libertatis arbiter, omnia pro autoritate propriæ uoluntatis diuidens, sicut legimus, singulis prout uult. Non ergo inter omnia, sed super omnia spiritus sanctus est. Iam enim de eo, quoniam ita plene de dei filio, clementissime Imperator, instructus es, ut ipse iam doceas: cupientem te & exigentem audire aliquid expressius, non morabor, præsertim cum ita te assertiōe istiusmodi testificatus sis proxime delectatum, ut basilicam ecclesiæ sine ullo monitore præceperis reformari. Fidei itaq; tuæ gratiā, nostræ præmium iam tenemus. Neq; enim aliud possumus dicere, nisi sancti spiritus hanc fuisse gratiā, quod ignorantibus omnibus subito basilicam reddidisti. Spiritus inquā sancti hoc munus, hoc opus est, qui à nobis quidem tunc prædicabatur, sed in te operabatur. Nec superioris temporis damna deploro, quando quidē sequestratio illa basilicæ cuiusdam scœnoris traxit usuras. Etenim basilicā sequestrasti, ut fidē probares. Impleuit igitur propositū suū pietas tua, quę sic sequestrauerat ut probaret: sic probauit, ut redderet. Nec fructū amisi, sed iudiciū teneo, patuitq; omnib. in quadā facti discretionē, discretā tibi nunquā fuisse sententiā. Patuit inq; omnibus & tuū nō fuisse cum sequestrares, & tuū esse cum redderes. Primū igitur ab inferioribus inchoemus, ut quasi per gradus quosdā tractatus noster ascendat, quo facilius hi qui fidei non deferunt, uel ratione flectantur.

Possunt

Possunt enim dicere in principio, Nec nos dicimus seruire spiritum. Sed cum dicant seruire Christum, quomodo possunt negare de spiritu? Quod si secundum carnem in serui forma consentiunt Christum fuisse, constat & conuenit. Ergo si secundum diuinitatem firam Christus non seruit, non seruit etiam spiritus. Quod si non seruit spiritus, omnia autem seruiunt: super omnia igitur spiritus est, qui non seruit, sicut omnia. Non enim alienae aut potestati aut iuri subiectus est, sed suae libertatis est arbiter. Siquidem omnia pro autoritate propriae uoluntatis, diuidens sicut scriptum est, singulis prout uult. Nunc id ipsum quod diximus, testimonijs astruamus. Principium disputationis est, quia seruiant omnia. Seruire autem omnia liquet, quoniam scriptum est: Vniuersa seruiunt tibi. Dixit hoc spiritus per prophetam. Non dixit seruiumus sed seruiunt tibi, ut crederes quod a seruitio sit ipse exceptus. Ergo cum uniuersa seruiant, non seruiat spiritus, utique inter uniuersa non est spiritus sanctus. Nam si inter omnia dicimus esse spiritum sanctum, utique cum legerimus, quia alta dei scrutatur spiritus, deum patrem esse super omnia denegamus. Etenim cum ex deo spiritus sit, & spiritus oris eius, quomodo possumus inter omnia dicere spiritum sanctum, cum super omnia deus sit, cuius est spiritus, plenae utique perfectionis perfectaeque uirtutis? Ac ne Apostolum arbitrentur errasse, accipiant quem fiducia huius sit secutus authorē. Dominus enim in Euangelio dixit: Cum uenerit paraclitus quem ego mittam uobis a patre meo spiritum ueritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Ergo & a patre procedit spiritus sanctus, & testificatur de filio. Testificatur etiam de patre testis & fidelis & uerus, quo nihil ad expressionem diuinae maiestatis est plenius, nihil ad unitatem diuinae potestatis euidentius, cum idem nouerit spiritus quod et filius, qui paternorum testis & consors indiuiduus secretorum est. Excluit itaque a cognitione dei societatem & multitudinem creaturae: non excludendo autem spiritum sanctum, ostendit non esse socium creaturae. Vnde & illud quod lectum est in Euangelio: Quia deum nemo uidit unquam, nisi unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit: ad exceptionem pertinet spiritus sancti. Quomodo enim deum non uidit, qui scrutatur etiam alta dei? Quomodo deum non uidit, qui cognouit quae dei sunt? Quomodo deum non uidit qui ex deo est? Ergo cum ita positum sit, quia deum nemo uidit unquam, uidit autem spiritus, utique exceptus est spiritus. Super omnia igitur est, qui est exceptus ex omnibus.

Non posse ad spiritum deriuari dei, quia scriptum est de dei filio: Omnia per ipsum facta sunt, quia spiritus dei super omnia, non inter omnia est. Cap. II

V Idetur sancte Imperator plena ratio esse pietatis, sed impijs non uidetur. Denique quid moliantur aduerte. Solent enim dicere haeretici, ideo inter omnia

Spiritum sanctum esse numerandum, quia scriptum est de dei filio: Omnia per ipsum facta sunt. Quam male confunditur actio quae non tenet ueritatem, & praepostero ordine assertionis inuoluitur. Hoc enim tunc ualeret, ut inter omnia dicerent esse spiritum sanctum, si factum probarent. Namque omnia per filium scriptura dicit esse facta sunt. Cum autem factus non doceatur spiritus sanctus, utique nec inter omnia probari potest, qui neque factus est sicut omnia, nec creatus. Mihi igitur ad utrumque hoc proficit testimonium, ut & super omnia probetur esse qui factus non est: & quia super omnia est, non uideatur factus esse, nec inter ea quae sunt facta numerandus. Quod si quis, quia omnia facta per uerbum Euangelista posuit, non excipit spiritum sanctum, quamquam in Ioanne locutus spiritus dei, omnia per ipsum facta sunt dixerit, non omnia facti sumus, cum utique loqui in euangelistis spiritum dei ipse dominus ostenderit dicens: Non enim uos estis loquentes, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis: tamen si quis, ut dixi, hoc loco non excipit spiritum sanctum, sed inter omnia numerat, nec ibi ergo excipit dei filium ubi Apostolus dixit: Nobis tamen unus deus pater, ex quo omnia, & nos in illum. Sed ut sciat quia inter omnia non est filius, legat sequentia. Nam cum dicit: Et unus dominus Iesus per quem omnia: ab omnibus utique exceptit dei filium, quia exceptit et patrem. Eiusdem autem impietatis est, uel patri, uel filio, uel spiritui sancto derogare. Non enim credit in patrem, qui non credit in filium nec credit in dei filium, qui non credit in spiritum, nec potest sine regula ueritatis fides stare. Nam qui negare coeperit unitatem potestatis in patre & filio & spiritu sancto, non potest utique ibi ubi nulla diuisio sit, fide probare

Ioann. I

Matth. 10

1. Cor. 8

bare diuisam. Ergo quia pietatis unitas est bene credere, etiam unitas impietatis est male credere. Itaque qui putant spiritum inter omnia debere numerari, quia omnia legunt facta per filium, etiam filium utique inter omnia annumerandum putant, quia legunt, Ex deo omnia. Consequenter autem nec patrem secernunt ab omnibus, quia a creaturis omnibus filium non secernunt: quoniam sicut ex patre omnia, ita etiam per filium omnia. Hoc ipsum supra euidenter Apostolus dixit, ne inter omnia posuisse filium uel impijs uideretur, qui audierat dixisse filium: Pater quod dedit mihi maius omnibus est.

Ioann. 10

Spiritum sanctum a patris filijque maiestate non secerni.

Cap. III

Ed fortasse aliquis dicat, qua ratione cum dixerit hic ex patre omnia, & per filium omnia, de spiritu sancto tacuerit, & hinc cupiat praedictum comparare. Quod si pergit maliciose interpretari, quam multis inueniet locis praedictam sancti spiritus potestatem, in quibus uel de patre uel de filio nihil scriptura expresserit, sed intelligendum reliquerit. Nunquid ergo cum gratia spiritus praedicatur, dei patris aut unigeniti filij denegatur? Non ita. Quia sicut pater in filio, & filius in patre: ita etiam diffusa est charitas dei in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.

Roma. 5

Et sicut qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine patris & filij & spiritus sancti quia unum nomen, potestas una: ita etiam ubi operatio aliqua diuina, aut patris, aut filij, aut spiritus designatur, non solum ad sanctum spiritum, sed etiam ad patrem refertur & filium, nec solum ad patrem sed etiam ad filium refertur & spiritum. Denique & Aethiops eunuchus Candacis reginae baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est.

Acto. 8

Acto. 19

Et illi qui negauerunt se scire spiritum sanctum, quamuis baptizatos se dicerent in Ioannis baptismo, baptizati sunt postea, quia Ioannes in remissionem peccatorum, in aduentantis Iesu, non in suo baptizauit nomine. Et ideo spiritum nesciebant, quia nec baptismum in Christi nomine, sicut Ioannes baptizare solebat, acceperant. Ioannes enim licet non baptizaret in spiritu, tamen & Christum praedicabat & spiritum. Denique cum interrogatur ne forte ipse esset Christus, respondit: Ego uos aqua baptizo, ueniet autem fortior

Matth. 3

me, cuius non sum dignus calciamenta portare, ipse uos baptizabit spiritu sancto & igni. Ergo isti, quia nec in Christi nomine, nec cum fide spiritus sancti baptizati fuerant, non potuerunt accipere baptismatis sacramentum. Baptizati sunt itaque in nomine Iesu Christi: nec iteratum est in his baptisma sed nouatum. Vnum enim baptisma. Vbi autem non est plenum baptismatis sacramentum, nec principium uel species aliqua baptismatis aestimatur.

Plenum autem est, si patrem & filium spiritumque fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas aut patrem, aut filium, aut spiritum sanctum, fide autem nec patrem nec filium nec spiritum abneges, plenum est fidei sacramentum: Ita etiam quamuis & patrem & filium & spiritum dicas, & aut patris aut filij aut spiritus sancti minuas potestatem, uacuum est omne mysterium. Denique & illi ipsi qui dixerant:

Acto. 19

Nec si spiritus sanctus sit audiuimus, baptizati sunt postea in nomine domini Iesu Christi. Et hoc abundauit ad gratiam, quia iam spiritum sanctum Paulo praedicante cognouerant. Nec contrarium debet uideri, quia quamuis etiam postea tacitum sit de spiritu, tamen creditum est: & quod uerbo tacitum fuerat, expressum est fide. Cum enim dicitur in nomine domini nostri Iesu Christi, per unitatem nominis impletum mysterium est, nec a Christi baptisate spiritus separatur, quia Ioannes in poenitentiam baptizauit, Christus in spiritu. Nunc consideremus utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum, ita etiam sancto tantum spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterij plenitudinem. Rationem sequamur: quia qui unum dixerit, tri-

Actu. 10

nitatem signauit. Si Christum dicas & deum patrem a quo unctus est filius & ipsum qui unctus est filium, & spiritum quo unctus est designasti. Scriptum est enim: Hunc Iesum a Nazareth, quem unxit deus spiritu sancto. Et si patrem dicas, & filium eius & spiritum oris eius pariter indicasti, si tamen id etiam corde comprehendas. Et si spiritum dicas, & deum patrem a quo procedit spiritus, & filium, quia filij quoque est spiritus, nuncupasti. Vnde ut rationi copuletur autoritas, in spiritu quoque recte baptizare nos

Acto. 1

1. Corin. 12

posse scriptura indicat dicente domino: Vos autem baptizabimini in spiritu sancto. Et alibi Apostolus ait: Omnes enim in ipso corpore in uno spiritu baptizati sumus. Vnum opus, quia unum mysterium. Vnum baptisma, quia mors una pro mundo. Vnitas ergo operatio-

perationis, unitas prædicationis, quæ non potest separari. Quod si hoc loco separat spi-
 ritus ab operatione patris & filij, quia dictum est: Ex deo omnia, & per filium omnia: ergo &
 Rom. 9 ibi quia Apostolus de Christo dixit: Qui est super omnia deus benedictus in secula, non
 solum eum creaturis omnibus, sed etiam patri (quod dictum nefas est) prætulit. Sed absit.
 Non enim inter omnia pater, non inter plebem quandam creaturarum suarum. Subter crea-
 tura omnis, supra diuinitas patris filij & spiritus sancti. Illa seruit, hæc regnat: Illa subia-
 cet, ista dominatur: Illa opus, hæc author est operis: Illa adoratur omnis, hæc adoratur ab
 Hebr. 1 omnibus. Denique de filio scriptum est: Et adorent eum omnes angeli eius. Non habes
 adoret spiritus sanctus. Et infra: Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede ad
 dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: Nonne om-
 nes sunt, inquit, ministri spiritus in ministerium qui mittuntur: Cum dicit omnes, nun-
 quid et spiritum sanctum comprehendit: Non utique, quia angeli & ceteræ potestates in
 Iohann. 15 ministerium & obsequium dei filio ut seruiant destinantur. At uero spiritus sanctus, non
 minister, sed testis est filij, quemadmodum de ipso filius dixit: Ille testimonium perhibet
 de me. Testis est ergo filij spiritus. Qui testis est nouit omnia, sicut deus pater testis est.
 Hebr. 2 Sic enim habes in posterioribus, quia confirmata est salus nostra testificante deo signis
 quoque & prodigijs & uarijs uirtutibus, & spiritus sancti diuisionibus. Qui diuidit quod
 uult, utique supra omnia, non inter omnia est. Diuidere enim operatoris gratia, non operis
 est materies. Si supra omnia filius, per quem initium salus nostra ut prædicaretur accepit:
 utique & pater deus qui testificatur & asseuerat signis & prodigijs de salute nostra, excep-
 ptus à cunctis est. Similiter autem & spiritus qui diuisionibus suis nostræ testimonium
 fert salutis, non est in creaturarum plebe numerandus, sed cum patre æstimandus & filio,
 Iohann. 3 qui non per incisionem sui diuiditur ipse, cum diuidit. Indiuiduus enim cum sit, nihil a-
 mittit, cum omnibus largitur: sicut & filius regnum patre accipiente nihil perdit: nec pa-
 ter filio cum sua tradit, amittit. Nullum itaque damnū esse in diuisione gratiæ spiritualis, do-
 mino attestante cognouimus: Qui enim ubi uult spirat, ubique sine damno est. De quo in-
 fra dicemus plenius. Interim nunc quoniam propositum est ordine suo asserere, non esse
 inter omnia spiritum computandum, ipsum Apostolum, de cuius uerbis faciunt questio-
 nem, assertionis huius adhibeamus authorem. Quæ enim essent illa omnia, siue uisibilia
 Colos. 1 siue inuisibilia, ipse signauit dicens: Quoniam in ipso condita sunt omnia in cælis & in ter-
 ra. Vides omnia de his dicta quæ uel in cælis sunt, uel in terra: Sunt enim in cælis etiam
 inuisibilia quæ facta sunt. Tamen ne cui esset incognitum, addidit de quibus diceret: Si-
 ue sedes, inquit, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum et
 in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constāt. Nunquid ergo hic in-
 ter creaturas spiritum sanctum comprehendit: Aut cum dicit, ante omnes esse dei filium,
 nunquid ante patrem dixisse æstimandus est: Non utique. nam sicut hic per filium dicit om-
 nia creata esse, & in ipso omnia constare cælestia, ita etiam in spiritu sancto uires habe-
 re uniuersa cælestia dubitari non potest, quando lectum est: Verbo domini cæli firma-
 ti sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Super omnia est igitur, de quo est omnis
 cælestium & terrestrium uirtus. Qui igitur super omnia est, utique non seruit: qui non ser-
 uit, liber est: qui liber est, habet iura dominatus. Hoc si à principio dicerent, negaretur. Sed
 quemadmodum illi minora negant ne maiora credantur, ita & nos minora præmitta-
 mus, ut aut perfidiam suam etiam in minoribus prodant: aut si uel minoribus consen-
 tiunt, maiora de minoribus colligamus. Arbitror, clementissime Imperator, plenissime
 confutatos eos qui audent inter omnia spiritum sanctum computare. Sed tamen ut sci-
 ant se non tantum Apostolicis testimonijs, sed etiam dominicis perurgeti: quomodo audet
 Matih. 12 inter omnia numerare spiritum sanctum quando ipse dominus dixerit: Qui blasphemaue-
 rit in filium hominis, remittetur ei: qui autem blasphemauerit in spiritum sanctum, nec
 hic nec in futurum remittetur ei: Quomodo igitur inter creaturas audet quisquam spiri-
 tum computare: Aut quis sic se obligat, ut si creature derogauerit, non putet sibi hoc ali-
 qua uenia relaxandum: Nam si Iudæi, quia adorauerunt militiam cæli, diuino præsidio
 destituti sunt: qui autem adorat & confitetur spiritum sanctum acceptus est deo, qui non con-
 fitetur, sacrilegij reus sine uenia dānatur, utique hinc æstimari potest, non inter omnia sed
 Marc. 3 super omnia esse spiritum sanctum, cuius iniuria æternis supplicijs excipiat. Cur autem
 dixerit

dixerit dominus: Qui blasphemauerit in filium hominis remittetur ei: qui autē blasphemauerit in spiritum sanctū, nec hic nec in futurū remittetur ei, diligenter aduerte. Nunquid alia est offensa filij, alia spiritus sancti? Sicut enim una dignitas, sic una iniuria. Sed si quis corporis specie deceptus humani, remissius aliquid sentit de Christi carne quam dignum est (Neque enim uilis nobis debet uideri, que aula uirtutis, fructus est uirginis) habet culpam: non est tamen exclusus à uenia, quam fide possit asciscere. Si qui uero sancti spiritus dignitatem, maiestatem & potestatem abneget sempiternam, & putet nō in spiritu dei ejci dæmonia, sed in Beelzebub, non potest ibi exoratio esse ueniæ, ubi sacrilegij plenitudo est: quia qui spiritū negauit, & deū patrē negauit & filium, quoniam idem est spiritus dei, qui spiritus Christi est. Vnum autem esse spiritum nemo dubitauerit, & si de uno deo pleriq; dubitauerunt. Alium enim dixerunt pleriq; hæretici deum ueteris, alium noui testamenti. Sed sicut unus pater, qui & olim locutus est, ut legimus, patribus in prophetis, & in nouissimis diebus nobis locutus est in filio: & sicut unus filius qui iuxta ueteris seriem testamēti ab Adam offensus, ab Abraham uisus, à Iacob adoratus est, ita etiā spiritus sanctus unus est, qui efferbuit in prophetis, insufflatus est Apostolis, copulatus est patri & filio in baptismatis sacramento. De ipso enim dicit Dauid: Et spiritum sanctum tuum ne auferas à me. De ipso etiam alibi dixit: Quò ibo à spiritu tuo?

Luc. 12

Luc. 11

Hebr. 1

Psal. 50
Psal. 138

Quoniam ipse est spiritus sanctus, qui est spiritus dei & spiritus Christi, ipse paracletus, ipse spiritus ueritatis, ipse spiritus uitæ. Cap. IIII

T scias quia idem spiritus dei est, qui est spiritus sanctus, sicut & in Apostolo legimus: Nemo in spiritu dei loquēs dicit anathema Iesu: Et nemo dicit dominum Iesum, nisi in spiritu sancto: Ipsum Apostolus spiritum dei dixit. Ipsum etiam spiritum Christi appellauit, sicut habes: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus dei habitat in uobis. Si quis autem spiritum Christi nō habet, hic nō est eius. Et infra: Quod si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in uobis, Ipse est ergo spiritus dei, qui spiritus Christi. Ipse est spiritus uitæ, sicut ait Apostolus: Lex enim spiritus uitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Quem ergo spiritum uitæ Apostolus dixit, ipsum dominus in Euangelio paraclatum nominat, ipsum spiritum ueritatis, sicut habes: Et rogabo patrem, & alium paraclatum dabit uobis, ut uobiscum sit in æternum, spiritum ueritatis, quem hic mundus non potest accipere, quia non uidet eum nec cognoscit eum. Habes ergo & paraclatum spiritum, eundem & spiritum ueritatis, & spiritum inuisibilem designatum. Quomodo igitur secundum diuitatem quidam filium uisibilem putant, cum etiam spiritum mundus uidere non possit? Accipe nunc eiusdem uocem domini quod ipse sit spiritus sanctus, qui & spiritus ueritatis. Habes enim in ultimo libri huius: Accipite spiritum sanctum. Ipsum quoque esse spiritum sanctū qui est spiritus domini Petrus docet dicens: Anania quid tibi uisum est mentiri spiritui sancto: Et statim ad uxorem Ananiæ idem ait: Quid uobis uisum est tentare spiritum domini: Cum dicit, uobis, ostendit de eo dictum spiritu de quo Ananiæ dixerat. Ipse est ergo spiritus domini, qui spiritus sanctus. Ipsum etiam spiritum sanctum qui spiritus patris est declarauit dominus, dicens secundum Matthæum in persecutione non esse cogitandum quid loquamur. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Idem autem secundum Lucam ait: Nolite solliciti esse qualiter respondeatis aut dicatis, Spiritus enim sanctus dei docebit uos in ipsa hora que oporteat dicere. Ergo quamuis multi dicantur spiritus, quia lectum est: Qui facit angelos suos spiritus, unus tamen est dei spiritus. Ipsum igitur unum spiritum & Apostoli & Prophetae sunt consecuti. Sicut etiam uas electionis, doctor gentium dicit: quia unum spiritum potauimus, quasi eum qui non queat scindi, sed infundatur animis, & sensibus illabatur, ut secularis litis restringat ardorem. Non ergo sanctus spiritus de substantia corporalium. Hic enim corporalibus incorpoream infundit gratiam, sed nec de substantia inuisibilium creaturarum est: nam & illæ sanctificationē huius accipiunt, & per hunc reliquis mundi operibus antecellunt, siue angelos dicas, siue dominationes, siue potestates, omnis creatura expectat sancti spiritus gratiam. Sicut enim nos per spiritum liberi, quia misit deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem, abba pater, itaq; iam non est seruus sed filius: ita etiam omnis creatura reuelationem filiorū dei expectat, quos utique

1. Cor. 12

Roma. 8

Ioan. 14

Ioan. 20

Acto. 5

Matth. 10

Luc. 12

Psal. 103

Galat. 4

sancti spiritus gratia filios dei fecit. Ergo & creatura ipsa spiritalis gratie reuelatione mutatur, & liberabitur a seruitute corruptionis, in libertate glorie filiorum dei. Omnis ergo creatura mutabilis: non solum ea quae iam peccato aliquo aut elementorum conditione mutata est, uerum etiam quae corruptelae potest esse obnoxia, uitio naturae, etsi nondum est studio disciplinae. Nam ut in superioribus libris docuimus, & angelorum naturam liquet potuisse mutari. Vtique aestimare conuenit quia qualis unius natura, talis & ceterorum. Mutabilis ergo & reliquorum natura, sed melior disciplina.

Quod sicut pater sanctus, ita filius, ita & spiritus dicitur sanctus. Cap. V

Ergo omnis mutabilis creatura: sed non mutabilis spiritus sanctus. Neque enim aliquo uitio mutari potest, qui omnium abolet uitia, peccata condonat. Quomodo ergo mutabilis qui sanctificando alios mutat ad gratiam, non ipse mutatur? Quomodo mutabilis, qui bonus semper est? Neque enim unquam malus spiritus sanctus, per quem nobis quae bona sunt ministrantur. Vnde & Euangelistae duo, in uno eodemque loco, diuersis quidem inter se uerbis sed eadem designarunt. Habes enim in Mattheo: Si uos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis uestris, quanto magis pater uester qui in caelis est, dabit bona petentibus se? Secundum Lucam autem inuenies ita scriptum: Quantomagis pater uester de caelo dabit spiritum sanctum petentibus se? Aduertimus ergo bonum esse spiritum sanctum Domini iudicio, Euangelistarum testimonio: quando alius pro sancto spiritu bona, alius pro bonis sanctum spiritum nominauit. Significatur quod bonum est, hoc est spiritus sanctus, quomodo bonus non est? Nec fallit, quod nonnulli codices habent etiam secundum Lucam: Quantomagis pater uester de caelo dabit bonum datum petentibus se? Hoc bonum datum gratia spiritalis est, quod dominus Iesus effudit de caelo, postquam patibulo crucis fixus, triumphales reuehens euacuatae mortis exuias, uictor mortis a mortuis resurrexit. Sicut habes: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit data hominibus. Et bene ait data. Sicut enim filius datus, de quo scriptum est, Puer natus est nobis, filius datus est nobis: data est & gratia spiritalis. Quid autem dubitum dicere quia datus est & spiritus sanctus, cum scriptum sit: Caritas dei effusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis? Quem utique quoniam pectora recipere captiua non poterant, prius dominus Iesus captiuam duxit captiuitatem, ut liberis affectibus gratiae diuinae munus infunderet. Pulchre autem duxit captiuam captiuitatem. Christi enim uictoria, uictoria libertatis est: quae omnes gratiae uindicta uindicta, nullum astrinxit iniuriae. Ergo in omnium absolutione, nemo captiuus est. Et quia dominice tempore passionis, solus seriebatur iniuria qui captiuos omnes amiserat quos tenebat, in se recurrens captiua facta est ipsa captiuitas, iam non Belial addicta, sed Christo, cui seruire libertas est. Qui enim in domino uocatus est seruus, libertus est dominus.

1. Corin. 7 Sed ut ad proposita reuertamur: Omnes, inquit, declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est usque ad unum. Si excipiunt spiritum sanctum, etiam ipsi eum non esse inter omnia consentientur. Si non excipiunt, ergo & ipsum inter omnes declinasse fateantur. Sed uideamus utrum bonitatem habeat, cum fons sit principiumque bonitatis. Nam sicut pater bonitatem habet et filius, ita etiam bonitatem habet spiritus sanctus. Quod etiam Apostolus doctus dicitur dicens: Fructus autem spiritus, pax, charitas, gaudium, patientia, bonitas. Quis autem dubitat quod bonus sit, cuius fructus est bonitas? Arbor enim bona bonos fructus facit. Itaque si bonus deus, quomodo non bonus qui oris eius est spiritus, qui scrutatur etiam alta dei? An in alta dei cogitatio mali possit intrare? Vnde & illud intelligitur, quam amentes sint, qui bonum filium dei abnegant, cum bonum spiritum Christi negare non possint.

Ioann. 16 De quo ait dei filius: Propterea dixi, de meo accipiet. An non bonus spiritus, qui bonos de pessimis facit, peccatum abolet, malum delet, crimine excludit, bonum munus infundit, de persecutoribus apostolos facit, de peccatoribus sacerdotes? Eratis, inquit, aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino. Sed quid deferimus eis? Nam si uerba exigunt, cum facta non abnuant, accipiant bonum spiritum scriptum. Dixit enim David: Spiritus tuus bonus deducet me in uiam rectam. Quid est enim spiritus, nisi plenus bonitatis? qui cum sit inaccessibilis natura, receptabilis tamen propter bonitatem suam nobis est, complens uirtute omnia, sed qui solis participetur iustus, simplex substantia, opulens uirtutibus, unicuique praesens, diuidens de suo singulis, & ubique totus. Meritoque filius dixit: Ite baptizate gentes in nomine

nomine patris & filij & spiritus sancti, non dedignatus spiritus sancti societatem. Cur igitur quod dominus non dedignatus est in baptismatis sacramento, moleste ferunt aliqui filio uel patri spiritum nostra deuotione coniungi? Bonus ergo spiritus. Bonus autem non quasi acquirens, sed quasi impertiens bonitatē. Non enim accipit à creaturis, sed accipitur spiritus sanctus: sicut non sanctificatur, sed ipse sanctificat. Creatura enim sanctificatur. Sanctificat autē spiritus sanctus, in quo licet uerbi communio, discretio tamen naturæ est. Sanctus enim dicitur & homo qui accipit, & deus qui tribuit sanctitatē quia legimus: Estote sancti, quoniam & ego sanctus sum. Non ergo potest sanctificatio et corruptela unius esse nature; et ideo nō potest gratia sancti spiritus & creatura unius esse substantiæ. Itaque cum omnis inuisibilis præter trinitatem reliqua natura, cuius rationabilem & incorpoream iure quidam substantiam putant, nō impertiat spiritalem gratiā sed acquirat, nec participet sed assumat, separanda utiq; est à societate spiritus sancti cōmunitas creaturæ. Credant igitur, quia creatura non est spiritus sanctus. Aut si creaturam putant, cur associant patri? Si creaturam arbitrantur, cur filio dei iungunt? Quod si à patre & filio non existimant separandum, non æstiment creaturam, quia ubi una sanctificatio, una natura est.

Quia in spiritu signamur.

Cap. VI

Vnt tamen pleriq; qui eo quod in aqua baptizamur & spiritu, nō putent aqua & spiritus distare munera, & ideo non putant distare naturā. Nec aduertunt quia in illo aquarum sepelimur elemento, ut renouati per spiritū resurgamus. In aqua enim imago mortis, in spiritu pignus est uitæ: ut per aquā moriatur corpus peccati, quæ quasi quodā tumulo corpus includit, & per uirtutē spiritus renouemur à morte peccati renati in deo. Et ideo hi tres testes unum sunt, sicut Ioannes dixit: Aqua, sanguis, & spiritus. Vnum in mysterio, nō in natura. Aqua igitur testis est sepulturæ, sanguis testis est mortis, spiritus testis est uitæ. Si qua ergo in aqua gratia, non ex natura aqua, sed ex præsentia est spiritus sancti. Nūquid in aqua uiuimus sicut in spiritu? Nūquid in aqua signamur, sicut in spiritu? In ipso enim uiuimus, & ipse est pignus hereditatis nostræ, sicut & Apostolus scribens ad Ephesios ait: In quo credentes signati estis spiritu promissionis sancto. Sancto igitur spiritu signati sumus, non natura, sed à deo, quia scriptū est: Qui unxit nos deus, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Signati ergo spiritu à deo sumus. Sicut enim in Christo morimur ut renascamur, ita etiā spiritu signamur ut splendorem atq; imaginem eius & gratiā tenere possimus, quod est utiq; spiritale signaculum. Nam & si specie signemur in corpore, ueritate tamen in corde signamur: ut spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cœlestis effigiem. Quis igitur audeat dicere discretum à deo patre & Christo esse spiritum sanctum, cum per ipsum ad imaginem & similitudinem dei esse mereamur, & per ipsum fiat, quemadmodū Petrus Apostolus dixit, ut diuinæ simus consortes naturæ? In quo utiq; non carnalis successione hæreditas, sed adoptionis gratiæ spiritale commercium est. Atq; ut sciamus cordis nostri magis hoc quam corporis esse signaculum, docet Prøpheta qui dicit: Signatum est in nobis lumen uultus tui domine, dedisti lætitiā in corde meo.

Quia replet omnia spiritus dei.

Cap. VII

Vm igitur omnis creatura, certis naturæ suæ sit circumscripta limitibus, siquidem & illa inuisibilia opera quæ non queunt locis & finibus comprehendī, substantiæ suæ tamen proprietate clauduntur: quomodo quis audeat creaturam appellare spiritum sanctum, qui non habeat circumscriptā determinatamq; uirtutē? Quia & in omnibus & ubiq; semper est, quod utiq; diuinitatis & dominationis est proprium. Domini enim est terra, & plenitudo eius. Et ideo cum dominus seruos suos Apostolos destinaret, ut agnosceremus aliud creaturam esse, aliud gratiā spiritalem: alios aliò destinabat, quia omnes simul ubiq; esse non poterant. Dedit autē omnibus spiritum sanctum, qui licet separatis Apostolis, inseparabilis gratiæ munus infunderet. Erāt igitur diuersæ personæ, sed unus in omnibus operationis effectus, quia unus est spiritus sanctus, de quo ait: Accipietis uirtutem, ueniētē spiritum sanctum in uos, & eritis mihi testes in Hierusalem & in omni Iudæa & Samaria usq; in fines terræ. Incircumscriptus igitur & infinitus spiritus sanctus, qui se discipulorum sensibus per separatarum diuortia

discreta regionum remotosq; fines totius orbis infudit, quem nihil potest praterire vel fallere. Et ideo sanctus ait: Quò ibo à spiritu tuo, aut quò à facie tua fugiā? De quo hoc *Psal. 138* angelo scriptura dicit: De qua dominatione? de qua potestate? Cuius inuenimus angeli uirtutē per plurimos esse diffusam? Angeli enim ad paucos mittebantur, spiritus autē sanctus populis infunditur. Quis igitur dubitet quin diuinum sit, quod infunditur simul pluribus nec uidetur, corporeum autem quod uidetur à singulis & tenetur? Sed quem admodum sanctificans Apostolos spiritus non est humanae consors natura: ita etiā sanctificans angelos, dominationes & potestates, non habet confortiū creaturæ. Si qui autem putant nō esse spiritalem in angelis sanctitatem, sed aliā quandam gratiam suæ proprietate nature, hi inferiores profecto angelos hominibus iudicabunt. Cum enim & ipsi fateantur quod spiritui sancto angelos conferre nō audeant, nec possint negare quod hominibus infundatur spiritus sanctus, sanctificatio enim spiritus, donum munusq; diuinum sit. Inuenientur utiq; homines qui meliorem sanctificationem habent, angelis præferendi. Sed cum angeli hominibus in adiumentū descendant, intelligendum est quod creatura quidem superior angelorum sit, quæ plus recipit gratiæ spiritualis, eiusdem tamen & erga nos & illos munus authoris sit. Quanta autem gratia quæ præmijs angelorum etiam inferiorem creaturā humanæ cōditionis exæquet? sicut dominus ipse promittit dicens: Eritis sicut angeli in cœlo. Nec difficile. Qui enim illos angelos fecit in spiritu homines quoq; per eandē gratiam similes faciet angelorum. De qua autem creatura dici potest, quia repleuerit uniuersa, quod scriptum est de spiritu sancto: Effundam de spiritu meo super omnē carnē: nō de angelo dici potest. Deniq; Gabriel ipse missus ad Mariam, *Luc. 1* Aue inquit, gratia plena. Spiritalem utiq; in ea declarans gratiam, quod in eam spiritus sanctus superuenisset, & plenum gratiæ uterum uerbo esset habitura cœlestis. *Hierem. 23* *Domini* enim est omnia complere, qui dicit: Ego cœlū & terram cōpleo. Si ergo dominus est qui cœlum complet & terram, quis potest spiritum sanctum iudicare dominationis & diuinæ potestatis exortem, qui repleuit orbē, & quod ultra tōtum orbem est, repleuit *Luc. 4* Iesum mundi totius redemptorē? Scriptum est enim: Iesus autē plenus spiritu sancto regressus est ab Iordane. Quis igitur alius, nisi qui eiusdem esset plenitudinis, complērem omnia posset implere? Sed ne hoc secundū carnem dictū obijciant, quanquā plus unus ille quam omnes, de cuius carne exibat uirtus, quæ sanaret omnes, tamen sicut dominus complet omnia, ita etiam de spiritu lectum est: Quoniam spiritus domini repleuit orbē terrarum. Habes etiā de omnibus qui cōuenerant cum Apostolis dictū, quia repleti sancto spiritu, loquebātur uerbum dei cum fiducia. Vides quia & plenitudinem & fiduciā *Acto. 4* dat spiritus sanctus? cuius operationē Archangelus nunciat Mariæ dicens: Spiritus sanctus superueniet in te. Habes etiā in Euangelio, quia angelus secundum tempus descendebat in natatoriā, & mouebatur aqua, & qui prior descendisset in natatoriā, sanus fiebat. Quid in hoc typo angelus, nisi descensionem sancti spiritus nūciabat, quæ nostris futura temporibus aquas sacerdotalibus inuocata precibus cōsecraret? Ille ergo angelus sancti spiritus erat nuncius, eo quod per gratiam spiritalem medicina nostris esset animi ac mentis languoribus deferenda. Eosdē ergo & spiritus habet, quos deus pater & Christus ministros. Sic omnia replet, sic omnia possidet, sic omnia operat in omnibus, quem admodū & deus pater operatur & filius. Quid igitur sancti spiritus operatione diuinius cum etiam benedictionem suarū præfulem spiritū, deus ipse testetur dicens: *Esa. 44* Ponam spiritum meum super semē tuum & benedictiones meas super filios tuos? Nulla enim potest esse plena benedictio, nisi per infusionē spiritus sancti. Vnde & Apostolus nihil melius hoc nobis quod optaret inuenit, Sicut ipse dixit: Nō deficimus pro uobis orantes et obsecrantes, ut repleamini cognitione uolūtatis eius, in omni sapientia & intellectu spiritali, ambulantes digne deo. Hanc igitur dei esse docuit uoluntatē, ut magis in bonis operibus & sermonibus & sensibus ambulātes repleamur uolūtate dei, qui ponit in cordibus nostris spiritū sanctū. Ergo si is qui habet spiritum sanctū, dei repletus est uoluntate, utiq; inter patrē & spiritū nulla distantia uolūtatis est. Simul illud aduerte, quia deus dat spiritū sanctū. Non enim humanū hoc opus, neq; ab homine datur, sed qui inuocatur à sacerdote, à deo traditur, in quo dei munus, ministerium sacerdotis est. Nam si Paulus *Apostolus* iudicauit, quod ipse donare spiritum sanctum sua autoritate non posset, & intantum

intantum se huic officio imparem credidit, ut à deo nos spiritu optaret impleri, quis tantus est, qui huius traditionem muneris sibi audeat arrogare: Itaque Apostolus uotum precatione detulit, non ius auctoritate aliqua uindicauit. Impetrare optauit, non imperare praesumpsit. Petrus quoque ait, quia non erat idoneus qui posset spiritum sanctum uel cogere uel arceri. Sic enim dixit: Ergo si eandem gratiam concessit illis deus sicut & nobis, ego quis eram, qui possem prohibere deum? Sed fortasse apostolicis non moueantur exemplis, & ideo diuinis utamur oraculis. Scriptum est enim: Iacob puer meus, suscipiam eum, Israel dilectus meus, suscepit eum anima mea, dedi spiritum meum in ipsum. Dominus quoque per Esaiam dixit: Spiritus domini super me, propter quod unxit me. Quis ergo audeat dicere creaturam spiritus sancti esse substantiam, qui cum illuxerit in cordibus nostris, diuinam cernimus pulchritudinem ueritatis, & distantiam creaturae diuinitatisque cognoscimus, ut opus segregetur ab authore? Aut de qua creatura deus ita locutus est, quod aut dominationes aut potestates effundat aut angelos? Sed de spiritu, inquit, meo effundam. Non spiritum ait, sed de spiritu. Neque enim nos capere possumus plenitudinem spiritus sancti, sed tantum accipimus quantum de suo arbiter nostri pro sua uoluntate diuiserit. Sicut enim dei filius non rapinam arbitratus est esse se aequalē deo, sed semetipsum exinaniiuit, ut nos eum nostris animis percipere possemus, exinaniiuit autem non quod ipse esset uacuuus suae plenitudinis, sed quo mihi qui plenitudinem eius sustinere non possem, pro eo quod capere possem infunderetur, ita etiam de spiritu sancto pater se dicit effundere super omnem carnem. Non enim totum effudit, sed quod effudit, omnibus abundauit. Supra nos ergo effusum est de spiritu: at uero super dominum Iesum cum in forma esset hominis, manebat spiritus, sicut scriptum est: Super quem uideris spiritum descendentem de caelo & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Circa nos ex affluentem comodo liberalitas largientis est, in illo totius manet in aeternum spiritus plenitudo. Quod igitur nobis satis esse iudicauit, effudit: & quod effusum est, non separatum est nec incisum, sed unitatem habet plenitudinis, quod aciem nostri cordis illuminet pro nostrae possibilitate uirtutis. Denique tantum capimus, quantum profectus nostrae mentis acquirit. Inseparabilis est enim plenitudo gratiae spiritalis, sed nobis pro nostrae participatur facultate naturae. Effunditur ergo deus de spiritu, effunditur etiam charitas dei per spiritum: quo loco unitatem debemus agnoscere operationis & gratiae. Sicut enim de spiritu sancto deus effudit, ita etiam charitas dei effusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, ut intelligamus non esse opus sanctum spiritum, qui diuinam arbiter & fons profluus charitatis est. Similiter autem ut credas id quod effunditur, cum creaturis non posse esse commune, sed speciale diuinitatis, etiam & filij nomen effunditur sicut habes: Unguentum effusum est nomen tuum. Cuius uirtute sermonis, nihil potest esse praestantius. Nam sicut inclusum in uase aliquo unguentum cohibet odorem suum, qui odor quamdiu uasis illius angustijs coercetur, & si ad plures non potest peruenire, tamen uim suam seruat: cum uero de uase illo quo claudebatur unguentum fuerit effusum, longe lateque diffunditur: ita & Christi nomen ante eius aduentum in Israel populo, quasi in uase aliquo Iudaeorum mentibus claudebatur: Notus enim in Iudaea deus, in Israel magnum nomen eius. Hoc utique nomen, quod uasa Iudaeorum angustijs suis coercitum continebant. Magnum quidem & tunc nomen, cum infirmorum atque paucorum haereret angustijs, sed magnitudinem sui nondum per corda Gentium & in fines totius orbis effuderat. Postea uero quam per omnem mundum suo illuxit aduentu, per omnem utique creaturam, diuinum illud suum nomen extendit, non repletum accessione aliqua, plenitudo enim nescit augmentum, sed replens uacua, ut esset admirabile nomen eius in uniuersa terra. Huius igitur effusio nominis, abundantem quandam exuberantiam gratiarum bonorumque caelestium significat largitatem. Ex abundantem enim superfluit quicquid effunditur. Itaque sicut creata non potest dici sapientia quae ex ore dei procedit, nec uerbum quod eructatur ex corde, nec uirtus in qua plenitudo maiestatis aeternae est: Ita etiam creatus non potest spiritus aestimari, qui ex ore dei funditur, cum ipse deus tantam ostenderit unitatem, ut effundere se de spiritu suo dicat. Quo intelligamus, quia etiam dei patris eadem gratia sit, quae spiritus sancti est, & quod sine incisione ac detrimento aliquo diuidatur mentibus singulorum. Quod ergo de spiritu effunditur, nec inciditur, nec partibus comprehenditur aut secatur.

Quia sempiternus dei spiritus.

1. Ioan. 3. **Q**uomodo enim credibile est, quod spiritus sanctus aliquibus diuidatur? Dicit enim Ioannes de deo: Ex hoc cognoscimus, quia manet in nobis de spiritu quem dedit nobis. Quod autem manet, semper utique est nec mutatur. Ergo si mutationem non habet, aeternitatem habet. Et ideo spiritus sanctus sempiternus est, creatura autem obnoxia uitio, ideoque mutabilis. Quod autem mutabile est, esse non potest sempiternum: & ideo non potest spiritui sancto, & creaturae esse consortium: quia sempiternus est spiritus, creatura autem omnis in tempore est. Sempiternum autem spiritum, etiam Apostolus ostendit: Si enim sanguis taurorum & hircorum, & cinis uitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad carnem emundandam, quantomagis sanguis Christi qui per spiritum sempiternum se obtulit immaculatum deo: Ergo sempiternus est spiritus. Plerique arbitrati sunt unguentum Christi esse spiritum sanctum. Et bene unguentum, quia oleum lætitiæ nuncupatum est, quo plurimarum redolentem copulam gratiarum, uerum illum deus omnipotens pater unxit principem sacerdotum: qui non ut alij in typo unctus ex lege, sed & secundum legem unctus in corpore, & in ueritate supra legem uirtute sancti spiritus ex patre plenus est. Hoc est oleum lætitiæ, de quo dicit propheta: Unxit te deus deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Denique Petrus unctum spiritu dicit Christum, sicut habes: Vos scitis quod factum est uerbum per totam Iudæam, incipiens à Galilæa post baptismum, quod prædicauit Ioannes Iesum à Nazareth, quomodo unxit eum deus spiritu sancto. Oleum igitur lætitiæ, spiritus sanctus est. Et pulchre oleum lætitiæ dixit, ne creaturam putares. Olei enim huiusmodi natura est, ut nequaquam naturæ alterius humido misceatur. Lætitiæ quoque non corpus ungit, sed intima cordis illuminat. Sicut propheta dixit: Dedisti lætitiā in corde meo. Ergo cum ludat operam, qui oleum uelit cum creatura humidior confundere, quia cum olei leuior natura sit cæteris, residentibus alijs eleuatum secernitur: quomodo putant isti deterrimi caupones, oleum lætitiæ cum cæteris creaturis sua posse fraude confundi, cum utique non queant in corporeis corporea, in creatis creata misceri? Et bene oleum lætitiæ dicitur, quo unctus est Christus. Neque enim usitatum fuit ei oleum & commune querendum, quo aut uulnera curantur, aut æstus leuatur: cum fomentum uulnorum suorum salus mundana non quereretur, nec refectiōem corporis fatigati uirtus sempiterna deposceret. Nec mirum si habet oleum lætitiæ, qui facit exultare morituros, tristitia mundum exiit, mœstæ foetorem mortis aboleuit. Et ideo Apostolus ait: Christe enim bonus odor sumus deo. Utique de spiritualibus significans se locutum. Sed & cum ipse filius dei dicat: Spiritus domini super me, propter quod unxit me, spiritale significat unguentum. Ergo unguentum Christi est spiritus. Aut si quia unguentum exinanitum est nomen Iesu, Christum ipsum intelligere uolunt, unguenti expressum nomine, non spiritum Christi, utique cum unctum spiritu sancto dominum Iesum Petrus Apostolus dixerit, liquet sine dubio quod unguentum dicatur & spiritus. Sed quid mirum cum & pater & filius spiritus esse dicatur? De quo quidem dicemus plenius, cum de unitate nominis dicere cœperimus. Tamen quia hic quoque incidit pulcherrimus locus, ne sine colorario eum præterire uideamur, accipiant quia & pater dicitur spiritus, sicut in euangelio dominus locutus est, quoniam spiritus est deus: & Christus spiritus dicitur, quia Hieremias dixit: Spiritus ante faciem nostram Christus dominus. Et pater ergo spiritus, & filius spiritus: quia quod non est creaturae corpus, hoc spiritus est. Sed non confusus cum patre & filio spiritus sanctus, uerum & à patre distinctus & filio. Non enim spiritus sanctus est mortuus, qui mori non potuit, quia carnem non suscepit, nec mortis capax esse potuit sempiterna diuinitas: sed mortuus est secundum carnem Christus. In eo utique mortuus quod suscepit ex uirgine, non in eo quod habebat ex patre. In eo enim mortuus in quo crucifixus est Christus. Spiritus autem sanctus non potuit crucifigi, qui carnem & ossa non habuit: sed crucifixus est dei filius qui carnem & ossa suscepit, ut in illa cruce nostræ carnis tentamenta morerentur. Suscepit enim quod non erat, ut celaret quod erat. Celauit quod erat, ut tentaretur in eo, & redimeretur quod non erat: ut ad id quod erat, per id quod non erat, nos uocaret. O diuinum crucis illius sacramentum in qua hæret infirmitas, uirtus libera est: affiguntur uitia, eriguntur trophæa.

trophæa. Vnde quidam sanctus ait: Cōfige clauis à timore tuo carnes meas: non ferreis clauis ait, sed timoris & fidei. Vehementior est enim uirtutis strictura quam pœnæ. Deniq; Petrum cum usq; in atrium principis sacerdotum dominum sequeretur, quem nemo ligauerat, fides uinxerat: & quem fides uinxit, pœna non soluit. Rursus cum ligaretur à ludæis, deuotio soluit, pœna non tenuit, quia non secessit à Christo. Ergo & tu crucifige peccatum, ut moriari peccato. Qui enim peccato moritur, deo uiuit. Viuas ei qui filio proprio non pepercit, ut in illius corpore nostras crucifigeret passiones. Pro nobis enim mortuus est Christus, ut nos in illius rediuiuo corpore uiueremus. Mortua est ergo in illo non uita nostra, sed culpa. Qui peccata, inquit, nostra pertulit in corpore suo super lignū, ut à peccatis nostris separati cum iustitia uiuamus, cuius uulnere plagarum sanati sumus. Lignum igitur illud uelut quædam nostræ nauis salutis, uectura nostra, non pœna est. Alia enim salus non est, nisi uectura salutis eternæ, dum mortem expetendo, non sentio: dum pœnam contemnendo, non patior: dum metum nescio, negligendo. Quis est igitur, cuius uulnere plagarū sanati sumus, nisi Christus dominus? De quo idem prophetauit Esaias, quia plaga eius nostra medicina est. De quo Paulus Apostolus in epistolis suis scripsit: Qui peccatum nō cognouit, sed pro nobis peccatum factus est. Hoc quippe diuinum in eo, quia caro peccatum non fecit, nec in eo suscepti corporis natura peccauit. Nam quid mirum si non peccauit sola diuinitas, cum peccadi incensura non habeat? Si autem solus exors peccati deus, omnis utiq; creatura per naturam sui, ut diximus, obnoxia potest esse peccato.

1. Petr. 2

1. Corin. 5

Quia spiritus peccata condonat.

Cap. IX

D Ie igitur quicumq; spiritus sancti diuinitatem negas. Spiritus autem obnoxius num potuit esse peccato, qui magis peccata condonat: Nunquid angelus donat: Nunquid archangelus? Non utiq;. Sed donat solus pater, solus filius, solus spiritus sanctus. Nemo autem quod potest donare, non potest nō euitare. Sed fortasse dicit aliquis, quia & Seraphim dixit Esaias: Ecce tetigit hoc labia tua, & abstulit iniquitates tuas, & peccata tua circūpurgauit. Abstulit, inquit, & circūpurgauit: Non ego abstuli, sed ignis ille de altari dei, hoc est gratia spiritalis. Quid enim aliud pie intelligere possumus in altari dei esse, nisi spiritus gratiam? Non utiq; lignum syluarum, nec fuliginem atq; carbonem. Aut quid tam pium quam ut secundū mysterium intelligamus, quia reuelabatur in ore Esaiæ, omnes homines per passionem Christi esse purgandos? Qui uelut carbo secundum carnem exussit nostra peccata, sicut in Zacharia habes. Non hic titio eiectus ab igni: Et ille, Erat Iesus indutus uestimenta sordida. Deniq; ut sciamus communis hoc redemptionis mysterium per prophetas euidentissime reuelatum, etiam hoc loco habes ab illo dictum: Ecce abstuli peccata tua: non quo Christus peccata sua deponeret, qui peccatum nō fecit, sed quod in carne Christi omne à peccatis suis genus absolueretur humanū. Sed etiam si Seraphim abstulisset peccatum, quasi unum utiq; de ministris dei, ad hoc esset ministerium destinatum. Sic enim dixit Esaias: Quia missum est ad me unum de Seraphim.

Esaiæ. 6

Zacharia. 3

Esaiæ. 6

Non de loco ad locum transire spiritum dei, de quo scriptum est: Qui à patre procedit, & de quo dicit filius dei: Quem ego mittam uobis.

Cap. X

E T spiritus quidem missus dicitur: sed Seraphim ad unum, spiritus ad omnes. Seraphim mittitur in ministerium, spiritus operatur mysterium. Seraphim quod iubetur exequi, spiritus quod uult diuidit. Seraphim de loco ad locū transit. nō enim cōplet omnia, sed & ipsum repletur ab spiritu. Seraphim descendit cum aliquo secundum naturam suam transit: at uero de spiritu sancto hoc non possumus estimare: de quo dicit filius dei: Cū uenerit paracletus spiritus ueritatis, quē ego mittā uobis qui à patre procedit. Etenim si de loco procedit spiritus, & ad locū transit: & ipse pater in loco inuenitur, & filius. Si de loco exit quem pater mittit, aut filius: utique de loco transiens spiritus atq; progrediens, & patrem sicut corpus secundum impias interpretationes relinquere uidetur & filium. Hoc secundum eos loquor, qui putant quod habeat spiritus descensorium motum. Sed neq; in loco aliquo pater circumscribitur, qui est pater omnia, non solū corporeæ naturæ, sed etiam inuisibilis creaturæ. Neq; filius suorū operum locis temporibusq; concluditur, qui super omnem est creationis totius opifex

Ioan. 15

flex creaturam: neque spiritus ueritatis, utpote dei spiritus, circumscribitur aliquibus fini-
 bus corporalibus: qui cum sit incorporeus, omnem intelligibilem substantiam creaturæ
 inenarrabili diuinitatis plenitudine supereminet: spirandi ubi uelit, & inspirandi quomo-
 do uelit, habens super omnia potestatem. Non ergo quasi ex loco mittitur spiritus, aut qua-
 si ex loco procedit, quando procedit ex filio, sicut ipse filius cum dicit: De patre processit &
 ueni. Omnes interficit opiniones quæ ex loco ad locum possunt, sicut in aliquibus corpo-
 ralibus, estimari. Similiter cum aut intus aut foris legimus deum esse, non utique deum aut intra
 aliquod corpus includimus, aut ab aliquo corpore separamus: sed alta hoc & inenarra-
 bili æstimatione pensantes, diuine naturæ intelligimus arcanum. Denique ita sapientia ex o-
 re altissimi prodisse se dicit, ut non extra patrem sit, sed apud patrem, quia uerbum erat apud
 deum. Nec solum apud patrem, sed etiam in patre. Dicit enim: Ego in patre, & pater in me
 est. Sed neque cum de patre exit, de loco recedit, aut quasi corpus a corpore separatur:
 neque cum in patre est, quasi in corpore tanquam corpus includitur. Spiritus quoque san-
 ctus cum procedit a patre & filio, non separatur a patre, non separatur a filio. Quemadmodum
 enim separari potest a patre, qui spiritus oris eius est? Quod utique & æternitatis indicium,
 et diuinitatis exprimit unitatem. Est ergo et manet semper, qui oris est spiritus. Sed descen-
 dere uidetur etiam, cum illum recipimus ut habitet in nobis, ne nos simus a gratia eius alieni.
 Nobis descendere uidetur, non quod ille descēdat, sed quod ad illum animus noster ascen-
 dat. De quo plenius diceremus, nisi meminissemus in libris iam superioribus positum, quod
 & pater dixerit: Descendamus & confundamus linguas eorum. Et filius dixerit: Qui dili-
 git me, sermonem meum seruet, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniet & man-
 sionem apud eum faciemus. Sic igitur uenit spiritus, quemadmodum uenit pater: quia ubi
 pater est, ibi est & filius: & ubi filius est, ibi est & spiritus sanctus. Non ergo discrete ueni-
 re æstimandus est spiritus sanctus. Venit autem non de loco ad locum, sed a dispositione
 constitutionis, ad salutem redemptionis: a gratia uiuificationis, ad gratiam sanctificatio-
 nis: ut de terris ad cælum, de iniuria ad gloriam, de seruitio ad regnum transferat. Sic er-
 go uenit spiritus, quemadmodum uenit pater. Dixit enim filius: Ego & pater uenietus
 & mansionem apud eum faciemus. Nunquid corporaliter pater uenit? Sic ergo spiritus
 uenit: In quo cum uenit, & patris & filii plena presentia est. Quis autem potest a patre & fi-
 lio spiritum sanctum separare, cum uel appellare patrem & filium sine spiritu non queamus?
 Nemo enim dicit dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Ergo si appellare dominum Ie-
 sum sine spiritu non possumus, utique sine spiritu prædicare non possumus. Si autem & an-
 geli prædicant dominum Iesum, quem nemo potest sine spiritu prædicare: & in ipsis er-
 go spiritus sancti munus operatur. Probauimus igitur unam presentiam esse, unam gra-
 tiam esse patris, & filii, & spiritus sancti, quæ tam cœlestis atque diuina est, ut pro ea agat
 gratias patri filius dicens: Confiteor tibi domine pater cœli & terræ, quod abscondisti
 hæc a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.
 Quia una pax, una gratia patris & filii & spiritus sancti. Cap. XI
 Ergo cum una uocatio sit, una etiam gratia est. Denique scriptum est: Gratia uobis
 & pax a deo patre nostro & domino Iesu Christo. Ecce habemus, quia patris
 & filii una est gratia & patris & filii una est pax: sed hæc gratia & pax fructus
 est spiritus, sicut ipse Apostolus docuit dicens: Fructus autem spiritus, charitas, gaudium,
 pax, patientia. Et bona pax & necessaria, ut nemo disputationum turbetur incertis, neque
 passionum corporalium tempestate quatiatur, sed in simplicitate fidei & tranquillitate men-
 tis quietus circa dei cultum perseueret affectus. De pace probauimus. De gratia autem
 propheta Zacharias dicit: Quia promisit deus effundere in Hierusalem spiritum gratie &
 misericordie. Et Apostolus Petrus dicit: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque
 uestrum in nomine domini Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis gra-
 tiam spiritus sancti: Ergo sicut patris & filii, ita & spiritus sancti gratia est.
 Quomodo enim sine spiritu potest esse gratia, cum gra-
 tiadiuina omnis in spiritu sit?

Quia una charitas patris & filij & spiritus sancti, & operatio trinitatis, ut passionem corporis dominus Iesus subiret. Cap. XII

N Ec solum pacem & gratiam legimus patris & filij & spiritus sancti, sed etiam charitatem & communionem fidelis Auguste. De charitate enim dictum est: Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas dei. Accepimus charitatem patris. Eadem charitas quæ patris, etiam filij est. Ipse enim dixit: Qui me diligit, diligitur a patre meo, & ego diligam eum. Quæ est enim charitas filij, nisi quia se pro nobis obtulit, & suo sanguine nos redemit? Eadem autem charitas & in patre est, quia scriptum est: Sic enim dilexit deus mundum ut filium suum unigenitum daret. Tradidit ergo pater filium, & filius ipse se tradidit. Seruat charitas, nec ledit pietas. Nulla est enim pietatis iniuria, ubi nulla est traditionis ærumna. Tradidit uolentem, tradidit offerentem, non utique ad poenam pater filium, sed ad gratiam. Si discutis facti meritum, interroga pietatis uocabulum. Vas electionis unitatem hanc diuine charitatis euidenter ostendit, quia & pater tradidit filium, & filius ipse se tradidit. Pater tradidit, quia filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. De filio quoque dicit: Qui se tradidit pro me. Tradidit inquit. Si gratie, quid arguo? Si iniuriæ, plus debeo. Sed sicut pater tradidit filium, & filius ipse se tradidit, accipe quia & spiritus eum tradidit. Scriptum est enim: Tunc Iesus ductus est in desertum ab spiritu, ut tentaretur a diabolo. Ergo & spiritus diligens tradidit dei filium. Sicut enim una est charitas patris & filij, ita hanc charitatem dei supra effundi per spiritum sanctum, & fructum esse sancti spiritus declarauimus: quia fructus est spiritus charitas, gaudium, pax, patientia. Cap. XIII

Quia una communicatio patris & filij & spiritus sancti. Cap. XIII
 Ommunicationem autem & patris et filij esse manifestum est, quia scriptum est: Et communicatio nostra cum patre & filio eius Iesu Christo. Et alibi: Communicatio spiritus sancti cum omnibus uobis. Si igitur una pax, una gratia, una charitas, una communicatio est patris & filij & spiritus sancti: una certe operatio est. Et ubi una operatio est, utique non potest uirtus esse diuisa, discreta substantia. Nam quomodo operationis eiusdem gratia conueniret?

Quia unum nomen patris & filij & spiritus sancti. Cap. XIII
 Vis igitur unitatem separare audeat nominis, cum operationis uideat unitatem? Sed quid ego unitatem nominis argumentis astruo, cum diuina uocis euidens testimoniū sit, unum nomen esse patris & filij & spiritus sancti? Scriptum est enim: Ite, baptizate gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. In nomine dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomen patris, aliud nomen filij, aliud nomen spiritus sancti, quia unus deus: non plura nomina, quia non duo dei, non tres dei. Et ut aperiret quia una diuinitas, una maiestas est, quia unum nomen patris & filij & spiritus sancti, in alio nomine uenerit filius, in alio nomine spiritus sanctus, ait ipse dominus: Ego ueni in nomine patris mei & non accepistis me: si alius uenerit in nomine suo, illum accipietis. Quod autem nomen patris est, hoc idem filij scriptura declarat, quia in Exodo dixit, dominus. Ego antecedo in nomine meo & uocabo te nomine meo dominum in conspectu tuo. Dominus ergo dixit, quia in nomine suo uocauit dominum. Dominus ergo & patris est nomen & filij. Cum autem unum nomen sit patris & filij, accipe quod & spiritus sancti idem nomen sit, quoniam & spiritus sanctus in nomine filij uenit: sicut scriptum est: Paracletus autem ille spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia. Qui autem uenit in nomine filij, utique etiam in nomine patris uenit, quia unum nomen patris & filij est. Sic fit ut unum & patris & filij nomen sit & spiritus sancti. Nec enim est aliud nomen sub celo ullum in quo oporteat saluos fieri. Simul docuit unitatem diuini nominis esse credendam, non disparilitatem, quoniam in unitate nominis uenit Christus: in suo autem nomine uenturus Antichristus est, sicut scriptum est: Ego ueni in nomine patris mei & non accepistis me: si alius uenerit in nomine suo, illum accipietis. Edoctum est igitur ex his, non esse in patre & filio & spiritu paracletico nominis diuersitatem. Et quod nomen est patris, id esse etiam filij nomen: similiter quod nomen est filij, esse id etiam spiritus sancti. Quandoque etiam paracletus filius dicitur, sicut & spiritus sanctus. Et ideo ait in Euangelio dominus Iesus: Rogabo patrem meum, & alium paracletum dabit uobis, qui uobiscum sit in æternum, spiritum ueritatis. Et bene dixit alium, ne ipsum

ne ipsum filium ipsum spiritum intelligeres. Vnitas enim nominis est, non filij spiritusque Sabelliana confusio.

Quia & filius paracletus dicitur sicut & spiritus, & quia beneficij & gratia hoc nomen, non iniuria est.

I Taq; alius paracletus est filius, alius paracletus spiritus sanctus. Filium enim paracletum dixit etiam Ioannes, sicut habes: Si quis peccauerit, paracletum habemus apud patrem Iesum Christum. Itaq; quemadmodum unitas nominis, ita etiam unitas potestatis est. Vbi enim paracletus spiritus, ibi etiam filius. Nam sicut hic in aeternum dominus futurum cum fidelibus spiritum dicit, ita etiam de se alibi ostendit, quod in aeternum cum Apostolis sit futurus, dicens: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem mundi: unum sunt ergo filius & spiritus. Vnum nomen est trinitatis & una inseparabilisq; praesentia. Sicut autem ostendimus paracletum filium nominatum, ita etiam ostendimus ueritatem spiritum nuncupatum. Veritas Christus, ueritas spiritus. Habes enim in epistola Ioannis: Quoniam spiritus est ueritas. Non solum ergo spiritus ueritatis, sed etiam ueritas dicitur spiritus, sicut & filius ueritas praedicatur, qui ait: Ego sum uia & ueritas & uita.

Quia sicut pater lumen, ita & filius lumen, & spiritus lumen est. Et sicut patrem ignem legimus, ita & filium & spiritum sanctum.

Q Vid autem astruam, quod sicut pater lumen, ita etiam filius lumen, & spiritus sanctus lumen est: Quod utiq; diuinae potentiae est. Deus enim lux est, sicut dixit Ioannes: Quia deus lux est & tenebrae in eo non sunt: lux autem & filius quia uita erat lux hominum. Et ut ostenderet se de dei filio Euangelista dixisse, ait de Ioanne baptista: Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine, Erat lux uera quae illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Ergo quia deus lux est, lux autem uera est dei filius: sine dubio deus uerus est dei filius. Habes & alibi, quia filius dei lux est: Populus qui sedebat in tenebris & in umbra mortis, lucem uidit magnam. Quid autem hoc euidentius quod ait: Quonia apud te est fons uitae, & in lumine tuo uidebimus lumen hoc est, quod apud te deus omnipotens pater, qui fons uitae es, in lumine tuo filio, lumen uidebimus spiritus sancti. Sicut ipse dominus ostendit dicens: Accipite spiritum sanctum. Et alibi: Et uirtus exibat de eo. Ipsum autem patrem quis dubitet lucem esse, cum lectum sit de filio eius, quia splendor sit lucis aeternae: Cuius enim nisi patris aeterni splendor est filius, qui & cum patre semper est, nec dissimilis, sed eadem claritate praesulget: Et Esaias significat, non solum lucem, sed etiam ignem esse spiritum sanctum, dicens: Et erit lux Israel in igne. Itaq; prophetae eum ignem ardentem dixerunt, quia in tribus istis generibus propensius maiestatem diuinitatis aduertimus: Quonia & sanctificare, diuinitatis esse aduertimus: & illuminare, ignis & lucis est proprium: & specie ignis exprimi uel uideri, diuinae est consuetudinis. Deus enim est ignis consumens, sicut Moyses dicit. Vidit enim ipse in rubo ignem, & audierat deum tunc quando uox facta est de flamma ignis ad eum dicens: Ego sum deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob. Vox ergo de flamma, & in rubo flamma, & flamma non noxia. Vrebat enim rubus, & non exurebat, eo quod illo mysterio dominus figuraret, quia illuminaturus spinas nostri corporis adueniret: nec consumpturus aruinosos, sed mitigaturus arumnas: qui baptizaret in spiritu sancto & igni, ut gratiam tribueret, peccata consumeret. Ergo in specie ignis deus seruat propositum. In Actibus quoque Apostolorum cum supra fideles spiritus sanctus decidisset, ignis species uidebatur. Sic enim habes: Et factus est subito de caelo sonus tanquam uis magna spiritus ferretur, & repleuit totam domum ubi erant sedentes, & uisae sunt illis dispersae linguae tanquam ignis. Vnde & illud, quando Gedeon superaturus Madian, trecetos uiros iussit hydrias sumere, & in hydrijs faces accensas habere, & in dextris tenere tubas: ita nostri acceptum ab Apostolis seruauere maiores, quod hydriae sint corpora nostra figura de limo, quae timere non norunt, si seruore gratiae spiritalis ignescant, & Iesu domini passionem canora uocis confessione testentur: Quis igitur de diuinitate sancti spiritus dubitet, cum ubi spiritus gratia sit, ibi species diuinitatis appareat: Quo testimonio, non diuersitatem sed unitatem diuinae colligimus potestatis. Nam quemadmodum potest esse discretio potestatis, ubi unius in omnibus operationis effectus est: Neque uero potest

Cap. xvi

est esse gratia sacramentorum, nisi ubi fuerit uenia peccatorum. Quis est igitur iste ignis? Non utique uirgultis uilibus concretus, aut stipula sylvarum fragosus incendijs, sed ignis ille qui ut aurum bona facta meliorat, & ut stipulam peccata consumit. Hic est utique spiritus sanctus, qui dominici uultus & ignis appellatur & lumen.

Quia lumen uultus dei spiritus, & spiritus lumen.

Cap. xvii

Vmen: sicut supra, Signatum est in nobis lumen uultus tui domine. Quod est ergo lumen signatum, nisi illius signaculi spiritalis, in quo credentes signati sunt? Signati, inquit, estis spiritu promissionis sancto. Et sicut lumen est uultus diuini, ita etiam ignis emicat ex dei uultu, quia scriptum est: Ignis in conspectu eius ardebit. Praefulget enim gratia diei iudicij, ut sequatur absolutio quae sancto-rum remuneretur obsequium. O magna abundantia scripturarum, quam nemo possit humano ingenio comprehendere. O maximum diuinae unitatis indicium. His enim duobus uersiculis quam multa signantur?

Ephesi. i

Psal. 49

Quia sicut pater uita, & filius uita & spiritus sanctus uita.

Cap. xviii

Leximus, quia lux est pater, lux filius, lux spiritus sanctus: accipiamus etiam quia uita est pater, uita filius, uita spiritus sanctus. Dixit enim loanes: Quod erat ab initio, quod audimus et quod uidimus et oculis nostris perspeximus, & manus nostrae scrutatae sunt de uerbo uita, & uita apparuit, & uidimus & testamur & annunciamus uobis de uita quae erat apud patrem. Et uerbum uita dixit & uitam, ut & patrem uitam significaret & filium. Quod enim est uita uerbum, nisi dei uerbum? Ac per hoc & deus uerbum dei uita est. Et sicut uerbum uita dicitur, ita & spiritus uita. Scriptum est enim: Et spiritus uita erat in rotis. Itaque sicut uerbum uita uita est, ita & uita spiritus, uita est.

i. Ioan. i

Ezech. i

Quia sicut pater fons uita est, ita etiam filius, ita & spiritus sanctus.

Cap. xix

Accipe nunc, quia sicut pater fons uita est, ita etiam filium plerique fontem uita memorarunt significatum, eo quod apud te, inquit, deus omnipotens, filius tuus fons uita sit, hoc est, fons spiritus sancti, quia spiritus uita est, sicut dominus ait: Verba quae ego locutus sum uobis, spiritus & uita sunt: quia ubi spiritus, & ubi uita, etiam spiritus sanctus. Plerique tamen hoc loco patrem uolunt tantummodo fontem significatum, quamquam uideant quid scriptura memorauerit. Apud te, inquit, fons uita, hoc est, apud patrem filius: quoniam uerbum apud deum, quod erat in principio & erat apud deum, sed siue patrem quis hoc loco, siue filium intelligat fontem, fontem utique intelligimus, non aquae istius quae creatura est, sed diuinae illius gratiae, hoc est, spiritus sancti. Ipse est enim aqua uita. propterea dominus dicit: Si scires donum dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere: tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uitam. Hanc aquam sitiuit anima Dauid. Harum fontem aquarum desiderat ceruus, non sitiens uenena serpentum. Uita est enim aqua gratiae spiritalis, eo quod mentis interna purificet, & omne animi peccatum abluat, occultorumque mundet terrorem.

Ioan. 6

Psal. 35

Ioan. 4

Quia sicut pater flumen, ita & filius, ita & spiritus sanctus.

Cap. xx

Ed ne quis forte tanquam pusillitatem spiritus redarguat, & hinc uelit quantum facere distantiam magnitudinis, quod aqua portio uideatur esse fontis exigua: quamquam creaturarum exempla minime diuinitati aptanda uideantur, tamen ne quid ex hac quoque creaturae comparatione praedudicent, discant non solum aquam, sed etiam flumen dictum, spiritum sanctum, secundum quod lectum est: Flumina de uentre eius fluent aquae uitae. Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant qui credituri erant in eo. Ergo flumen est spiritus sanctus, & flumen maximum quod secundum Hebraeos de Iesu fluxit interris, ut ore Esaiae accepimus prophetatum. Magnum hoc flumen quod fluit semper, & nunquam deficit. Nec solum flumen, sed etiam profusum impetus, & magnitudinis redundantis, sicut etiam Dauid dixit: Quia fluminis impetus laetificat ciuitatem dei. Neque enim ciuitas dei illa Hierusalem meatu alicuius fluminis terrestris abluatur, sed ille ex uita fonte procedens spiritus sanctus, cuius nos breui fatia mur haustu, in illis caelestibus thronis, dominationibus, & potestatibus, angelis & archangelis redundantius uidetur effluere, pleno septem uirtutum spiritalium feruens meatu. Si enim fluuius riparum editis superflusus exuat, quanto magis spiritus omnem supereminens creaturam

Ioan. 7

Psal. 45

creaturam, cum reliqua tanquam inferiora nostrae mentis arua perstringat, coelestem illam creaturarum naturam affusore quadam sanctificationis ubertate letificat. Nec moueat quod uel hic dixit, flumina, uel alibi septem spiritus. his enim sanctificationibus septem spiritualium (sicut Esaias dixit) significatur plenitudo uirtutum, spiritus sapientiae & intellectus, spiritus consilij atque uirtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus timoris dei. Vnum ergo flumen, sed multi spiritualium donorum meatus. Hoc igitur flumen exit de fonte uitae. Nec hic rursus sensum tuum ad inferiora detorqueas, quia quaedam diuersitas uidetur esse fontis & fluminis: & tamen ad omnia prospexit scriptura diuina, ne infirmitas humani caperetur ingenij uilitate sermonum. Proponas tibi licet quoduis flumen, e fonte est, unius tamen naturae, unius splendoris & gratiae. Dic sane & tu spiritum sanctum unius cum filio dei & deo patre esse substantiae, unius claritatis & gloriae. Capiam fidele compendium de unitate uirtutis, nec uerebor aliquam de diuersitate magnitudinis quaestionem. Nam etiam in hoc nobis scriptura prospexit. Dicit enim dei filius: Qui biberit de aqua quam dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in uitam aeternam. Hic fons utique gratia spiritualis est: fluuius ex uiuo fonte procedens. Fons igitur uitae etiam spiritus sanctus est. Aduertis etiam ex uerbis ipsis, diuinae significari magnitudinis unitatem, nec posse Christum etiam a perfidis fontem negari, cum fons dicatur & spiritus. Et sicut flumen dicitur spiritus, ita & pater dixit: Ecce ego decurram in uos sicut fluuius pacis, & sicut torrens inundans gloriam gentium. Quis autem dubitet flumen esse uitae dei filium, de quo aeternae uitae flumina profluebant? Bona ergo aqua, spiritualis gratia. Quis hunc fontem dabit pectori meo: in me saliat, in me fluat uitae largitor aeternae. Superfluat in nobis fons iste, non effluat. Dicit enim sapientia: Bibe aquam de tuis uasis & de puteorum tuorum fontibus, in quibus plataeis tuis superfluant aquae tuae. Quomodo hanc aquam tenebo ne effluat, ne labatur? Quomodo uas meum conseruabo, ne qua penetrans rima peccati, aeternae uitae distillet humor? Doce nos domine Iesu, doce sicut docuisti Apostolos tuos dicens: Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, ubi erugo & tinea exterminat, & ubi fures effodiunt & furantur. Furem uidelicet immundum spiritum esse significat, qui in bonorum operum luce gradientibus non posset obrepere, in tenebris autem secularium cupiditatum, & inter oblectamenta terrestrium si quem ceperit uoluptatum, omni uirtutis aeternae flore despoliet. Et ideo dominus dicit: Thesaurizate uobis thesaurum in caelo: ubi neque erugo neque tinea exterminat, & ubi fures non effodiunt & furantur: Vbi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Erugo nostra lasciuia est, erugo nostra libido est, erugo nostra luxuria est, quae flagitiorum sordibus aciem mentis obducunt. Tinea rursus nostra Arrius est, tinea nostra Fotinus est, qui sanctum Ecclesiae uerimentum impietate sua sciidunt, & unitatem diuinae potestatis indiuiduam separare cupientes, sacrilego morfu preciosum fidei uelamen obrodunt. Funditur aqua, si Arrius dentem impresserit: effluit, si aculeum suum in alicuius uas Fotinus infixerit. Vile figmentum sumus, cito uitia sentimus. Sed nemo dicit figulo, quid me fecisti sic? Nam & si uile uas nostrum, aliud tamen in honore, aliud in contumelia est. Noli ergo aperire lacum tuum, noli fodere uitia atque criminibus, ne quis dicat: Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam operatus est. Si Iesum quaeritis, contritos lacus deserite. Christus enim non ad lacum, sed ad puteum sedere consueuit. Ibi eum Samaritana illa quae credidit, illa quae aquam haurire cupiebat, inuenit. Quamuis mane uenire debueris, tamen etiam si ferius ueneris, etiam sexta hora Iesum fatigatum ab itinere inuenies. Fatigatus est, sed in te, quia diu te quaesiuit, tua illum tandiu incredulitas fatigauit. Non offenditur tamen, si modo uenias: petit bibere, daturus. Bibit autem non aquam praetermeantis riuuli, sed salutem tuam, bibit affectum tuum, bibit calicem; hoc est, passionem illam, tuorum criminum redemptricem, ut tu sitim istius mundi sacri potus cruore restinguas. Sic Abraham deum posteaquam puteum fodit emeruit. Sic Isaac dum ad puteum deambulat, uenientem illam in typo Ecclesiae accepit uxorem. Fidelis ad puteum, infidelis ad lacum. Denique & Rebecca (sicut legimus) petitorem inuenit ad fontem, & meretrices in lacu lezabel se cruore lauerunt.

CAPITA SECVNDI LIBRI DE SPIRITV SANCTO.

Quia dominus spiritus, quia uirtus spiritus, sicut pater uirtus, & filius uirtus.	Cap. I
Quia unum consilium est patris & filij & spiritus sancti.	Cap. II
Quia sicut uita est cognoscere patrem & filium, ita uita est cognoscere spiritum dei.	Cap. III
Quia sicut pater uiuificat, ita filius, ita & spiritus sanctus.	Cap. IIII
Quia sicut pater creator est omnium, ita & filius, ita & spiritus sanctus.	Cap. V
Quia sicut patri & filio, ita etiam spiritui sancto seruiendum est.	Cap. VI
De eo quod scriptum est: Ecce ego formans tonitrua & creans spiritum.	Cap. VII
Creat pater dominicæ incarnationis sacramentum, creat & spiritus, creat & filius.	C. VIII
Quia sicut & pater & filius, ita & spiritus sanctus regenerat.	Cap. IX
Quia eadem uerba quibus spiritum inferiorem uideri uolunt, præminentiam ostendunt patris & filij.	Cap. X
Quia una uoluntas, una uocatio patris & filij & spiritus sancti.	Cap. XI
Quia sicut pater nouit filium, & filius patrem, sic spiritus patrem & filium. Et sicut pater reuelat nobis quæ sua sunt, sic & filius, sic & spiritus sanctus reuelat nobis.	Cap. XII

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIO-

LANENSIS DE SPIRITV SANCTO AD GRATIANVM
AVGVSTVM, LIBER SECVNDVS.

Tsi in libro primo ueteris historiae lectione patefactum sit, & in ipsis iu-
 dicibus Iudæorum ueterum spiritalem gratiam refulsisse, & per spiritum
 sanctum cœlestium sacramentorum reuelata mysteria, quem Moyses
 non ignorauit æternum. Deniq; statim in principio mundi, imò ante
 principium eum deo iunxit, quem ante mundi principium sempiter-
 num esse cognouit. Nanq; si quis diligenter aduertat, & patrem in prin-
 cipio & filium cognoscat & spiritum. De patre enim scriptum est: In principio fecit deus Gen. 1
 cœlum & terram. De spiritu dictum est: Spiritus superferebatur super aquas. Et bene in
 exordio creaturæ, baptismi figura signatur, per quod habuit creatura mundari. Lectum
 etiam de filio quod ipse est, qui discreuit inter medium lucis & tenebrarum. Unus est e-
 nim deus pater qui dicit, & unus dominus Iesus qui facit. Sed ne rursus aut arrogans pu-
 tes dicentis imperium, aut uile facientis obsequium: æqualem sibi pater filium confite-
 tur operis unitate, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Gen. 1
 Et imago enim & operatio & similitudo communis, quid aliud nisi maiestatis eiusdem
 significat unitatem? Tamen ut æqualitatem plenius patris filijq; cognoscas, sicut dixit
 pater, & filius fecit: ita & pater operatur, & filius dicit. Pater operatur, sicut scriptum est: Ioan. 5
 Pater meus usq; modo operatur. Habes dictum ad filium: Dic uerbo, & sanabitur. Et fi- Matt. 8
 lius dicit patri: Volo, ut ubi ego sum, & isti sint mecum. Fecit pater quod filius dixit. Sed Ioan. 17
 nec Abraam ignorauit spiritum sanctum. Deniq; tres uidit, & unum adorauit: quia unus
 deus, unus dominus, & unus spiritus. Et ideo unitas honoris, quia unitas potestatis. Et Iudic. 13
 quid de singulis loquar? Samson diuina promissione generatus, spiritum comitantem
 habebat. Sic enim legimus: Quia benedixit eum dominus, & cœpit spiritus domini co- Ibid. 14
 mitari cum eo in castra. Et ideo futurum præuidens sacramentum, ex alienigenis posce-
 bat uxorem: quod pater eius ac mater (ut scriptum est) ignorabat, quoniam à domino
 est. Meritoq; fortior ceteris habebatur, quia eum spiritus domini dirigebat: quo duce so-
 lus nunc alienigenarum fugabat populos, nunc leonem morsu inuolabilis, fortitudine
 insuperabilis disceptum manibus diuidebat. Vtinam tam cautus ad seruandam gratiã,
 quam fortis ad superandam bestiam. Et fortasse hoc non solum uirtutis miraculum, sed
 etiam sapientiæ mysterium, prophetiæ oraculum fuit. Neq; enim ociosum uidetur, quod
 cum tenderet ad mysterium nuptiarum, leo rugiens occurrit ei, quem manibus ille di-
 scerpit, in cuius corpore, connubio potiturus optato, congregationem apum repe-
 rit, & mel sustulit de ore eius, quod patri edendum matriq; tribuit. Habebat gentium
populus

populus mella, qui credidit: qui populus feritatis erat ante, nunc Christi est. Nec ipsa quaestio uacat sacramentis, quam proposuit sodalibus suis, dicens: De edente exiuit esca, & de potente exiuit dulce. Denique eo usque mystica, ut tribus diebus eius reuelatio quaeretur, quae non potuit nisi per fidem Ecclesiae, die septima completo legis tempore post passionem domini reuelari. Sic enim habes, quia & Apostoli ideo non intelligebant, quia

Ioan. 7
Iudi. 14 Iesus nondum fuerat glorificatus. Quid, inquit, dulcius melle, quid fortius leone? Ad quae ille respondit: Si non domuissetis uitulam meam, non inuenissetis quaestionem meam. O diuinum mysterium; o euadens sacramentum. euasimus interemptorem, potentem uicimus. Ibi nunc cibus uitae est, ubi erat ante miserae fames mortis. In salutem pericula: in sua uitatem amaritudo conuertitur. Gratia ex offensione processit, potentia ex infirmitate, uita de morte. Sunt tamen qui e contrario putent fundari non potuisse coniugium, nisi occiso leone de tribu Iudae. Et ideo in corpore eius, hoc est, Ecclesia apes repertas, quae condunt mella sapientiae, quia post domini passionem magis Apostoli crediderunt. Hinc igitur leonem Samson quali Iudaeus occidit, & in eo mel in figura redimendae hereditatis inuenit: ut reliquiae saluae fierent secundum electionem gratiae. Et decidit, inquit, super eum spiritus domini, & descendit in Ascalonem & percussit inde triginta uiros. Neque enim potuerat uictoriam non tenere, qui sacramenta cernebat. Accipiunt itaque in stolis praemium sapientiae, conuersationis insigne, qui absoluunt & renunciant quaestionem. Rursus hic alia oboriuntur mysteria, quod uxor eius auferitur, & ideo uulpes incendunt manipulos alienigenarum. Eos enim qui aduersus diuina sacramenta contendunt,

Cant. 2 decipere sua consuevit astutia. Vnde iterum dicit in Canticis canticorum, Prendite nobis uulpes pusillas exterminantes uineas, ut uineae nostrae floeant. Bene pusillas dixit, quia maiores uineas exterminare non poterant, licet fortibus & diabolus sit pusillus. Ergo ille (ut compendium faciamus historiae, suo enim tempore totius lectionis nostrae digestio reseruanda est) inuictus erat, quamdiu habuit gratiam spiritalem, sicut dei populus ille electus a domino, ille Nazaraeus in lege. Inuictus ergo Samson atque ita insuperabilis, ut in maxilla asinae uiros mille percuteret: ita plenus gratiae coelestis, ut etiam aqua in maxilla Asini sitiens reperiret: siue hoc ad miraculum conferas, siue ad mysterium ueritas, quod in populi foret humilitate gentilis & requies & triumphus. Iuxta quod scriptum est: Qui te percusserit in maxillam, prebe ei & alteram. Per hanc enim iniuriarum patientiam quam erudiunt sacramenta baptismatis, de quibusdam stimulis iracundiae triumphamus, ut morte obita resurrectionis requiem consequamur. Ille ne ergo Samson qui funes in textos neruis, qui nouas restes sicut mollia fila dissoluit? Ille ne Samson qui crinum suorum palo constricta defixo uincla non sensit, quamdiu habuit gratiam spiritalem? Is, inquam, postea quam spiritus dei discessit ab eo, longe mutatus ab illo Samsonne qui redijt Allophylorum indutus exuuias, in mulieris genibus uirtutis suae degener, colligatus & captus, sacro crine tondetur. Tantum ne ergo momenti crines habere capitis, ut manentibus his uirtus inuicta duraret, tonso autem capite, fortitudo omnis uiri subito solueretur? Non ita est, ut tantam uim corporalium capillorum putemus. Sunt quidam crines religionis & fidei. Crines Nazaraei intellige, perfecti in parsimonia, & abstinentia consecrati: quibus illa in typo Ecclesiae quae domini pedes oleo perfuderat, uerbi coelestis uestigia detergebat. Tunc enim & secundum carnem nouerat Christum. Isti uidelicet crines de quibus dicitur: Capillatura tua ut greges caprarum. ex illo capite pululantes, de quo dictum est: Caput uiri, Christus. Et alibi: Caput eius aurum cephas & crines eius abietes nigrae. Et bene ex abiete sunt naues Tharsis, quae fluctibus supernatent mundi, et tutum remigium salutis exhibeant. Vnde et in Euangelio dominus noster uisibiles capitis et intelligibiles capillos quosdam esse significans, ait: Sed et capilli capitis uestri omnes numerati sunt, spiritualium uidelicet significans facta uirtutum. Neque enim de capillis nostris cura est deo. Quanquam et illud non absurdum sit aestimare, quia pro maiestate diuina eum latere nihil possit. Sed quid mihi prodest, si deus ipse omnes meos nouit capillos? Illud mihi redundat et proficit, si bonorum operum peruigil testis, remunerationem gloriae donet aeternae. Denique et ipse Samson non corporales sed intelligibiles hos capillos esse declarans, ait: Si tonsus fuero, discedet a me uirtus mea. Hoc de mysterio: nunc lectionis seriem consideremus.

Quia dominus spiritus, quia uirtus spiritus, sicut pater uirtus, & filius uirtus. Cap. I

Vpra habes quia benedixit eum dominus, & coepit spiritus comitari cu eo.

S Infra ait: Et direxit super eum spiritus domini. Item ait: Si tonsus fuero, discedet a me uirtus mea. Postea quam tonsus est, uide scriptura quid dicat: Dominus, inquit, discessit ab eo. Vides ergo quia ille qui comitabatur, ipse discessit: Idem est ergo dominus, qui spiritus domini, hoc est, ipsum spiritum dei, dominum nuncupauit, sicut & Apostolus ait: Dominus autem spiritus est: ubi autem spiritus domini, ibi libertas. Habes ergo dominum dictum etiam spiritum sanctum. Non enim unus, sed unum sunt spiritus sanctus & filius. Hoc quoque loco uirtute dixit, & spiritum significauit. Sicut enim pater uirtus, ita & filius uirtus, & spiritus sanctus est uirtus. De filio legisti, Christum dei uirtute esse, & dei sapientiam. Legimus etiam, quia uirtus est pater, sicut scriptum est: Videbitis filium hominis sedentem ad dexteram uirtutis. Hic utique uirtutem patrem dixit, cuius ad dexteram filius sedet, sicut habes: Dixit dominus domino meo, sede ad dexteram mea. Uirtutem etiam spiritum sanctum ipse dominus nuncupauit, dicens: Accipietis uirtute, aduenientem in uos spiritum sanctum. Iudic. 13
Ibid. 14
1. Cor. 1
Matt. 26
Psal. 109
Act. 1

Quia unum consilium est patris & filij & spiritus sancti. Cap. II

Pse enim spiritus uirtus est: quia legisti, Spiritus consilij atque uirtutis. Et sicut

I filius magni consilij Angelus, ita etiam spiritus consilij est: ut unum scias patris & filij & spiritus sancti esse consilium. Consilium non de rebus incertis alij quibus, sed praecognitis & statutis. Arbitrum autem diuini consilij spiritum, etiam inde cognosce. Nam cum supra docuerimus, arbitrum baptismatis esse spiritum sanctum, baptismum autem dei esse consilium legerimus, sicut habes: Pharisei autem consilium dei spreuerunt, non baptizati ab eo: liquido claret, cum sine spiritu baptismata esse non possit, sine spiritu quoque non esse consilium dei. Et ut sciamus plenius uirtutem esse spiritum, scire debemus ipsum esse promissum, quando dixit dominus: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Ille ergo qui promissus est nobis, ipse est uirtus: sicut etiam in Euangelio idem dei filius declarauit dicens: Et ego mittam promissa patris mei in uos, uos autem sedete in ciuitate quo usque induamini uirtute ex alto. Eousque autem uirtutem esse spiritum sanctum Euangelista significat, ut & eum uirtute magna sanctus Lucas descendisse memoret, dicens: Et factus est subito de caelo sonus, tanquam uirtute magna spiritus ferretur. Sed ne rursus putes ad sensibilia & corporalia hoc esse uertendum, accipe quia sic descendit & spiritus, quemadmodum descensus est Christus. Nam & ipse cum uirtute descendit, sicut habes: Videbunt filium hominis uenientem in nubibus caeli, in uirtute maxima & maiestate. Quomodo enim non est una uirtus atque eadem potestas, cum unum opus, unum iudicium, unum templum, una uiuificatio, una sanctificatio, unum etiam regnum sit patris & filij & spiritus sancti? Ioel. 2
Luc. 24
Act. 2
Matt. 24

Quia sicut uita est cognoscere patrem & filium, ita uita est cognoscere spiritum dei. Cap. III

Icant enim in quo dissimilitudinem diuini operis arbitrentur. Quando quidem

D sicut uita est, cognoscere patrem & filium, quemadmodum ipse dominus declarauit, dicens: Haec est autem uita aeterna, ut cognoscant te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christum: ita etiam uita est cognoscere spiritum sanctum. Dicit enim dominus: Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo patrem, & alium paraclatum dabit uobis, ut maneat uobiscum in aeternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere, quia non uidet eum, nec cognoscit eum: uos autem scitis eum, quia apud uos manet, & in uobis est. Ergo mundus non habebat uitam aeternam, quia non acceperat spiritum. Vbi autem spiritus, ibi uita aeterna. Ipse est enim spiritus uirtute operator aeternae. Vnde miror, cur de solo & uero deo Arriani moueant questionem. Sicut enim uita aeterna est cognoscere solum & uerum deum, ita uita aeterna est cognoscere Iesum Christum, ita uita aeterna est cognoscere spiritum sanctum: quem sic non uidet mundus, quemadmodum patrem: sic non cognoscit, quemadmodum filium. Qui autem de hoc mundo non est, habet uitam aeternam, & cum ipso manet spiritus in aeternum, qui est lumen uirtute aeternae. Ergo si hoc confert cognitio solius ueri dei, quod confert filij spiritusque cognitio, cur filium & spiritum a ueri dei honore secernis, cum a magnitudine Ioan. 17

beneficij non fecernas? Aut enim credas necesse est, solius uerae diuinitatis hoc maximum munus, & solam & ueram diuinitatem, sicut patris, ita & filij & spiritus confitebere: aut si dixeris quia uitam aeternam potest & is conferre qui uerus deus non sit, incidet ut patri magis derogare uidearis, cuius opus non putes solius uerae diuinitatis esse praecipuum, sed creaturae operis conferendum.

Quia sicut pater uiuificat, ita filius, ita & spiritus sanctus.

Cap. IIII

Psal. 118 Quid autem mirum, si spiritus operator est uitae qui uiuificat sicut pater, uiuificat sicut filius? Viuificare autem quis abnuat esse maiestatis aeternae? Scriptum est enim: Viuifica seruum tuum. Viuificatur ergo qui seruus est, hoc est homo,

qui uitam ante non habuit, sed ut haberet accepit. Videamus igitur utrum uiuificet spiritus, an ipse uiuificet. Sed scriptum est: Litera occidit, spiritus autem uiuificat. Ergo uiuificat spiritus. Sed ut intelligas patris & filij & spiritus sancti uiuificationem non esse diuisam, accipe quia uiuificationis quoque unitas sit, quando ipse per spiritum uiuificat deus. Dixit enim Paulus: Qui suscitauit Christum ex mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter inhabitantem spiritum eius in uobis.

Quia sicut pater creator est omnium, ita & filius, ita & spiritus sanctus.

Cap. V

Psal. 103 Vis iterum dubitare potest, quia uiuificet omnia spiritus sanctus, quando & ipse, sicut pater & filius creator est omnium? nec quicquam nisi cum spiritu sancto deus omnipotens pater intelligatur operatus: quando quidem & in principio creaturae spiritus superferebatur super aquam? Itaque cum superferretur spiritus, nulla erat gratia creaturae. Postea uero quam operationem spiritus etiam creatura mundi filius suscepit, omnem hanc gratiae meruit uenustatem qua mundus illuxit. Denique sine spiritu sancto uniuersitatis gratiam manere non posse propheta declarauit, dicens: Aufferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum & creabuntur, & innouabis omnem faciem terrae. Non solum igitur sine spiritu docuit omnem creaturam stare non posse, sed etiam creatorem totius esse spiritum creaturae. Et quis neget opus esse spiritus sancti, quod creata est terra, cuius opus est quod nouatur? Nam si negare cupiant quod per spiritum sit creata, cum per spiritum nouandam negare non possint, meliorem ergo operationem spiritus sancti quam patris & filij qui cupiunt separare, defendant, quod abhorret a uero. Neque enim dubium est, quod nouata terra melior quam creata sit. aut si primo sine operatione spiritus sancti terram pater fecit & filius, postea uero spiritus sancti operatio copulatur, uidebitur id quod factum est, eius quod accessit eguisse praesidio. Sed absit, ut hoc quisquam existimet, ut operatio diuina uarietatem creatoris, quam Manichaeus inducit, habere credatur. An uero sine opere spiritus sancti, substantiam putamus esse terrarum, sine cuius opere nec caeli conuexa subsistunt?

Ibid. 32

*Virg. lib. 6
Aeneid.*

Scriptum est enim: Verbo domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Aduerte quid dicat: Omnem inquit, uirtutem caelorum ad spiritum esse referendam.

Qui enim superferebatur antequam terra fieret, quomodo cum terra fieret feriebatur? Gentiles homines per umbram quandam nostros secuti, quia ueritatem spiritus haurire non poterant, quod caelum ac terras lunae quoque stellarumque micantium globos spiritus intus alat, suis uersibus indiderunt. Ergo illi per spiritum non negant uirtutem subsistere creaturae: nos qui legimus, denegamus? Sed flatilem putatis ab illis spiritum designatum. Si illi authorem omnium flatilem spiritum declararunt, nos dubitamus spiritum dei esse omnium creatorum? Sed quid alienis immoror? Accipiant documentum euidens nihil posse esse quod spiritus sanctus negetur operatus, nec de Angelis, nec de Archangelis, nec de thronis, nec de dominationibus posse dubitari quod eius operatione subsistant, quandoquidem ipse secundum carnem dominus cui Angeli seruibant, spiritu in uirgine superueniente genitus sit: sicut et secundum Matthaeum, ad Ioseph Angelus dixit: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam uxorem tuam: quod enim ex ea nascetur, de spiritu sancto est. Et secundum Lucam dixit ad Mariam: Spiritus sanctus superueniet in te. Opus ergo spiritus, uirginis partus est. Opus spiritus, fructus est uentris, secundum quod scriptum est: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus uentris tui. Opus spiritus, flos radice est. Ille, inquam, flos, de quo bene est prophetatum: Exiet uirga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Radix Iesse, patriarchae familia Iudaeorum, uirga Maria, flos Mariae; Christus:

Esai. 11

Christus:

Christus: qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe uirginali ex utero germinauit, sicut ipse dixit: Ego flos campi, & lilium conuallium. Flos odorem suum & succus reseruat, & contritus accumulatur, nec auulsus amittit. Ita & dominus Iesus in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec auulsus euauit, & illa lanceæ punctione succus, sacrospectiosior fusi cruoris colore uernauit: mori ipse nescius, & mortuis æternæ uitæ munus exhalans. In hoc igitur spiritus sanctus uirgæ regalis flore requieuit. Bona uirga, ut quidam putant, est caro domini, quæ de radice terrena ad superna se subrigens, odoriferos sacre fructus religionis circumtulit mundo, mysteria diuinæ generationis & gratiæ, cœlestibus altaribus superfundens. Dubitare ergo non possumus spiritum creatorem, quem dominicæ cognoscimus incarnationis authorem. Quis enim dubitet, cum in principio Euangelij habeas, quia Christi generatio sic erat: Cum despōsata esset Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in utero habens ex spiritu sancto: Nam licet plerique habeant, de spiritu, Græcus tamen unde transfulerunt Latini *ἐκ τοῦ πνεύματος ἁγίου* dixit, hoc est, ex spiritu sancto. Quod ergo ex aliquo est, aut ex substantia est, aut ex potestate eius. Ex substantia, sicut filius qui ait: Ex ore altissimi prodiui, sicut spiritus qui a patre procedit. De quo dicit filius: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Ex potestate autem, sicut illud est: Unus deus pater, ex quo omnia. Quomodo ergo in utero habuit Maria ex spiritu sancto: Si quasi ex substantia: ergo spiritus in carnem & ossa conuersus est: Non utique. Si quasi ex operatione & potestate eius uirgo concepit, quis neget spiritum creatorem: Quid quod etiā Iob creatorē suum spiritum euidenter ostendit, dicens: Spiritus diuinus, qui fecit me: Et diuinum utique & creatorem uno uersiculo demonstrauit.

Cant. 2

Matt. 1

Eccl. 24

Ioan. 16

1. Cor. 8

Quia sicut patri & filio, ita etiam spiritui sancto seruiendum est. Cap. VI

Igitur creator est spiritus, non est utique creatura. Creaturam enim Apostolus creatoremque diuisit, dicens: Seruierunt creature potius quam creatori. Simul creatori admonet seruiendum, damnando eos qui seruiunt creaturæ, cum creatori seruitium debeamus. Et quoniam creatorem spiritum nouerat, docet eidem seruiendum, dicens. Videte canes, uidete malos operarios, uidete concisionem. Nos enim sumus circuncisio, qui spiritui deo seruiamus. Quod si quis de Latinorum codicum uarietate contendit, quorum aliquos perfidi falsauerunt, Græcos inspiciat codices, & aduertat quia scriptum est, *οἱ πνεύματι θεῷ λατρεύοντες*: quod interpretatur, qui spiritui deo seruiamus. Ergo cum seruiendum dicat spiritui, idem Apostolus qui non creaturæ sed creatori asserit seruiendum, euidenter utique & ipse sanctum ostendit spiritum creatorem, & in æternæ diuinitatis honore uenerandum, quia scriptum est: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruias.

Rom. 1

Philip. 3

Matt. 4

De eo quod scriptum est: Ecce ego formans tonitrua & creans spiritum. Cap. VII

Ecce me præterit, hæreticos obiectare consuevit, ideo uideri creatum spiritum sanctum, quia plerique eorum ad argumentum adstruendæ suæ impietatis asseiscunt illud quod Amos de flatu uentorum locutus est, ut ipse propheticus sermo declarat. Sic enim habes: Ecce ego formans tonitruum, & creans spiritum, & nuncians in homines Christum suum, faciens lucem & nebulam, & ascendens super excelsa, dominus deus omnipotens nomen est ei. Si hinc faciunt quæstionem, quod creatum spiritum dixit, quia creetur spiritus, Hædras nos docuit dicens in tertio libro: Et in die secundo iterum creasti spiritum firmamenti. Tamē ut propositis inhæreamus, his uidelicet que Amos dixit, non ne euidenter dictorum testificatur series, de istius creatura mundi locutum prophetam: Denique ita cœpit: Ego dominus formans tonitruum & creans spiritum. Ipse ordo nos doceat. Nam si de spiritu sancto dicere uoluisset, non de tonitruo utique præmisisset. Neque enim antiquiora tonitrua sunt, quam spiritus sanctus. quamuis impij sint, tamen id non audent dicere. Deinde cum subiectum uideamus esse de luce & nebula, non ne manifestum est quod de creatura mundi dictum intelligendum sit: Cum enim fuerit aliquæ tempestates istius mundi, præcedere tonitrua, sequi uentorum flatus, cœlum nebulis caligare, lucem refundi ex tenebris, ipso usu quotidiano exemploque cognoscimus. Nam etiam flatus uentorum spiritus dicitur, sicut scriptum est: Ignis & sulphur & spiritus procelle. Et ut scires, quia hunc spiritum dixit, ait: Formans tonitruum & creans spiritum: quia frequenter creatur ista cum fiunt, spiritus autem sanctus æternus est. Quem si quis

Psal. 10

audet dicere creatum, non potest tamen dicere quod quotidie creatur, sicut flabra uentorum. Denique ipsa sapientia secundum suscepti locuta corporis sacramentum, ait: Dominus creauit me. Quamuis uentura prophetaret, tamen quia predestinatus erat domini saluatoris aduentus, non dixit creat me, sed creauit: ne frequenter sed semel crederent ex uirgine Maria Iesu corpus esse generandum. Ex hoc igitur quod uelut quotidianam operationem dei in tonitruum firmamento, & in spiritus creatione propheta declarauit, intelligere nefas est, ut de spiritu sancto tale aliquid aestimemus, quem ipsi impij ante secula esse negare non possunt: unde & semper eum esse & semper manere, pia assertione testamur. Neque enim qui ante mundum superferebatur super aquas, potest uideri coepisse post mundum, aut multos spiritus sanctos aestimari fas est, qui ueluti quotidiana generatione generentur. Absit ut se quisquam tali impietate contamine, ut dicat frequenter creari, aut unquam creari spiritum sanctum. Cur enim frequenter creari uideatur, non intelligo, nisi forte & mori eum credant frequenter, & frequenter recreari. Sed quemadmodum mori potest spiritus uitae: Ergo si mori non potest, causam non habet cur sapius sit creandus. At qui aliter putant, in illud sacrilegium recidunt, ut non distinguant spiritum sanctum, qui prolatiuum uerbum putat in patrem redire, prolatiuum spiritum in deum refundi, ut unius refusio sit, & quaedam uicissitudo in uarias formas sese permutantis, cum patris & filij & spiritus sancti manens semper immutabilisque distinctio unitatem suam teneat potestatis. Si quis tamen propheticum dictum ideo deriuandum putat ad interpretationem spiritus sancti, quia habet: Annuncians in homines Christum suum, is ad incarnationis dominice mysteria dictum facilius deriuabit. Nam si te mouet quia spiritum dixit, & ideo hoc non putas deriuandum ad mysteria assumptionis humanae: persequere scripturas, & inuenies optime congruere de Christo, de quo bene conuenit aestimari, quia firmavit tonitrua aduentu suo, uim uidelicet & sonum celestium scripturarum, quarum uelut quodam tonitru mentes nostrae redduntur attonitae, ut timere discamus, & reuerentiam celestibus deferamus oraculis. Denique in Euangelio fratres domini, filij tonitru dicebantur. Et cum uox patris facta esset dicentis ad filium: Et honorificauit, & iterum honorificabo, Iudaei dicebant, tonitruum factum est illi. Nam licet gratiam ueritatis haurire non possent, tamen confitebantur inuirti, & ignari mysterium loquebantur, eo quod magnum patris de filio testimonium resultabat. In Iob quoque libro scriptura dicit: Firmamentum quoque tonitruum sui quis scit quando fiet? Utique si ad haec commotionum celestium tonitrua pertinerent, non futura eorum firmamenta, sed facta dixisset. Ergo tonitrua ad sermones domini retulit, quorum in omnem terram exiuit sonus. Spiritum autem hoc loco animam quam suscepit rationabilem atque perfectam intelligimus, quia scriptura frequenter & animam hominis spiritus uocabulo designat, sicut habes: Qui creat spiritum hominis in ipso. Unde & dominus animam suam spiritus appellatione significans, ait: In manus tuas commendo spiritum meum. Et ut scires, quia Iesu domini descensionem memorauit, addidit, quod nunciaret in homines Christum suum. Annunciauit enim in baptisate, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui. Annunciauit in monte, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Annunciauit in passione, cum sol recessit, maria terraeque tremuerunt. Annunciauit in Ceterione, qui ait: Verè dei filius erat iste. Totum igitur hunc locum aut ad simplicem intellectum istius flatus qui uiuendo hauritur, aut ad mysterium dominici corporis referre debemus. Nam si hic creatum dixisset spiritum sanctum, utique et alibi idem scriptura declarare potuisset, sicut de filio dei frequenter legimus, quia secundum carnem & factus est & creatus. Cuius tamen maiestatem in eo ipso quod carnem pro nobis suscepit, considerare nos conuenit, ut diuinam potentiam in ipsa corporis assumptione uideamus.

Creat pater dominicae incarnationis sacramentum, creat & spiritus, creat & filius.

Cap. VIII

E Tenim (sicut legimus) quia creauit pater dominicae incarnationis sacramentum, creauit et spiritus: ita etiam legimus, quod & ipse Christus suum corpus creauit. Creauit enim pater, secundum quod scriptum est: Dominus creauit me. Et alibi: Misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Creauit & spiritus illud omne mysterium, secundum quod legimus: Quia inuenta est Maria in utero habens ex spiritu.

Galat. 4
Matt. 1

spiritu sancto. Habes quia creauit pater, creauit & spiritus: accipe quia creauit & filius dei, dicente Salomone: Sapientia fecit sibi domum. Ergo spiritus sanctus qui creauit dominicæ incarnationis sacramentum, quod super omnes est creaturas, quomodo esse potest creatura? De generalitate autem supra ostendimus, quia secundum carnem creator est noster spiritus sanctus in homine exteriori. Nunc ostendamus quia creator est noster, etiam secundum gratiæ sacramentum. Et sicut creat pater, ita creat & filius, ita creat & spiritus sanctus, sicut legimus, dicente Paulo: Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Ipsi enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis. Prou. 9
Ephes. 2

Quia sicut pater & filius, ita & spiritus sanctus regenerat. Cap. IX

Ergo creat pater in operibus bonis: creat & filius, quia scriptum est: Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt. Similiter ex spiritu secundum gratiam nos renasci, dominus ipse testatur, dicens: Quod natum est ex carne, caro est, quia de carne natum est: & quod natum est de spiritu, spiritus est, quia deus spiritus est. Nolite mirari quia dixi, oportet uos nasci denuo. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis: sed nescis unde ueniat, aut quò uadat. sic est omnis qui natus est de spiritu. Claret igitur spiritalis quoque generatio- nis authorem esse spiritum sanctum, qua secundum deum creamur, ut filij dei simus. Ergo cum ille nos in regnum suum per adoptionem sacræ regenerationis assumpserit, nos ei quod firmum est denegamus: Ille nos supernæ generationis fecit hæredes, nos hæreditatem uindicamus, refutamus authorem: Sed non potest manere beneficium, cum author excluditur: nec author sine munere, nec sine authore munus. Si uindicas gratiam, crede potentiam: si refutas potentiam, gratiam ne requiras. Qui Christum negauit, statim amisit & nomen. Nam si author uilis, quomodo dona preciosa? cur nostris ipsi munibus inuidemus, spem imminuimus, dignitatem repudiamus, consolatorem negamus? Sed illum negare non possumus. Absit enim ut negemus quod maximum est, cum Apostolus dicat: Vos autem fratres secundum Isaac promissionis filij estis: sed sicut tunc qui secundum carnem natus est, persequeretur eum qui secundum spiritum: Iterum uti que subauditur de superioribus qui secundum spiritum natus est. Qui ergo secundum spiritum nascitur, secundum deum nascitur. Renascimur autem, quando in interiore renouamur affectu, & exterioris hominis uetustatem deponimus. Et ideo ait iterum Apostolus: Renouamini spiritu mentis uestre, & induite nouum hominem qui secundum deum creatus est in ueritate & iustitia & sanctitate. Audiant quemadmodum unitatem diuine operationis scriptura signauerit. Qui renouatur spiritu mentis, induit nouum hominem qui secundum deum creatus est. Sancti igitur spiritus opus est, regeneratio ista præstantior, & noui huius hominis qui creatur ad imaginem dei, author est spiritus. quem utique meliorem hoc exteriori esse nostro homine nemo dubitauerit. Si quidem cœlestē alterum, terrenum alterum Apostolus significauit, dicens: Qualis cœlestis, tales & cœlestes. Ergo cum cœlestē faciat gratia spiritalis, quod terrenum creare possit, etiam sensu debemus aduertere, licet credamus exēplis. Dicit enim alibi sanctus Iob: Viuit dominus qui sic me iudicat, & omnipotens qui ad amaritudinem perduxit animam meam, spiritus autem diuinus qui est in naribus meis. Non utique spiritum hic auram uitalem hanc & spiramentum corporeum designauit, sed nares hinc interioris sui hominis significat, quibus uitæ odorē carpebat æternæ, & gratiæ cœlestis unguenti, geminis quibusdam sensibus hauriebat. Sunt enim nares spiritalis (ut legimus) quas habet sponsa uerbi, cui dicitur: Et odor naribus tuæ. Et alibi: Odoratus est dominus odorem suauitatis. Sunt enim quedam interioris membra hominis, cuius manus in actu, aures in auditu, pedes in processu quodam boni operis æstimantur. Itaque ex officijs, ueluti quasdam colligimus membrorum figuras. Neque enim in interiore homine secundum carnalia aliquid nos conuenit opinari. Ioan. 1
Ephes. 4
1. Cor. 15
Iob 27
Cant. 7
Gen. 8

Quia eadem uerba quibus spiritum inferiorem uideri uolunt, præminentiam ostendunt patris & filij. Cap. X

E sunt quidam qui corporaliter deum putant esse formandum, cum legunt aut manum eius, aut digitum, nec aduertunt quod hæc non propter formam scripta sint corporis, quia in diuinitate nec membra nec partes sunt, sed propter

unitatem diuinitatis expressa, ut credamus quia impossibile est à patre deo uel filiū, uel
 spiritum sanctum separari, cum plenitudo diuinitatis uel corporaliter habitet in substā-
 tia trinitatis. Ideo igitur & filius, patris dextera nuncupatur, sicut lectum est: Dextera do-
 mini fecit uirtutē, dextera domini exaltauit me. Sed quid mirum si de uerbis amentes ho-
 mines faciunt quæstionē, cum faciant & de syllabis? Sunt enim qui hinc putent facien-
 dam esse distantia, quod dicant in spiritu deum, non cū spiritu prædicandū: & ex una syl-
 laba, uel usu quodā diuinitatis æstimandū putent esse momentū: argumentantes, quod
 si in spiritu deū prædicandum putent, ministeriū sancti spiritus signare uideant. Si ue-
 rò cum spiritu dicant dei uel uirtutem esse uel gloriam, societatem quandam & commu-
 nionem patris & filij & spiritus sancti designare uideantur. Sed quis separet, quod non
 potest separari? Quis diuidat societatem, quam indiuiduā Christus ostendit? Ite, inquit,
 baptizate gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Nunquid hic uel circa patrem
 uel filium uel spiritum sanctum, aut uerbum mutauit, aut syllabam? Non utiq; sed in no-
 mine, inquit, patris & filij & spiritus sancti, idem de spiritu quod de patre & de se sonat.
 Vnde nullum spiritus sancti ministeriū, sed cōsortium magis honoris aut operis, cum
 in spiritu dicatur æstimatur. Considera & hic, quia ad patrem & filium hoc opinionis ue-
 stræ præiudiciū deriuatur, quia hic non dixit, cum patris & filij & spiritus sancti nomi-
 ne, sed in nomine: & tamen non ministeriū aliquod trinitatis hac syllaba exprimitur,
 sed potestas. Deniq; ut scias, quia fidei non præiudicat syllaba, sed commendat fidem syl-
 laba, & Paulus loquitur in Christo. Nec ideo minor Christus est, quia Paulus locutus in
 Christo est, sicut habes: Coram deo in Christo loquimur. Quemadmodum igitur Apo-
 stolus dicit, quia in Christo loquimur, ita illud est: quia loquimur in spiritu, sicut ipse A-
 postolus dixit: Nemo dicit dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Non subiectio itaque
 hoc loco spiritus sancti, sed gratiæ copula designatur. Et ut scias discretionem non esse
 de syllaba, alibi quoq; ait: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed
 iustificati estis in nomine Iesu Christi, & in spiritu dei nostri. Quam multa possum hinc
 exempla proferre? Scriptum est enim: Omnes uos unum estis in Christo Iesu. Et alibi: Sa-
 crificati in Christo Iesu. Et iterum: Ut nos essemus iustitia dei in ipso. Et alio loco: Ut ex-
 cidant à fide quæ est in Christo Iesu. Verum quid ago? Dum enim similiter dico scriptū
 esse de filio, quemadmodum de spiritu scriptum est, magis illud incurro, ut non quia de
 filio scriptum est, religiose dictum uideatur de spiritu: sed quia idem de spiritu scriptum
 est, etiam de filio propter spiritum obijciant derogandum. Dicunt enim: Nunquid de
 deo patre scriptum est? Sed accipiant etiam de deo patre dictum: In deo laudabo sermo-
 nē, in deo laudabo uerbum. Et alibi: In deo faciemus uirtutem. Et in te commemoratio
 mea semper: Et in tuo nomine exultabimus. Et iterum alibi: ut manifestetur opera eius,
 quia in deo sunt facta. Et Paulus: In deo qui omnia creauit. Et iterum: Paulus & Sylua-
 nus & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium in deo patre & domino Iesu Christo. Et
 in Euangelio: Ego in patre & pater in me. Et Pater in me manet. Scriptum est etiam:
 Qui gloriatur, in domino gloriatur. Et alibi: Vita autem nostra abscondita est cum
 Christo in deo. Nunquid hic plus filio quam patri detulit, ut in deo nos diceret esse cum
 Christo? Aut nunquid plus nostra conditio quam spiritus gratia sibi uindicat, ut nos
 possumus esse cum Christo, spiritus sanctus esse non possit? Et cum Christus uelit esse
 nobiscum, sicut ipse dixit: Pater quos dedisti mihi, uolo ut ubi ego sum, & ipsi sint me-
 cum, dedignetur esse cum spiritu? Scriptum est etiam: Conuenientibus uobis & meo
 spiritu cum uirtute domini Iesu. Ergo nos cum uirtute domini conuenimus, et audemus
 dicere quod nolit dominus Iesus cum spiritu conuenire, qui non dedignatur conueni-
 re nobiscum? Nullam igitur distantiam putat Apostolus, hac an illa syllaba utaris. Sylla-
 ba enim coniunctionis est, coniunctio autem seiunctionem non facit. Neq; enim si diui-
 deret, coniunctio diceretur. Quid igitur te mouet ut dicas, quia gloria est deo patri uel
 Christo eius, uita, uirtus, magnificentia, potestas in spiritu sancto, & nolis dicere cum spi-
 ritu sancto? An quia times ne & spiritū cum patre & filio sociari uidearis? Sed audi & de
 spiritu scriptū: Lex enim spiritus uite in Christo Iesu. Et alibi deus pater dicit: Et adora-
 bunt te, & in te deprecabuntur. In Christo orare nos debere deus pater dicit, & tu putas
 spiritui derogari, si in eo gloria Christi esse dicat? Audi quod times de spiritu cōfiteri, nō
 timuisse

timuisse de se sibi Apostolum vindicare. At enim, Dissolui & cum Christo esse multo
 melius. Cum quo igitur est Apostolus, cum eo negas esse spiritum, per quem Apostolus
 meruit esse cum Christo: Quæ igitur ratio est, ut in spiritu malis dicere, quam cum spiri-
 tu gloriam dei esse uel Christi? An quia si dicas in spiritu, minor Christus spiritu declare-
 tur? Quamuis hoc refutabile sit, ut maiorem dominum facias & minorem, tamen cum
 lectum sit: Quia pro nobis peccatum factus est Christus, ut nos essemus iustitia dei in ip-
 so: ille inuenitur potissimus, in quo sumus nos infimi. Sic & alibi habes: Quia omnia in
 ipso constant, hoc est, in eius uirtute. Nec comparari possunt illi quæ in eo constât, quia
 ex uirtute eius ut constent, substantiam consequuntur. Nunquid igitur sic deum regnare
 uultis in spiritu, ut uirtus spiritus regnandi deo principium quasi fons quidam substantiæ
 largiatur? Sed hoc impium est. Et ideo ut unam patris & filij & spiritus sancti maiores
 nostri dicerent potestatem, cum spiritu gloriam Christi esse memorabant, quo indiui-
 duam copulam declararent. Quomodo enim separatur spiritus sanctus à filio, cum ipse
 spiritus testimonium reddat spiritui nostro quod sumus filij dei? Si autem filij & hære-
 des: hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi. Quis igitur tam amens qui coniun-
 ctionem spiritus & Christi dissociet sempiternam, cum spiritus etiam dissociata conne-
 ctat, per quem Christi efficiamur cohæredes? Si tamen, inquit, compatimur ut & conglo-
 rificemur. Si nos ergo conglorificabimur cum Christo per spiritum, quomodo & ipsum
 conglorificare Christo spiritum recusamus? dissociamus uitam Christi & spiritus sancti,
 cum spiritus dicat, quod simul uicturi sumus cū dei filio: Dicit enim Apostolus: Si autē
 mortui sumus cum Christo, credimus quod etiā simul uiuemus cū illo. Deinde alibi: Si
 enim compatimur, inquit, & conuiuemus: nec solum conuiuemus, sed etiam conglorifi-
 cabimur: nec solum conglorificabimur, sed etiam conregnabimus. Non est igitur in syl-
 labis istis ulla discretio. utraq; enim syllaba coniunctionis est. Deniq; sæpe reperimus in
 scripturis alteram interpositam, & alteram intellectam, sicut scriptum est: Introibo in
 domum tuam in holocaustis, hoc est, cum holocaustis. Et alibi: Eduxit eos in argento &
 auro, hoc est, cum argento & auro. Alibi quoq; ait: Non egredieris in uirtutibus nobi-
 scum, quod est cum uirtutibus. Ergo cum & in usu sermonis calumniā esse non possit, &
 ex sermone calumniā diuinitati non debeat excitari, opus est ut ad iustitiam corde cre-
 datur, & ex fide cordis fiat ad salutem in ore confessio. Sed qui corde non credunt, calū-
 niam struunt uerbis. Deniq; simile & illud est quod aiunt, discretionem esse, quia scriptū
 est: Nobis autem unus deus pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus dominus Iesus
 Christus per quem omnia: & nos per ipsum. Volunt enim cum dicitur, ex illo, materiam
 designari: cum dicitur per illum, quoddam uel instrumentum operis uel ministerium de-
 clarari: cum dicitur autem, in illo, aut locus significetur aut tempus, in quo omnia facta
 uideantur. Ita igitur distantiam quandam substantiæ probare desiderant, tanquam in-
 strumentum ab operatore uel authore, & tanquam tempus aut locum ab instrumēto di-
 rimere gestientes. Nūquid ergo alienus secundū naturā filius à patre, quia alienū instru-
 mētum ab operatore proprio uel authore? Aut nunquid alienus filius à spiritu, quia ab
 instrumenti genere aut locus separatur aut tēpus? Compara nunc assertiones nostras. Il-
 li uolunt ex deo tanquam ex natura dei esse materiam, ut si dicas ex ligno arcam esse fa-
 ctā, ex lapide statuam, ita ex deo materiam processisse, & eandem materiā tanquam per
 instrumentum aliquod factam esse per filium: ut non tam operatorem filium quam in-
 strumentum operis esse declarent: & omnia ita facta in spiritu, tanquā in aliquo loco fa-
 cta uel tempore: singula singulis tribuunt, in commune omnia negant. Verum nos ostē-
 dimus ita ex deo patre esse omnia, ut nec amiserit deus pater, quod uel per ipsum & in ip-
 so omnia sint, nec tanquam ex materia ex ipso omnia sint. Ita quoq; per dominum filium
 esse omnia, ut non priuatus sit, eo quod ex filio sint omnia: & ita omnia esse in spiritu, ut
 doceamus omnia esse per spiritum, & omnia esse de spiritu. Nā istæ syllabæ, sicut illæ de
 quibus superius diximus, se inuicē signant. Nō enim ita dixit Apostolus, ex deo omnia,
 & per filium omnia, ut separabilem substantiā patris filijq; signaret: sed ut inconfusibili
 distinctione, quod alius sit pater, alius sit filius, edoceret. Non igitur tanquā compugnā
 res syllabæ istæ, sed tanquam sociæ atq; concordēs sunt, ut etiam uni sæpe conueniant, si
 cut scriptum est: Quia ex ipso, & per ipsum & in ipso omnia. Quod si uerè consideres
 unde

Philip. 1

2. Cor. 3

Colof. 1

Rom. 8

Rom. 6

2. Tim. 2

Psal. 65

Ibid. 104

Psal. 43

Rom. 10

1. Cor. 3

Rom. 11

unde translatum sit, de filio dictum esse non ambiges. Dicit enim Apostolus secundum prophetiam Esaię: Quis cognouit sensum domini, aut quis cōsiliarius ei fuit: Et addidit: Quia ex ipso & per ipsum & in ipso omnia. Quod Esaias de opere operatore omnium dixit, si cut habes: Quis mēsus est manu aquam & cœlum palmō, & uniuersam terrā clausa ma-
Esa. 40 nu: Quis statuit montes in libra, & rupes in statera: Quis cognouit sensum domini, aut quis cōsiliarius ei fuit: Et addidit Apostolus: Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso omnia. Quid est ex ipso: Quod ex ipsius uolūtate natura sit omnium, & ipse sit author om-
Psal. 144 nium quę esse cœperunt. Per ipsum quid est: Quia per ipsum cōstitutio & perseverantia om-
Acto. 17 nibus impertita uideat. In ipso quid est: Quia omnia admirabili quodam desiderio & inenarrabili amore authorem uitę & ministratorem gratię suę ac muneris intuentur, se-
Ephes. 4 cundum quod scriptum est: Oculi omnium in te sperant, & aperis manum tuam, & im-
Col. 2 ples omnem animam bona uoluntate. De patre quoq; si dicas: Ideo ex ipso, quia ex ipso operatrix sapientia, quę omnibus ex sua & patris uoluntate dedit esse quę non erāt. Per
Ioan. 1 et 16 ipsum, quia per sapientiam eius facta sunt omnia: In ipso, quia in ipso est uiuificatorię fons substantię, in quo uiuimus & sumus & mouemur. Ex spiritu quoq; ut per ipsum fir-
Luc. 8 mati, per ipsum formati, in ipso roborati, uitę capimus munus aternę. Cũ hæc igit uel
Galat. 6 patri uel filio, uel spiritui sancto cōuenire uideantur, nihil utiq; humile in his certum est
1. Ioan. 4 declarari, cū & ex filio dicamus esse pleraq; & multa per patrem, sicut habes de filio di-
Luc. 1 ctū: Vt augeamur in ipso per omnia, qui est caput Christus, ex quo totū, inquit, corpus
Ioan. 3 compactū & connexū per omnem iuncturam ministratōnis in mēsuram uniuscuiusq; partis augmentū corporis facit in ædificationem sui in charitate. Et iterū ad Colossenses
1. Cor. 1 de his qui non haberet cognitionem unigeniti filij dei: Quia non tenet, inquit, caput ex
Galat. 4 quo omne corpus per compaginationes & colligationes subministratum & copulatiū
Esa. 54 crescit in incrementū dei. Caput enim Christum esse Ecclesię supra diximus. Et alibi ha-
Rom. 8 bes: Quia de plenitudine eius nos omnes accepimus. Et ipse dominus dixit: De meo ac-
Gen. 1 cipiet, & annuntiabit uobis. Et supra ait: Cognoui uirtutem exisse de me. Similiter ut ag-
Psal. 22 noscas unitatem, etiā de spiritu dicitur: Quia qui seminat in spiritu, de spiritu metet ui-
1. Ioan. 4 tam aternam. Et Ioannes ait: Ex hoc cognoscimus quia in nobis est, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et angelus dicit: Quod ex ea nascetur, de spiritu sancto est. Et dominus
Luc. 1 ait: Quia quod natum est de spiritu, spiritus est. Ergo sicut ex patre legimus esse omnia,
Ioan. 3 ita & ex filio posse dici omnia, per quem omnia sunt: & ex spiritu esse omnia, in quo om-
1. Cor. 1 nia sunt, testimonijs edocemur. Nunc consideremus, utrum per patrem esse aliquid do-
Galat. 4 cere possimus. Sed scriptum est: Paulus seruus Christi per uoluntatem dei. Et alibi: Iam
Esa. 54 non seruus, sed filius: si autem filius, & hæres per deum. Et alibi: Sicut resurrexit Christus per gloriam patris. Et alibi deus pater ad filium dicit: Ecce profelyti ueniūt ad te per me.
 Multa reperies alia, si queras, per patrem facta. Nunquid ideo minor pater, quia & ex fi-
 lio pleraq; esse legimus, & per patrem facta uel dicta plurima in scripturis cœlestibus re-
 perimus: Sed etiam per spiritum similiter legimus facta pleraq; sicut habes: Nobis autē
 reuelauit deus per spiritum suum. Et alibi: Bonum depositum custodi per spiritum san-
 ctum. Et ad Ephesios: Confortari per spiritum eius. Et ad Corinthios: Alij enim datur
 per spiritum sermo sapientię. Et alibi: Si autem per spiritum facta carnis mortificaueri-
 tis, uiuetis. Et supra: Qui suscitauit Christum ex mortuis, uiuificabit & mortalia corpora
 uestra, per inhabitantem spiritum eius in uobis. Sed fortasse dicit: Ostende mihi speciali-
 ter lectum, quia ex filio omnia, uel ex spiritu omnia. At ego refero, ut & illi mihi lectum
 esse ostendant, quia per patrem omnia. Sed cū hæc uel patri probauerimus uel filio uel
 spiritui sancto cōuenire, nec ullam ex huiusmodi syllabis nasci posse diuinę distan-
 tiam potestatis, non est dubium, quia per quem omnia, ex eo omnia: & ex quo omnia,
 per eum omnia: & in quo omnia, per eum uel ex eo omnia esse intelligere debeamus.
 Omnis enim creatura & ex uoluntate & per operationem & in uirtute est trinitatis, si-
 cut scriptum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.
 Et alibi: Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius
 omnis uirtus eorum.

Quia una uoluntas, una uocatio patris & filij & spiritus sancti. Cap. XI

Ec solum una operatio est ubiq; patris & filij & spiritus sancti, sed etiam una
 N atq; eadem uoluntas, una uocatio, una præceptio: quod licet in illo magno
 ac salutarî ecclesiæ spectare mysterio. Sicut enim pater uocauit gentes ad ec-
 clesiam, dicens: Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam,
 Et alibi: Domus mea domus orationis uocabitur omnibus gentibus: Ita etiam dominus
 Iesus ad euocandam & congregandam ecclesiam Paulum à se dicit electum, sicut habes
 ad Ananiã dictum à domino Iesu: Vade, quoniam uas electionis est mihi hic, ad ferendũ
 nomen meum coram gentibus. Sicut ergo pater deus uocauit Ecclesiam, ita uocauit &
 Christus. Et quemadmodũ Christus uocauit, ita uocauit & spiritus, dicẽs: Separate mihi
 Paulũ & Barnabã, in opus quo uocaui eos. Tunc ieiunantes, inquit, & orãtes, imposue-
 runt eis manus, & dimiserunt eos. Ipsi autẽ præmissi ab spiritu sancto deuenerunt in Seleu-
 ciam. Ergo non solum Christi, sed etiã spiritus sancti imperio Apostolatũ Paulus acce-
 pit, & ad congregationẽ Gentium festinauit. Nec solus Paulus, sed etiam Petrus, sicut le-
 gimus in Actibus Apostolorũ. Nam cum in oratione uidisset cœlum apertũ, & quatuor
 iniitijs ligatum uas quoddam tanquam linteum, in quo erant omnia genera quadrupe-
 dum & ferarum & uolucrum cœli, facta est uox ad eum: Surge, occide & mãduca. Et Pe-
 trus dixit: Absit domine, nunquam manducaui commune & immundum. Et uox rursus
 ad eum: Quæ deus mundauit, tu cõmune ne dixeris. Hoc autẽ factum est per ter, & rece-
 ptum est uas in cœlo. Ergo cum hoc secum Petrus tacitus cogitaret, & uenissent ad eum
 Cornelij seruuli ab Angelo destinati, ait illi spiritus: Ecce uiri quærunt te. surge itaq; &
 descende, & uade cum eis nihil dubitans, quoniam ego misi illos. Quãm euidenter ex-
 pressit suam spiritus sanctus potestatem. Primo omnium, quia aspirauit oranti, affuit de
 precanti: Deinde, quoniã uocatus Petrus respondit, domine: & ideo secundũ euidentius
 meruit oraculum, quia cõfessus est dominũ. Sed quis iste sit dominus scriptura declarat.
 Respondenti enim is utiq; cui responderat loquebatur. Spiritum autem ostendit sequẽ
 tia declaratum: quia ipse qui mysterium figurabat, mysteriũ reuelabat. Simul illud aduer-
 te, quia tertio repetita figura mysterij, operationem trinitatis expressit. Et ideo in myste-
 rijs interrogatio trina defertur, & confirmatio trina celebratur: nec potest quis nisi trina
 confessione purgari. Vnde & ipse Petrus in Euangelio tertio interrogatur, utrum di-
 ligat dominum, ut trina responsione uincula quæ dominum negando ligauit, absolue-
 ret. Tũ deinde quia ad Cornelium Angelus mittit, Petrũ spiritus sanctus alloquit. Oculi
 enim domini super fideles terræ. Nec illud ociosum, quod cum in superiorib; præmissis-
 set, quod deus mundauit, tu ne cõmune dixeris: subitò decidit super Gentes, ut mūdaret
 eos spiritus sanctus. Vnde ostenditur operationem spiritus, operationẽ esse diuinã. Pe-
 trus autẽ missus ab spiritu, non expectauit imperium dei patris, sed ipsius quoq; spiritus il-
 lud est confessus oraculũ, ipsius spiritus gratiã esse testatus est, dicẽs: Si ergo eandẽ gra-
 tiã illis cõcessit deus, sicut & nobis: ego quis erã qui prohiberẽ deum? Spiritus ergo san-
 ctus est, qui nos ab illa gentili colluuiõẽ mūdauit. In illis enim generibus quadrupedũ et
 ferarum & uolucrũ, figura erat cõditionis humanæ, quæ ferarũ modo, bestialẽ uidet in-
 ducta sæuitiam, nisi spiritus sanctificatione mitescat. Bona ergo gratia, quæ ferinã rabiẽm
 spiritali simplicitate cõmutat. Erasmus enim & nos aliquando insipiẽtes, increduli, erran-
 tes, seruientes desiderijs & uoluptatibus uarijs: Nũc autẽ per renouationẽ spiritus hæredes
 Christi, Angelorũ cœpimus esse cohæredes. Itaq; spiritu uidens Dauid sanctus prophe-
 ta ex feris nos similes futuros esse cœlestium: Increpa, inquit, feras syluæ: syluam uideli-
 cet significans non ferarum fragosam cursibus, nec bestiarum gemitibus inhorrentem,
 sed illam syluam de qua scriptum est: Inuenimus eam in campis syluæ. In qua, sicut dixit
 propheta: Iustus ut palma florebit, & uelut cedrus quæ in Libano est, multiplicabitur. Il-
 la sylua quæ uerbi cœlestis alimoniam propheticarum uerticibus arborum concussa de-
 fluxit. Illa sylua ad quam Paulus lupus quidem raptor intrauit, sed pastor exiuit. In om-
 nem enim terram exiuit sonus eorum. Erasmus ergo fera, & ideo dicit dominus: Atten-
 dite uobis à falsis prophetis qui ueniunt in uestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces.
 Sed per spiritum sanctũ iam leonum sæuitia, pardorũ uarietas, astutia uulpiũ, luponũ ra-
 pacitas de nostris exoleuit affectibus. Magna igitur gratia, quæ cœlo terras mutauit, ut
 conuer-

Acto. 11

Ephes. 2

Psal. 67

Matt. 7

conuersatio nostra, sicut Apostolus dixit, in cœlis sit, qui ante sicut fere errabamus in sy-
 uis. Sed nec hoc tantum loco Petrus Apostolus, sed etiam alibi in eodem libro à spiritu
 Acto. 15 sancto aedificatam Ecclesiam demonstrauit. Habes enim dixisse eum: Deus qui nouit
 corda hominũ, testimonium perhibuit, dans his spiritum sanctum sicut & nobis: & ni-
 hil discreuit inter nos & illos, mundans per fidem corda eorum. In quo illud est contuen-
 dum, quia sicut Christus lapis est angularis, qui unitatem plebis utriusq; connexuit, ita
 etiam spiritus sanctus non discreuit utriusq; populi corda, sed iunxit. Non ergo tãquam
 Iudæus contempnas filium, quem annunciauerunt prophetae, contempnas etiam spiritum
 sanctum, contempnas Esaiam, contempnas Hieremiam, quem de lacu Iudaicæ domus ille
 assumptus à domino pannis & funibus eleuauit. Verbũ enim propheticũ despiciens, in
 lacũ demerserat eũ populus Iudæorũ. Nec quisquã inuētus est de Iudæis qui leuaret pro-
 phetã, sed unus Aethiops Abdemelech, sicut scriptura testat. In quo nomine figura pul-
 cherrima est, quia sermonẽ propheticũ quẽ Iudæi uelut in cœnũ suæ mentis carnisq; de-
 truserant, nos uidelicet ex gentibus peccatores, nigri ante delictis & quondã infructuo-
 Psal. 67 si eleuauimus de profundo. Et ideo scriptũ est: Aethiopia præleuabit manus suas deo. In
 quo sanctæ ecclesiæ species significatur, quæ ait in Canticis canticorũ: Nigra sum & de-
 cora sicut Hierusalẽ. Nigra per culpã, decora per gratiam: nigra per conditionẽ, decora
 per redemptionẽ. Aut certe nigra exercitiũ sui puluere. Nigra ergo, dũ præliatur: deco-
 Psal. 15 xit: Funes ceciderunt mihi in præclaris. Bene pannis, quia ipse dominus excusantib; his
 qui primo ad nuptias uocati fuerant, ad exitus uiarũ misit, ut quotquot inuenirentur: &
 boni & mali, ad nuptias uocarent. His itaq; pannis propheticũ uerbũ leuatur è cœno.

Quia sicut pater nouit filium, & filius patrẽ: sic spiritus patrẽ & filiũ. Et sicut pater
 reuelat nobis quæ sua sunt, sic & filius, sic & spiritus reuelat nobis. Cap. XII

E Ris igitur & tu Abdemelech, hoc est, assumptus à domino, si de profundo gẽ-
 tilis imprudentiæ leuaueris dei uerbum: si credideris quia non fallitur, non
 præteritur dei filius, non ignorat quæ futura sunt, non fallitur etiam spiritus
 Ioan. 16 sanctus, de quo dicit dominus: Cum uenerit autem ille spiritus ueritatis, deducet uos in
 omnem ueritatem. Qui dicit omnem, nihil præterit: non diem, non horam, non præteri-
 ta, non futura. Et ut scias, quia & omnia nouit, & futura annunciat, & unius est scientiæ
 cum patre & filio, audi quid dicat de eo dei ueritas: Non enim loquitur à semetipso, sed
 quæ audit, loquitur: & quæ euenient annũciabit uobis. Itaq; ut aduertas, quia nouit om-
 nia, cũ diceret filius: De die aut̃ illa & hora nemo nouit, neq; angeli cœlorũ, excepti spi-
 ritũ sanctum. Si aut̃ exceptus est spiritus sanctus ab ignorantia, quomodo non exceptus
 est dei filius? Sed dicis: Quia cum Angelis annumerauit & dei filium. Annumerauit qui
 dei filio, ut iam nõ solum quasi Arrianus, sed etiam quasi Fotinianus loquaris: aut agno-
 sce quò referre debeas quod nescire filium dixit. Etenim quasi homo annumerari crea-
 turis potuit, qui creatus est. Quod si uis discere, quia nouit omnia, & præscientiã habet
 omnium dei filius futurorum, quæ filio incognita putas, ea de filio spiritus sanctus acce-
 pit. Accepit aut̃ per unitatem substantiæ, sicut accepit à patre filius. Ille, inquit, me clarifi-
 cabit, quia de meo accipiet & annũciabit uobis. Omnia quæcũq; habet pater, mea sunt:
 ibid. 16 propterea dixi, de meo accipiet, & annunciat uobis. Quid igitur hæc euidentius unita-
 ter quæ habet pater, filij sunt: quæ habet filius, accepit & spiritus. Accipe tamen, quia no-
 Zach. 14 uit iudiciũ diem filius. Lectum est in Zacharia: Et ueniet dominus deus meus & omnes
 sancti cum eo. In illa die non erit lumen, sed frigus & gelu: Et erit dies una, & dies illa no-
 ta domino. Hæc igitur dies nota domino, qui ueniet cum sanctis suis, secundo nos illu-
 minaturus aduẽtu. Sed quod orsi sumus de spiritu persequamur. Habes enim in eo quod
 prætulimus exemplo, quia filius dicit de spiritu: Ille me clarificabit. Clarificat ergo & spi-
 ritus filium, sicut clarificat & pater, sed etiam spiritum clarificat dei filius, sicut supra dixi-
 mus. Non est ergo infirmus, qui reddit mutram claritatem, per unitatem lucis æternæ.
 Nec inferior sancto spiritu, cuius hoc ipsum est quod clarificatur ab spiritu. Assumeris
 ergo & tu si credas, quia hoc locutus est spiritus, quod locutus est pater, quod locutus
 est filius. Deniq; Paulus ideo assũptus est, quia sic credidit, sic docuit: quia quod oculus
 non

non uidit nec auris audiuit, quæ præparauit deus diligentibus se, nobis reuelauit per spiritum suum, sicut scriptum est. Et ideo reuelationis spiritus dicitur, sicut habes: Dat enim deus sic præparantibus se spiritum sapientiæ & reuelationis in cognitionem eius. Unitas igitur est scientiæ, quando sicut pater reuelat qui dat spiritum reuelationis, sic reuelat & filius, quia scriptum est: Nemo nouit filium nisi pater: neq; patrem quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Plus dixit de filio, non quod plus habeat quàm pater, sed ne minus habere credatur. Nec immerito sic reuelatur pater à filio, quia sic nouit patrem filius, quem admodum filium pater nouit. Accipe nunc quia deum patrem nouit & spiritus. Scriptum est enim: Quia sicut ea quæ hominis sunt, nemo nouit nisi spiritus qui in ipso est: sic & quæ dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus dei. Nemo, inquit, cognouit nisi spiritus dei. Nunquid exclusus est dei filius? Nō utiq; quia nec spiritus sanctus exclusus est, cum dicitur: Neq; patrem quis nouit nisi filius. Ergo unius & pater & filius & spiritus sanctus & naturæ sunt & scientiæ. Neq; cum omnibus quæ per filium facta sunt annumerandus est spiritus, cum deum patrem nouerit, quem (sicut scriptum est) quis potest nosse nisi filius: sed & spiritus sanctus nouit. Quid ergo? cum dicitur uniuersitas creaturarum, non spiritus sanctus comprehenditur. Nunc uelim respondeant, quid est in homine quod cognoscat quæ sunt hominis. Vtiq; rationabile, quod cæteris animæ uirtutibus supereminet, & quo præcipue natura hominis æstimatur. Quid est igitur spiritus, qui alta dei nouit, per quæ deus omnipotens reuelatur? Nūquid plenitudine diuinitatis inferior est, qui eiusdem cum patre substantiæ etiam hoc exemplo probatur? Aut aliquid ignorat qui nouit cōsilia dei, & mysteria eius ab initio abscondita? Quid est quod nesciat, qui nouit omnia quæ dei sunt? Spiritus enim etiā alta dei scrutatur. Ac ne putes quod scrutetur incognita, & ideo scrutetur ut discat id quod ignorat: antè præmisit, quia reuelauit nobis deus per spiritum suum: simul ut disceres, quia nouit spiritus quæ nobis per ipsum spiritum reuelantur, in posterioribus ait: Quis enim scit hominū quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sic & quæ dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus dei. Ergo si hominis spiritus nouit quæ hominis sunt, & antequam scrutetur nouit, potest ne aliquid dei esse, quod spiritus dei nesciat? De quo non ociose Apostolus dixit: Quæ dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus dei: ut nō scrutādo cognouerit, sed nouerit per naturam. Non quod accidens in eo scientia diuinorū, sed cognitio naturalis sit. Verū si te mouet, quia dixit scrutatur, accipe quia id quoq; de deo scriptum est, eo quod sit scrutator cordis & renum. Ipse enim dixit: Ego sum scrutans corda & renes. Etiam de filio dei habes ad Hebraeos: Qui scrutator est animi & cogitationis. Vnde liquet, quia nemo inferior superioris scrutatur interna. Diuinæ enim solius est potestatis, occulta nouisse. Similiter ergo scrutator est spiritus sanctus ut pater, similiter scrutator & filius, cuius proprietate sermo nis id exprimitur, ut uideatur nihil esse quod nesciat, quem nihil præterit. Deniq; ille electus à Christo, instructus ab spiritu est. Nā sicut ipse testatur, per spiritum diuini cognitionem consecutus arcani, ostendit quia & nouit spiritus deum, & ea nobis quæ dei sunt spiritus reuelauit, sicut reuelauit & filius. Et addidit: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, ut sciamus quæ à deo donata sunt nobis, quæ & loquimur: non in suasijs humane sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus & uirtute dei. Probatū est igitur, quia sicut deus nobis quæ sua sunt reuelauit, ita & filius quæ dei sunt, ita etiam spiritus reuelauit. Ex uno enim spiritu per unum filium, in unum patrem cognitio nostra procedit, & ex uno patre, per unum filium, in unum spiritum sanctum bonitas & sanctificatio & imperiale ius aternæ traditur potestatis. Vbi ergo ostensio spiritus, ibi dei uirtus: nec potest esse discretio, ubi opus unum est. Et ideo quod loquitur filius, loquitur & pater: & quod pater loquitur, loquitur & filius: & quod loquitur pater & filius, loquitur & spiritus sanctus. Vnde & de spiritu filius dei dixit: Non enim loquitur à se, hoc est, nō sine mea & patris cōmunionem. Neq; enim diuisus ac separatus est spiritus, sed que audit loquitur: audit uidelicet per unitatē substantiæ & per proprietatem scientiæ. Neq; enim foraminibus aliquibus corporalibus recipit auditū, & quibusdam diuina modulis carnalibus uox resultat, uel audit id quod ignorat, quoniam in rebus humanis scientiam plerumq; auditus operatur, & tamen nec in ipsis hominibus semper alloquium corporale, aut carnalis auditus est. Qui enim loquitur linguis, non hominibus, inquit, loquitur,

Matth. 11

1. Corin. 2

Hierem. 17

1. Cor. 2

Ioan. 15

sed deo. Nemo enim audit, spiritus enim loquitur mysteria. Ergo si in hominibus non semper auditus est corporalis, in deo tu infirmitatis humanae sonitus, & quaedam organa exigis carnalis auditus, cum ideo audire dicat, ut scire credat? Nos enim id scimus quod audierimus: & ante audimus, ut scire possimus. In deo autem, quia nouit omnia ante quae fiant, scientia praecedit auditum. Itaque ut quod uelit pater, filium non ignorare dicamus, audisse memoramus. Sed in deo non sonus neque syllaba quae significare solent indicium uoluntatum, sed uoluntatis unitas diuinis quidem intelligitur arcanis, nostris autem significatur indicijs. Quid est ergo, non enim a se loquitur: hoc est, non sine me loquitur, quia loquitur ueritatem, sapientiam aspirat. Non sine patre loquitur, quia dei spiritus est: non a se audit, quoniam ex deo omnia. Omnia accepit a patre filius, quia ipse dixit: Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Omnia patris habet filius, quia iterum ait: Omnia quae pater habet, mea sunt. Et quae accepit ipse per unitatem naturae, ex ipso per eandem unitatem accepit & spiritus, sicut ipse dominus Iesus declarat de spiritu suo dicens: Propterea dixi, de meo accipiet, & annuntiabit uobis. Quod ergo loquitur spiritus, filij est: quod dedit filius, patris est. Ita nihil a se aut filius loquitur aut spiritus, quia nihil extra se trinitas loquitur. Quod si ad infirmitatem spiritus sancti & quandam corporeae similitudinē uilitatis id deriuari contendas, etiam ad filij iniuriā deriuabis, quia & de se filius dixit: Sicut audio, iudico. Et non potest aliud facere filius, nisi quod uiderit facientem patrem. Si enim uerum est, uerum est quod dixit filius: Omnia quae pater habet mea sunt, & secundum diuinitatem unum est cum patre filius unum per substantiam naturalem, non unus secundum Sabellianam perfidiam. Quod unum itaque est per substantiae proprietatem, non potest separari: & ideo non potest filius facere nisi quod audierit a patre, quia in aeternum est permanentis dei uerbum, nec unquam pater a filij operatione diuiditur: & quod operatur filius scit patrem uelle: & quod uult pater, filium nouit operari. Denique ne uel in tempore uel in ordine aliquam inter patrem & filium putares operis esse distantiam, sed eiusdem operationis crederes unitatem, Et opera, inquit, quae ego facio, ipse facit. Et rursus ne discretionem aliquam in operis distinctione sentires, sed idem uelle, idem facere, idem posse patrem & filium iudicares, dicit tibi sapientia de patre. Quaecumque enim ille fecerit, eadem & filius facit similiter. Non ergo alicui prior uel secundus est actus, sed idem unius operationis effectus. Et ideo nihil a se posse facere filius dicitur, quia a patre non potest eius operatio separari. Similiter & spiritus sancti operatio non secernitur. Unde etiam ea quae loquitur, audire a patre dicitur. Quid si doceo, quia & pater audit filium, sicut & filius audit patrem: Habes enim scriptum in Euangelio, quia dicit filius: Pater, gratias tibi ago, quia audisti me. Quomodo audiuit pater filium, cum filius nihil ad patrem in superioribus de Lazaro sit locutus: Ac ne putares, quia semel a patre auditus est filius, addidit: Et ego sciebam, quia semper me audis. Ergo non subiectae obedientiae, sed unitatis auditus est sempiternae. Similiter igitur & audire a patre spiritus, & clarificare filium dicitur. Clarificare ideo, quia docuit nos spiritus sanctus filium dei imaginem esse inuisibilis dei, & splendorem gloriae, & characterem substantiae eius. Spiritus enim & in patriarchis & in prophetis locutus est: & Apostoli denique tunc perfectiores esse coeperunt, posteaquam spiritum receperunt. Nulla ergo distantia diuinae uirtutis & gratiae. Nam licet diuisiones gratiarum sint, idem tamen spiritus: & diuisiones ministeriorum sint, idem tamen dominus: & diuisiones operationum sint, idem tamen deus qui operatur omnia in omnibus. Diuisiones autem sunt munerum, non separationes trinitatis. Denique idem est deus, qui operatur omnia in omnibus, ut scias quia non est discretio operationis inter deum patrem & spiritum sanctum, quando ea quae operatur spiritus, operetur & pater deus, qui operatur omnia in omnibus. Nam cum operetur omnia in omnibus pater, alij tamen datur per spiritum sermo sapientiae, alij sermo scientiae secundum eundem spiritum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij gratia curationum in uno spiritu, alij operatio uirtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Non est ergo dubium, quin ea quae operatur pater, operetur & spiritus. Nec ex praeepto, sicut qui corporaliter audit operatur: sed ex uoluntate, qui sui est liber arbitrij, non alienae famulus potestatis. Non enim quasi iussus obtemperat, sed quasi largitor suae moderator est largitatis.

gitatis. Vide nunc interim, utrum omnia operari dicas spiritum, quæ operatur & pater. Negare tamē non potes, quia operatur pater, quæ operatur spiritus sanctus: alioquin nō omnia operatur pater, si nō operatur quæ operatur & spiritus. Quod si ea quæ operatur spiritus, operatur & pater, cum spiritus operationes suas pro uoluntate sua diuidat, necesse est id quod diuidit spiritus, aut inuito patre deo dicas eum ex sua uoluntate diuidere: aut si idem uelle dixeris patrem, quod uult spiritus sanctus, necesse est ut unitatē uoluntatis operationisq; diuinę uel inuitus, & si non corde, saltem ore fatearis. Quod si unius & uoluntatis & operationis est cū patre deo spiritus sanctus, unius etiam substantiæ est: quoniam ex operibus suis creator agnoscitur. Idem igitur spiritus, idē, inquit dominus, idem, inquit, deus. Et si spiritum dicas, idē est: & si dominum dicas, idem est: & si deū dicas, idem est. Non idem ut ipse pater, ipse filius, ipse sit spiritus: sed quia & pater & filius eiusdem est potestatis. Idem ergo est per substantiam atq; uirtutem, quia non est in diuinitate uel Sabelliana confusio, uel Ariana discretio, uel terrena corporalisq; mutatio. Accipe aliud sancte Imperator, in causa ualidum, & tibi notum. Multifariam, inquit, & Hebr. i multis modis etiam deus locutus est patribus in prophetis. Et Sapientia dei dixit: Mittā prophetas & apostolos. Et alij datur (sicut scriptum est) per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia curatio, alij operatio uirtutis, alij prophetia. Ergo secundum Apostolum non solū per patrem & filium, sed etiam per spiritum sanctum prophetia, & ideo unum munus, una est gratia. Habes ergo quia etiam spiritus author est prophetarum. Apostoli quoq; dixerunt: Uisum est spiritui sancto & nobis. Et cum dicunt, uisum, non solum operatorem Acto. 15 gratiæ, sed etiam authorem imperatæ executionis ostendunt. Sicut enim de deo legimus, placuit deo, ita etiam cū dicitur, quia uisum est spiritui sancto, arbiter suæ exprimitur potestatis. Et quomodo nō arbiter, qui ea quæ uult loquitur, quæ uult mandat: Sicut Acto. 3 mandat pater, mandat & filius. Sicut enim audiuit Paulus uocem dicentē sibi. Ego sum, inquit, Iesus, quē tu persequeris, ita etiam spiritus Paulum & Sylam uetuit ire in Bithyniam. Et sicut pater locutus est per prophetas, ita etiam de spiritu Agabus dicit: Hæc dicit spiritus sanctus: Virum cuius est zona hæc, sic alligabunt eum in Hierusalē. Et sicut misit Sapientia Apostolos, dicens: Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangeliū, sic & spiritus sanctus dicit: Separate mihi Paulum & Barnabā in opus quod uocaui eos. Itaque præmissi à spiritu sancto, quod infra scriptura indicat, nullam discretionem inter ceteros habuerunt Apostolos, quasi aliter à patre deo, aliter à spiritu mitterentur. Denique cum Paulus missus esset à spiritu, & uas electionis erat Christi, & deum in se operatum esse commemorat, dicens: Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisio Galat. 2 nis, operatus est & mihi ad Gentes. Cū igitur idem sit operatus in Paulo, qui est operatus in Petro, hoc utiq; ostenditur quom spiritus sit operatus in Paulo, quod etiam in Petro spiritus sanctus operatus sit. Sed & deū patrē in se operatum Petrus ipse testatur, sicut est in Actibus apostolorum, quia surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, uos scitis quia à diebus antiquis in nobis deus elegit ex ore meo audire nationes uerbum euangelij. Ecce igitur in Petro deus gratiam prædicationis operatus est. In quo, utiq; cū per Christum electus sit & assumptus, operationem Christi quis audeat diffiteri, cū ipse dominus dicat: Pasce agniculos meos: Vna igitur operatio patris & filij & spiritus sancti. Nisi forte hoc putetis, qui negatis eiusdem erga apostolos operis unitatem, ideo operatum patrem, ideo operatum spiritum in Petro in quo filius operatus fuerat, quasi ei filij operatio minimè redundaret ad gratiam, Et ideo uelut adiunctis atq; collatis uiribus patris & filij & spiritus sancti operationem fuisse multiplicem, ne ad cōfirmandum Petrum Christi solius operatio uacillaret. Nec solum una operatio in Petro patris & filij & spiritus sancti inuenitur sed etiam in omnibus Apostolis diuinę operatiōis unitas reuelatur, & quædam supernæ constitutionis autoritas. Operatio enim diuina habet imperium, non habet ministeriū. Neq; enim cū operatur deus, aut labore aliquid extundit, aut arte, sed dixit, & facta sunt. Dixit: Fiat lux, & facta est lux. In præcepto enim dei, operationis effectus est. Hanc igitur regalem quandam etiam sancto spiritui potestatem scripturarum testificatione delatam, si uelimus aduertere, facile possumus reperire, omnes Apostolos non solum Christi fuisse discipulos, sed etiam patris & filij & spiritus

2. Corin. 12 sancti ministros. Sicut etiam doctor Gentium docet, dicens: Quosdam quidem posuit
 deus in ecclesia, primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, Deinde virtu-
 tes, gratiam curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, &c. Ecce
 deus posuit Apostolos, posuit prophetas atque doctores, dedit curationum gratiam,
 quam supra habes dari per spiritum sanctum, dedit genera linguarum: sed tamen non
 omnes Apostoli, non omnes Prophetæ, non omnes Doctores. Non omnes, inquit, ha-
 bent gratiam curationum, neque omnes, inquit, linguis loquuntur. In singulis enim homi-
 nibus uniuersa dona diuina esse non possunt: pro captu unusquisque id accipit, quod aut
 desiderat, aut meretur. Sed non huius infirmitatis similis potentia trinitatis, quæ omnium
 munifica gratiarum est. Denique posuit Apostolos deus. Hos quos deus posuit in eccle-
 Marc. 16 sia Christus elegit, & apostolos ordinauit, & in orbem direxit, dicens: Ite in orbem uniu-
 uersum, & prædicate Euangelium omni creatura: & qui crediderit, & baptizatus fuerit
 saluus erit: qui uero non crediderit, damnabitur. Signa autem credentes ista sequentur.
 In nomine meo demonia eicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mor-
 tiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent & bene habebunt.
 Ecce Doctores posuit pater, posuit etiam Christus in Ecclesiis. Et sicut pater dat gra-
 tiam curationum, ita dat & filius. Sicut pater dat dona linguarum, ita largitur & filius.
 Similiter de sancto spiritu supra accepimus, quia eadem gratiarum genera largiatur. Da-
 tur enim, inquit, per spiritum alij gratia curationum, alij genera linguarum, alij prophe-
 tia. Ergo eadem dat spiritus, quæ dat pater, dat etiam filius. Accipiamus nunc expressius
 quod superius prælibauimus, quia idem quod pater & filius, etiam spiritus sanctus man-
 det officium, eosdemque constituat. Dixit enim Paulus: Attendite uobis & omni gregi in
 Acto. 20 quo posuit uos spiritus sanctus episcopos regere Ecclesiam dei. Unitas igitur imperij,
 unitas constitutionis, unitas largitatis. Nam si constitutionem separet & potestatem,
 quæ erat causa ut quos posuerat Apostolos Christus, poneret deus pater, poneret & spi-
 ritus sanctus, nisi forte ut homines tanquam in consortio possessionis aut iuris præiudi-
 cium uerebantur: Et ideo diuidebatur operatio, destruebatur imperium. Hæc inter ipsos
 homines angusta sunt & minuta, qui plerumque tamē etiā si operatione non congruunt, con-
 gruunt uoluntate. Vnde quidam interrogatus quid amicus esset, alter, inquit, ego. Si er-
 go homo amicum ita definiuit, ut alterum se esse diceret, per unitatem uidelicet amoris
 & gratiæ, quanto magis in patre & filio & spiritu sancto unitatem maiestatis æstimare
 debemus cum per eandem operationem ac diuinitatem uel unitas uel certe id quod am-
 plius est, τῶν τῶν sicut græcè dicitur, exprimat: τῶν τῶν enim idem significat: eo quod
 idem habeat & pater & filius & spiritus sanctus, ut idem uelle & idem posse non affe-
 ctione sit uoluntatis, sed in substantia trinitatis. Hæc est Apostolica fidei & deuotionis
 hæreditas, quam licet ex ipsorum considerare Actibus. Paruerunt ergo Paulus & Bar-
 nabas sancti spiritus imperatis. Paruerunt & omnes Apostoli, statimque eos quos separari
 iusserat spiritus ordinauerunt. Separate, inquit, mihi Paulum & Barnabam. Videtis iu-
 bentis imperium? Spectate merita seruientium. Credidit Paulus: & quia credidit, studia
 persecutoris abiicit, coronam iustitiæ reportauit. Credidit ille qui Ecclesias deuastabat,
 sed conuersus ad fidem: prædicabat in spiritu, quod spiritus imperabat. Vngebat athle-
 tam suum spiritus, & puluere impietatis excusso, debellatorem infidelium ineluctabilē
 uarijs impiorum congressionibus offerebat, atque ad brauiū supernæ uocationis in Chri-
 sto Iesu diuersis passionibus erudiebat. Barnabas quoque credidit, & quia credidit paruit.
 Itaque sancti spiritus electus imperio, quod ei ad omne redundat insigne meritorum, non
 fuit tanto indignus collegio. Vna enim gratia fulgebat in his quos spiritus unus elegerat.
 Nec Paulus inferior Petro, quamuis ille ecclesiæ fundamentum, & hic sapiens archi-
 tectus sciens uestigia credentium fundare populorum. Nec Paulus inquam indi-
 gnus Apostolorum collegio, cum primo quoque facile conferendus,
 & nulli secundus. Nam qui se imparem nescit,
 facit æqualem.

F I N I S.

Capitula

CAPITA LIBRI TERTII DE SPIRITV SANCTO.

- Quia spiritus super Christum, & sicut filius spiritum misit, ita & spiritus filium dei misit. Cap. I
- Quia datus spiritus sicut & filius. Cap. II
- Quia digitus dei lectus est spiritus, quo significatur unitas diuinitatis, non inæqualitas trinitatis. Cap. III
- Quia sicut cooperatus est patri & filio spiritus sanctus in nube & in mari cum liberaretur populus Iudæorum, ita & cooperatur in mysterio baptismatis. Cap. IIII
- Quia sanctificat pater, sanctificat filius, sanctificat & spiritus sanctus. Cap. V
- Quia eadem sunt opera manuum quæ sint opera digitorum. Cap. VI
- Quia sicut arguit pater, ita arguit filius, ita arguit & spiritus: & quia iudicat spiritus. VII
- Sicut lectum est quod uerbi gladius spiritus sit, ita lectum est quod spiritus sancti gladius uerbum dei sit. Cap. VIII
- Quia similiter ut pater & filius, ita etiam spiritus contristatus & exasperatus, & tentatus à Iudæis legitur. Cap. IX
- Quia deus spiritus secundum Petri sententiam in Actibus Apostolorum. Cap. X
- Quia deus est spiritus secundum Euangelium. Cap. XI
- Quia adoratur spiritus sanctus sicut pater & filius, & cum patre & filio adoratur in maiestate dei. Cap. XII
- Quia deus spiritus sanctus est secundum Apostolum, & quia templum sumus spiritus, sancti, sicut & dei patris & domini Iesu Christi. Cap. XIII
- Quia non tres dii, sed unus deus. Cap. XIII
- Quia dominus spiritus sanctus, sicut pater & filius. Cap. XV
- Quia bonus spiritus dei, & spiritus ueritatis, & omnem insinuat ueritatem. Cap. XVI
- Quia non tres domini, sed unus dominus. Cap. XVII
- Quia sicut pater sanctus, ita filius sanctus, ita & spiritus dei sanctus. Cap. XVIII
- Collectio, quia spiritus deus, quoniam & sine peccato est, & peccata donat, & creator est, & seruimus ei, & adoratur. Hæc enim omnia dei sunt, & quia à morte suscitatur. Cap. XIX
- Quia sicut pater & filius, ita & spiritus sanctus suscitatur mortuos. Cap. XX
- Quia spiritus in dei sede, & unum regnū patris & filij & spiritus sancti indiuisum. XXI
- Quia dominus sabaoth etiam spiritus sanctus. Cap. XXII
- Quia omnipotens etiam spiritus dei. Cap. XXIII

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIO

LANENSIS LIBER TERTIVS DE SPIRITV

SANCTO AD GRATIANVM

AVGVSTVM.

Quia spiritus super Christum, & sicut filius spiritum misit, ita & spiritus filium dei misit. Cap. I



Vperiore libro euidentijs testimonijs scripturarum docuimus, Apostolos & Prophetas, illos ad prophetandum, hos ad Euangelizandum à sancto spiritu, sicut à patre & à filio designatos: nunc adijcimus quod omnes iure mirentur, & dubitare non possint, quod spiritus super Christum, & quod sicut ille spiritum misit, ita & filium dei spiritus misit: Dicit enim filius dei: Spiritus domini super me, propter quod unxit me, Euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, & cæcis uisum. Quod cum de libro Esaiaë legeret, ait in Euangelio: Hodie completa est hæc scriptura in auribus uestris, ut de se dictum esse signaret. Ergo mirari possumus si & prophetas & Apostolos spiritus misit, cum Christus dixerit: Spiritus domini super me: Et bene, super me dixit, quia quasi filius hominis loquebatur. Quasi filius enim hominis & unctus

Ambr. 10. 2

11 3 &

Ionn. 1

& missus est ad Euangeliū prædicandum. Sed si non creditur filio, audiant etiam pa-
 Ioan. 1 trem loquentem, quia spiritus domini super Christum. Dicit enim Ioanni: Super quem
 uideris spiritum descendantem de cælo & manentem super eum, hic est qui baptizat in
 spiritu sancto. Dixit hoc deus pater Ioanni: Ioannes & audiuit, & uidit, & credidit. Au-
 diuit à deo, uidit in domino, credidit quia spiritus erat qui descendebat de cælo. Non e-
 Marc. 1 nim columba, sed sicut columba, descendit. Sic enim scriptum est: Et uidi spiritum dei
 Luc. 3 descendentem de cælo sicut columbam. Sicut Ioannes uidisse se dicit, ita scripsit & Mar-
 cus. Lucas autem addidit, quod corporali specie descendit spiritus sanctus sicut colūba,
 ne incarnationem illam putes fuisse, sed speciem. Ideo autem speciem præterdit, ut per
 speciem crederet, qui spiritum non uidebat: & per speciem declararet unius honoris in
 imperio, unius operationis in ministerio, unius muneris in lauacro cum patre & filio si-
 bi esse consortium: nisi forte inualidū credimus, ut in eo baptizetur seruulus, in quo ba-
 ptizatus est dominus. Pulchre autem dixit, manentem super eum, quia ad prophetas
 quotiens uolebat spiritus uel inspirabat uerbum uel fiebat, semper autem manebat in
 Christo. Nec rursum moueat, quod super eum dixit: De filio enim hominis loquebatur,
 quia sicut filius hominis baptizabatur. Nam secundum diuinitatem nō super Christum
 est spiritus, sed in Christo: quia sicut pater in filio, & filius in patre: ita dei spiritus & spi-
 ritus Christi & in patre est & in filio, quia oris est spiritus. Manet enim in deo qui ex deo
 1. Cor. 2 est, sicut scriptum est: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum
 qui ex deo est. Et manet in Christo, quia à Christo accepit: & in Christo est, quia iterum
 Ioan. 16 scriptum est: Ille de meo accipiet. Et alibi: Lex enim spiritus uitæ in Christo Iesu libera-
 Rom. 8 uit me à lege peccati & mortis. Non ergo secundum diuinitatem Christi super Chri-
 stum est, quia non super se est trinitas, sed super omnia. Supra se autem non est, sed in se
 est. Quis ergo dubitet, quia prophetas & Apostolos spiritus misit, cum dicat dei filius:
 Luc. 4 Spiritus domini super me. Et alibi: Ego sum primus, & ego in æternum, & manus mea
 Esa. 44 fundauit terram, & dextera mea solidauit cælum: uocabo eos, & astabunt simul, & con-
 gregabuntur omnes & audient. Quis illis hæc denunciauit? Diligens te, feci uolunta-
 tem tuam aduersus Babylonem, ut tollatur semen Chaldaeorum: Ego locutus sum, & e-
 go uocaui, adduxi eum, & prosperum iter eius feci. Accedite ad me, & audite hæc: Non-
 ne ab initio locutus sum: cum fierent, illic eram: & nunc dominus misit me, & spiritus
 eius. Quis est qui dicit, Misit me dominus, & spiritus eius, nisi qui uenit à patre ut saluos
 faceret peccatores? Quem ut audis, & spiritus misit: ne cum legis, quia filius spiritū mit-
 tit, inferioris esse spiritum crederes potestatis. Ergo & pater filium misit & spiritus, spi-
 ritum quoque & pater misit & filius. Pater misit, quia scriptum est: Paracletus autem ille
 Ioan. 14 spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo. Filius misit, quia dixit: Cum uenerit
 autem paracletus quem ego mittam uobis à patre meo, spiritum ueritatis. Si ergo se in-
 uicem filius & spiritus mittunt, sicut pater mittit: non subiectionis iniuria, sed commu-
 nitas potestatis est.

Quia datus est spiritus sicut & filius, Cap. II
 Galat. 1 Et solum misit pater filium, sed etiā dedit, sicut ipse se filius dedit. Lectum est
 enim nobis: Gratia uobis à deo patre nostro, & domino Iesu Christo, qui se
 dedit pro peccatis nostris. Si subiectum in eo putant fuisse, quia missus est:
 gratiæ esse negare non possunt, quod datus est. Datus est autem à patre, ut Esaias dixit:
 Esaie. 9 Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Datus est autem a deo dicere & ab spiritu,
 qui missus ab spiritu est. Cum enim non finierit à quo datus sit, ostendit datum gratia tri-
 nitatis: cum autem ipse se filius dederit, utique non potuit ipse sibi secundum diuinitatem
 esse subiectus. Ergo non potuit diuinæ subiectionis esse quod datus est. Datus est au-
 tem & spiritus sanctus, quia lectum est: Rogabo patrem, & alium paracletum dabit uo-
 Ioan. 14 bis. Et Apostolus ait: Quapropter qui hæc spernit, non hominem spernit, sed deum:
 qui dedit spiritum suum in nobis. Esaias quoque & spiritum datum ostendit & filium.
 Sic inquit: Dicit dominus qui fecit cælum, & finxit illud, qui solidauit terram, & quæ in
 ea sunt, & dat populo qui est super eam spiritum, & spiritum calcantibus eam. Et ad filiū
 Ego dominus deus, qui uocaui te in æquitate, & tenebo manum tuam, & confortabo
 te, & dedi te in testamentum generis mei, in lucem gentium, aperire oculos cæcorum,
 educere

educere de uinculis alligatos. Cum ergo & filius & missus & datus sit, spiritus quoque missus & datus sit: habent utiq; unitatem diuinitatis, qui habent operis unitatem. Vnde etiam & digitus dei appellatus est spiritus, eo quod sit patri & filio & spiritui sancto in diuidua inseparabilisq; cōmunio. Nam sicut filium dei scriptura dexterā dei dixit, sicut lectū est: *Dextera tua domine glorificata est in uirtute, dextera manus tua domine confregit inimicos, ita spiritus sanctus appellatus est digitus dei, sicut ipse dominus dicit: Quod si in digito dei eijcio dæmonia. Hunc enim digitū in alio libro euangelij eodē loco dei spiritum nominauit. Sic enim habes: Quod si in spīitu dei eijcio dæmonia. Quid igitur expressius ad significandam diuinitatis uel operationis dici potuit unitatē, quę secundum diuinitatem est patris uel filij uel spiritus sancti, quā ut intelligamus, multo magis quā corpus hoc nostrum æternæ plenitudinē diuinitatis scindi uideri, si quis unitatem substantiæ separet, multiplicet potestates, cum una sit eiusdem diuinitatis æternitas: Plerumq; enim ex nostris sermonibus ea quę supra nos sunt, conuenit æstimari. Et quia illa uidere non possumus, ex his quę uidere possumus, colligamus. Inuisibilia enim eius à creatura mundi per ea quę facta sunt intellecta conspiciuntur. Et subdidit: Sempiterna quoq; uirtus eius & diuinitas. Quorum aliud de filio, aliud de spiritu sancto dictum uide: ut quemadmodum sempiterna uirtus patris dicitur filius, ita etiam spiritus qui diuinus est, sempiterna diuinitas esse credatur. Nam & filius quia semper uiuit, uita sempiterna est. Hic ergo digitus dei & sempiternus est, & diuinus. Quid enim dei propriū quod nō sempiternū sit & diuinū? Hoc digito (sicut legimus) tabulas illas lapideas inscripsit, quas Moyses accepit. Nō enim carnali digito deus harum literarū, quas legimus, apices & elementa formauit, sed spiritu suo dedit legem. Et ideo Apostolus dixit: Lex enim spiritalis est, quę utiq; nō atramento inscripta est, sed spiritu dei uiuū: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Nam si Apostoli epistola scribitur in spiritu, quid obstat quo minus etiam legem dei non atramento, sed spiritu dei scriptam credere debeamus: quę utiq; cordis nostri mentisq; secreta nō maculat, sed illuminat. Scripta est autē in tabulis lapideis, quia in typo scripta. Sed tabulæ fractæ primo sunt & abiectæ de Moyse manibus, quia Iudæi prophetis operibus exciderunt. Et bene tabulæ fractæ sunt, non scriptura deleta. Et tu uide ne frangatur tabula tua, ne mens tua & animus diuidatur. Nunquid diuisus est Christus? Non diuisus est, sed unum est cum patre: & te nemo ab eo separet. Si fides deficiat, tabula cordis tui frangitur. Cōminuitur animi firmitudo, si unitatem diuinitatis in trinitate non credas. Scripta est & fides tua, scripta est & culpa tua, sicut Hieremias dixit: Scripta est Iuda culpa tua graphio ferreo & uigule adamantino. Et scripta est, inquit, in pectore & in corde tuo. Ibi igitur culpa est, ubi gratia. Sed culpa graphio scribitur, gratia spiritu designatur. Hoc digito mysticē etiam dominus Iesus inclinato capite scribebat in terra, cum à Iudæis adultera esset oblata: significans per figuram, quando de peccatis alterius iudicamus, nostri nos debere meminisse peccati. Ac ne rursus, quia legem deus spiritu suo scripsit, inferius aliquid tanquam de ministerio spiritus crederemus, uel ex corporis nostri æstimatione portionem quandam exiguam dei spiritum putarem, ait alibi Apostolus: Non se humanæ scientiæ uerbis loqui, sed doctis spiritus, & spiritalibus spiritalia cōparare: animale autē non percipere quę sunt spiritus dei. Sciebat enim quod is qui diuina carnalibus compararet, inter animalia esset, non inter spiritalia homines computandus: stultitia enim, inquit, illi est. Et ideo quia sciebat has futuras esse animalium hominum quęstiones, præfagus futuri ait: Quis enim cognouit sensum domini, qui instruat eū? Nos autē sensum Christi habemus:*

Quia digitus dei lectus est spiritus, quo significatur unitas diuinitatis non in-

æqualitas trinitatis.

Cap. III

Ed si quis adhuc carnalibus inheret ambiguus & corporalibus uacillat exemplis, consideret quia non potest bene sentire de filio, qui potest male sentire de spiritu. Nam si ideo portionem quandam exiguam putant esse spiritū dei quia digitus dei dicitur, idē utiq; & portionē exiguā dicūt esse in filio dei, quia dextera dei dicitur, sed filius & dextera & uirtus dicitur. Itaq; si uerba nostra pendamus, nulla potest sine uirtute esse perfectio: & ideo caueant ne putent, quod nefas dictu est, semiperfectum in sua substantia patrem perfectionem accepisse per filium, & desinant coæter-

Exod. 15

Luc. 11
Matth. 23

Rom. 1

2. Corin. 3

1. Tim. 3

Hier. 17

Ioan. 8

num filium patri negare. Quando enim non fuit dei uirtus? Quod si aliquando putant non fuisse dei uirtutem, aliquando plenitudinem in deo patre negabunt fuisse, cui putent aliquando defuisse uirtutem. Sed hæc, ut dixi, scripta sunt, ut ad unitatem diuinitatis ista referamus, & credamus quod Apostolus dixit. Quia plenitudo diuinitatis corporaliter habitat in Christo, & habitat in patre & habitat in spiritu sancto: & quod sicut unitas diuinitatis, ita & unitas operationis sit. Quod etiã ex cantico Moyli colligi potest. Ipse enim cum per maria traduxisset populum Iudæorum, & dei patris operationem & filij est confessus & spiritus, dicēs: Dextera manus tua domine glorificata est in uirtute, dextera manus tua confregit inimicum. Habes quia & filium sit confessus & patrem cuius est dextera. Et infra, ne spiritum sanctum præteriret, adiecit: Misisti spiritum tuum, & cooperuit eos mare.

Quia sicut cooperatus est patri & filio spiritus sanctus in nube & mari cum liberaretur populus Iudæorum, ita cooperatur in mysterio baptismatis. **Cap. IIII**
V Ides igitur quia & spiritus sanctus cooperatus patri & filio sit, ut tanquã congelascentibus fluctibus in medio mari, aquarum quidam murus insurgeret ad transitum Iudæorum, & rursus Aegyptiorum populum per spiritum refusus obrueret. Inde & columnam nubis pleriq; præcessisse in die populo Iudæorum, & columnam ignis in nocte arbitrantur, quod protegeret plebem suam gratia spiritalis. Hæc autem operationem dei quã totus orbis iure miratur, sine sancti spiritus opere non fuisse, etiã Apostolus declarauit, dicens in figura illa præcessisse spiritalis mysterij ueritatem. sic enim habes: Quoniã patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moysse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escã spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Nam quemadmodum typus sacramenti potuit esse sine operatione spiritus sancti, cuius ueritas omnis in spiritu est: Quod & Apostolus docuit, dicēs: Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu dei nostri. Vides igitur quia & pater operatur in filio, & filius operatur in spiritu: Et ideo secundum seriem scripturarũ, noli dubitare in figura fuisse, quod in ueritate esse ipsa etiã Veritas declarauit. Quis em̄ operationẽ eius abnuat in lauacro, in quo operationẽ eius sentimus & gratiã?

Quia sanctificat pater, sanctificat filius, sanctificat spiritus sanctus. **Cap. V**
N Am sicut sanctificat pater, ita sanctificat & filius, sanctificat & spiritus. sancti ficat pater secundum quod scriptum est: Deus pacis sanctificet uos, ut integer spiritus uester & anima & corpus sine querela in dei domini nostri Iesu Christi seruetur. Et alibi filius dicit: Pater, sanctifica eos in ueritate. De filio autem idem **Ioan. 17**
1. Corin. 1 Apostolus dixit: Qui factus est nobis sapientia à deo & iustitia & sanctificatio & redemptio. Vides quia factus est sanctificatio? Sed factus est nobis, non ut ille mutaret quod erat, sed ut nos sanctificaret in carne. Spiritũ quoq; sanctificare Apostolus docet. Sic enim dicit: Gratias agere debemus deo semper pro uobis fratres dilectissimi à domino quia elegit uos deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritus & fide ueritatis. Ergo sanctificat pater, sanctificat & filius, sanctificat & spiritus: sed una est sanctificatio quia unum est baptisma, & una gratia sacramenti.

Quia eadem sunt opera manuum, quæ sunt opera digitorum. **Cap. VI**
S Ed quid mirum si sanctificat singulos ipse sanctificatione non indigens, sed redundans: quando tantam, ut dixi, maiestatem eius accipimus, ut tanquã digitus à corpore, ita à deo patre inseparabilis uideatur spiritus sanctus: Quod si quis ad diminutionem non ad unitatem potestatis putat esse referendum, is profecto in eam amentiam cadet, ut tanquam in unam uelut corporis formam patrem & filium & spiritum sanctum uideatur effingere, & distinctiones quasdam figurare membrorũ. Sed accipiãt, ut sepius dixi, non inæqualitatem, sed unitatem potestatis hac testificatione signari, quando quidem quæ opera dei sunt, eadem sint opera manuum, eadem etiam **Psal. 18**
Psal. 101 legerimus opera esse digitorum. Scriptum est enim: Cœli enarrant gloriam dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Et alibi: In initio terram tu fundasti domine, & opera manuum tuarum sunt cœli. Eadem igitur sunt opera manuum, quæ sunt opera dei. Nõ ergo aliqua pro membrorum corporalium qualitate discretio operationis, sed unitas potestatis

potestatis est. Quæ autem opera sunt manuum, eadem opera digitorum, quia æque scriptum est: quoniam uidebo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas quas tu fundasti. Quid hic igitur digiti minus quam manus fecisse produntur, cum idem fecerint digiti quod manus? Sicut scriptum est: quoniam delectasti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum delectabor. Et tamen quia manum legimus filium, scriptum est enim: Nonne manus mea fecit hæc omnia? Et alibi: Posui manum meam sub tegumento petre, quod ad incarnationis mysterium spectat, quia integumentum corporis uirtus dei sempiterna suscepit: utique liquet manus & de filio dei & de spiritu sancto scripturam locutam. Et rursus quia digitum dei spiritum legimus, ideo appellatos digitos estimamus, ut filium spiritumque signaret. Denique & ut filij & spiritus sanctificationem se habere memoraret, ait quidam sanctus: Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me.

Psalm. 8

Psalm. 91

Iob. 10

Quia sicut arguit pater, ita arguit filius, ita arguit & spiritus, et quia iudicat

spiritus.

Cap. VII

Utrum enim uerborum similitudinem recusamus, ubi unitatem potestatis asserimus, cum eousque unitas potestatis sit, ut & arguat spiritus sicut arguit pater & arguit filius? Sic enim scriptum est: Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripas me. Deinde in quadagesimonono Psalmo sicut dicit dominus: Arguam te & statuam ante faciem tuam peccata tua, ita etiam de spiritu sancto filius dixit: Cum autem abiero, mittam paraclitum ad uos: & ille ueniens arguet mundum de peccato & de iustitia, & de iudicio. Sed quo nos perfidorum hominum deducit amentia, ut quasi de ambiguo quod spiritus sanctus arguat uideamur adstruere, cum iudices ipsi non queant nisi per spiritum iudicare? Denique nobile illud Salomonis iudicium, quod inter dubia certantium, cum una oppresso paruulo quem ipsa susceperat, uindicare sibi uellet alienum, altera proprium filium defendere, & fraudem in ipsis cogitationibus occultis, & pietatem in maternis uisceribus deprehendit, utique per spiritus sancti munus emicuit. Neque enim latentem conscientiam foeminarum alia aliqua potuit nisi spiritus sancti machera detegere, de qua ait dominus: Non ueni pacem mittere, sed macheram: quia non ferro sed spiritu mens interna penetrat. Penetrabilis est enim spiritus intelligentiae, spiritus unicus, multiplex, subtilis, mobilis. Et infra: Omnia prospiciens. Vide propheta quid dicat, quia omnia prospicit. Et ideo etiam Salomon prospexit, ut macheram illam iuberet afferri, qua simulato quod diuidere uellet infantem, considerauit quod uera mater plus consuleret filio quam solatio: & gratiam iuri, non gratiam iura præferret. At uero illa quem matris simularat affectum, uincendi studio cæca paruuluceret eius exitum, in quo nesciret pietatis dispensium. Itaque uir ille spiritualis, qui diiudicaret omnia, spiritualis enim diiudicat omnia, naturam in affectibus quaerit, quae latebat in uocibus: & pietatem interrogauit ut proderet ueritatem. Vicin itaque mater charitatis affectu, quae fructus est spiritus. Diiudicat in propheta, quia per spiritum datur sermo sapientiae. Quomodo ergo negat quod arguere possit spiritus sanctus mundum de iudicio, qui iudicij tollit ambiguum, largitur euentum? Daniel quoque nisi accepisset dei spiritum, nunquam potuisset deprehendere adulterium libidinis, mendacium fraudis. Nam cum Susanna presbyterorum confurationibus appetita, inflexam populi mentem uideret contemplatione seniorum, & omnibus destituta subsidijs, sola inter hostes pudicitiae suae conscia deum arbitrum precaretur: Exaudiuit, inquit, dominus uocem eius, cum duceretur ut periret: & excitauit dominus spiritum sanctum pueri adolescentis cui nomen Daniel. Itaque secundum accepti spiritus sancti gratiam, uacillantia perfidorum testimonia deprehendit. Denique non alia nisi diuinæ fuit operatio potestatis, ut eos uox sua proderet, quorum latebat affectus. Percipite igitur spiritus sancti sacrum & caeleste miraculum. Illa quae maluit sibi casta esse, quam populo: illa quae maluit innocentie subire periculum, quam pudoris: quae cum accusaretur, tacebat: cum damnaretur, silebat: conscientiae suae contenta iudicio, quae reuerentiam pudoris etiam in periculis seruabat, ne extorsisse petulantiam uiderentur, qui extorquere non potuerant castitatem, ubi dominum inuocauit, spiritum meruit, qui latentem presbyterorum conscientiam reuelauit. Discant pudicae calumniam non timere. Nam quae castimoniam uitae prætulit, nec uitae dispendium pertulit, & gloriae retulit castitatis. Sic & Abraham quondam iussus adire peregrinam terram, nec uxoris periculo pudicitiae, nec mortis proposita terrore auocatus, & uitam suam & castimoniam seruauit uxoris.

Nullum

Nullum itaq; deo credidisse poenituit: & castitas deuotionem cumulauit in Sara, & deuotio castitatem. Ac ne quis forte existimet, quia dicendo scriptura: Excitauit deus spiritum sanctum pueri adolefcētis, spiritum in eo putet fuisse hominis, non spiritum sanctum: legat in posterioribus & inueniet quia spiritum sanctum accepit Daniel, & ideo prophetauit. Deniq; & rex eum pretulit, quia habebat gratiam spiritalem. Sic enim dicit: Tu autem Daniel potes, quia spiritus sanctus dei in te est. Et infra scriptura dicit: Et fuit Daniel prepositus illis, quoniam spiritus erat superans in eo. Sed etiam Moyli spiritus iudicaturis diuisus est. Sed quid de cæteris loquamur? Ipsum dominum Iesum in spiritu non solum iudicare accepimus, sed etiam uindicare. Neq; enim uindicaret in Antichristum, nisi ante de eius meritis iudicaret, quæ (sicut legimus) dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.

Sicut lectum est quod uerbi gladius spiritus sit, ita lectum est quod spiritus sancti gladius uerbum dei sit. Cap. VIII

S Ed hic non acquisita gratia est, sed indiuidua manet unitas: quia neque Christus sine spiritu, neq; spiritus potest esse sine Christo. Non enim potest diuina naturæ unitas separari. Et quia in mediū interuenit exemplum quod dominus Iesus interficit spiritu oris sui, gladius quidem uerbi spiritus intelligitur. Deniq; in Euangelio dicit ipse dominus Iesus: Non ueni pacem mittere, sed gladium. Venit enim ut spiritum daret: ideo & in ore eius gladius bis acutus, utiq; gratia spiritalis. Spiritus ergo, uerbi gladius est. Et ut scias inæqualitatem non esse sed unitatem naturæ, uerbum quoq; gladius est spiritus sancti. Scriptum est enim: Accipientes scutum fidei in quo possitis omnia tela maligni ignita extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus quod est uerbum dei. Cum igitur uerbi gladius spiritus sanctus sit, & spiritus sancti gladius uerbum dei sit, utiq; unitas est potentia.

Ephes. 6

Quia similiter ut pater & filius, ita etiam spiritus & contristatus & exasperatus, & tentatus à Iudæis legitur. Cap. IX

Ephes. 4

Quam unitatem licet etiam alijs scripturarum locis considerare. Nam cum dicat Ezechiel ad populum Iudæorum: Et contristabas me in omnibus his, dicit dominus. Paulus nouo populo in epistola sua dicit: Nolite contristare spiritum sanctum dei, in quo signati estis. Rursus cum Esaias dicat de ipsis Iudæis: Ipsi autem non crediderunt, sed exacerbauerunt spiritum. Dauid autem de deo dicit: Et exacerbauerunt altissimum in siccitate, & tentauerunt deum in cordibus suis. Accipe etiam quia cum alibi dixerit scriptura, tentatum spiritum, tentatum etiam deum, tandem dicat & Christum esse tentatum. Habes enim ad Corinthios Apostolum: Neq; tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Iusta uindicta, ut aduersarij uenena sentirent, qui non uenerabantur authorem. Et bene dominus, æreo serpente suspenso iussit curari uulnera sauciorum. Imago enim crucis, æreus serpens est, quoniam & si in carne sua suspensus est Christus, tamen & ipse crucifixus est mundo, & ipsi crucifixus est mundus. Mihi enim mundus crucifixus est & ego mundo. Crucifixus est ergo in suis mundus illecebris, & ideo non uerus sed æreus suspensus est serpens: quia in ueritate quidam corporis, sed sine ueritate peccati suscepit dominus speciem peccatoris: ut per lubricum infirmitatis humane, simulando serpentem, depositis carnis exuijs, ueri destrueret serpentis astutiam. Per crucem itaq; domini quæ in tentationis ultione subuenit, offensam in perfidis trinitatis agnosco, qui medicinam trinitatis accipio. Ergo cum habeas in libro Moyli, quia dominus tentatus serpentes immiserit populo Iudæorum, necesse est aut unitatem in maiestate diuina fatearis, patris & filij & spiritus sancti: aut certe cum spiritum dicat Apostolica scriptura tentatum, domini nomine spiritum utiq; designauit. Tentatum autem spiritum sanctum, ad Hebræos scribens Apostolus, dicit. Sic enim habes: Quia hæc dicit spiritus sanctus: Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, sicut in iritatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentauerunt me patres uestri, probauerunt & uiderunt opera mea. Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi semper isti errant corde: ipsi uero non cognouerunt uias meas, sicut iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Ergo secundum Apostolum tentatus est spiritus. Si & ipse tentatus est, & ipse utiq; in terram repromissionis Iudæorum populum dirigebat, sicut scriptum est: Quia adduxit eos per abyssum sicut equum, per desertum & non laborauerunt, & sicut pecora per

I. Corin. 10

Galat. 6

Hebr. 3

Esai. 63

per campum, descendit spiritus à domino, & direxit eos. Et ipse utiq; serenam cœlestis alimonie pluuiam ministrabat, ipse quotidianam messem quam terra non parturierat, agricola non seuerat, imbre fertili fecundabat. Nunc spectemus singula. Requiem Iudeis promiserat deus, eam requiem spiritus suam dicit. Tætatum se à perfidis deus pater memorat, tentatum ab iisdem se dicit & spiritus: quia una tentatio est qua tentata est à sacrilegis una & uera diuinitas trinitatis. Condemnat deus populum Iudæorum, ut in terram fluentem lac & mel, hoc est ad resurrectionis requiem peruenire non possit: eadem sententia condemnat & spiritus, dicens: Si introibunt in requiem meam. Vnius ergo sententia uoluntatis, unius excellentia potestatis est. Fortasse tamen aliquis diceret, hoc exemplum nō posse ad proprietatem sancti spiritus deriuari, nisi alio loco etiam Petrus Apostolus nos docuisset, peccatis nostris etiam spiritū posse tentari. Sic enim habes ad Ananiae conjugem dictum: Quid utiq; conuenit uobis tentare spiritū domini? Et enim domini spiritus ipse est dei spiritus, quia unus sanctus est spiritus: ut etiam Paulus Apostolus docuit, dicens: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus dei habitat in uobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius: Præmisit spiritum dei, & statim subdidit eundem esse spiritum Christi. Et cum dixisset de spiritu, ut intelligeremus quia ubi spiritus sanctus, ibi Christus est, addidit: Si autem Christus in uobis. Deinde quomodo hic intelligimus, quia ubi spiritus, ibi Christus: ita etiam alibi ostendit, quia ubi Christus, ibi etiam spiritus sanctus sit. Nam cum dixisset, Nūquid expectum eius queritis, qui in me loquitur Christus? alibi ait: Puto enim quod & ego spiritum dei habeam. Inseparabilis ergo unitas, quia ubi aut pater aut Christus aut spiritus, scriptura testificante signatur, ibi omnis plenitudo est trinitatis.

Acto. 5

Rom. 8

1. Cor. 13

1. Cor. 7

Quia deus spiritus secundum Petri sententiam in Actibus Apostolorum. Cap. X

Ed & ipse Petrus in eo quod proposuimus exemplo, præmisit spiritum sanctum, & postea dixit spiritum domini. Sic enim habes: Anania, cur impleuit Satanus cor tuum ad mētiendum spiritui sancto, ut fraudem faceres de precio agri? Nonne manens tibi manebat, & uenditus in tua erat potestater. Quare posuisti in corde tuo hoc scelus? Non es hominibus mentitus, sed deo. Et subter ad eius uxorem ait: Quid utiq; conuenit uobis tentare spiritum domini? Primum intelligimus, quia spiritum sanctum, spiritum domini dixit: Deinde cum præmiserit spiritū, & addiderit, non es hominibus mentitus, sed deo: necesse est in spiritu sancto aut unitatem diuinitatis intelligas: quoniam, cum spiritus tentatur, deus fallitur: aut si unitatem diuinitatis conaris excludere secundum scripturæ uerba, ipse utiq; spiritum domini credis. Si enim & de spiritu expressum intelligimus & de patre, in deo utiq; patre et spiritu sancto ueritatis scientie aduertimus unitatem, quia similiter à sancto spiritu sicut à deo patre mendacium reprehenditur. Quod si utrumq; de spiritu accipimus, cur quod legis, perfide negare conaris? Aut igitur unitatem diuinitatis patris & filij in spiritu sancto, aut diuinitatem sancti spiritus in patre & filio confitere. Vtrum dixeris, utrumq; in deo dixisti: quia & unitas diuinitatem adstruit, diuinitas unitatem.

Acto. 5

Quia deus spiritus est, secundum Euangelium. Cap. XI

Ec solum hoc loco euidenter sancti spiritus θεότης, hoc est, deitatem scriptura testatur, sed etiam ipse dominus dixit in Euangelio: Quoniam deus spiritus est. Quem locum ita expresse Arriani testificamini esse de spiritu, ut eum de uestris codicibus auferatis: atq; utinam de uestris & nō etiam de Ecclesiæ codicibus tolleretur. Eo enim tempore quo impiæ infidelitatis Auxentius Mediolanensem ecclesiam armis exercituq; occupauerat, uel à Valente atque Ursatio nutantibus sacerdotibus suis incurfabatur ecclesia Sirmiensis, falsum hoc & sacrilegum in ecclesiasticis codicibus deprehensum est. Et fortasse hoc etiam in oriente fecistis. & literas quidem potuistis abolere, sed fidem non potuistis auferre. Plus uos illa litura prodebat, plus uos illa litura damnabat. Neque enim uos poteratis oblinire ueritatem, sed illa litura de libro uitæ nomina uestra radebat. Cur auferebatur, quoniam deus spiritus est, si non pertinebat ad spiritum? Si enim de deo patre uultis expressum, ergo & deum patrem negastis, quem putastis esse delendum. Vtrum uultis eligite, in utroque uos laqueus uestræ impietatis adstringit, si gentiles uos esse fateamini uel patrem deum negando uel spi-

ritus

ritum. Tenetur igitur uestra confessio, qua delestis oraculū, dum formidatis exemplum. Delestis quidem in pectoribus animisq; uestris, ceterum diuinum non deletur oraculū, non deletur spiritus sanctus, sed auersatur impias mentes: non deletur gratia, sed iniquitas, quia scriptum est: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Deniq; Moyses pro populo petēs: Dele, inquit, me de libro tuo, si nō parcis huic populo. Nec tamē deletus est, quia nō habebat iniquitatē, sed gratiā profluebat. Vestra igitur estis cōfessione cōmīcti: quod sapienter factū non possumus dicere, sed astute. Astute enim cognouistis loci istius uos attestatōne conuinci, nec argumenta uestra aduersus id posse testimoniū conuenire. Quod enim possit aliō intellectus loci istius deriuari, cū series lectōnis tota de spiritu sit? Nicodemus quærīt de regeneratione, respondet dominus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit per aquā & spiritum, nō potest introire in regnum dei. Et ut ostenderet aliam generationem secundum carnem esse, aliam secundum spiritum, addidit: Quod natum est ex carne, caro est: quia de carne natum est. Et quod natum est de spiritu, spiritus est: quia deus spiritus est. Persequere ergo totam seriem lectōnis, inuenies quod dominus impietatem uestram plenitudine assertōnis excluserit. Noli, inquit, mirari, quia dixi: Oportet uos nasci denuo. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis: sed nescis unde ueniat, aut quo uadat. sic est omnis qui natus est de spiritu. Quis est qui nascitur de spiritu, & qui efficitur spiritus, nisi qui renouatur spiritu mentis suae? Hic est utique qui per aquam regeneratur & spiritum sanctum, quoniam per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, spem uitae capimus aeternae. Et alibi Petrus Apostolus ait: Vos autem spiritu sancto baptizabimini. Quis est autē qui baptizatur spiritu sancto, nisi qui renascitur per aquam & spiritum sanctum? Ergo de sancto spiritu dominus dixit: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit per aquam & spiritum, non potest introire in regnū dei. Et ideo de ipso nasci nos in posterioribus definiuit, per quem renasci nos in superiorib. est locutus. Haec dominica sententia est: scripto nitor, non arguemento. Quæro tamen cur si non dubitabatur per spiritum sanctū nos renasci, dubitetur de spiritu sancto nos nasci, cū ipse dominus Iesus de spiritu sancto & natus sit & renatus? Quem si natum de spiritu sancto cōfitemini, quia non potestis negare, renatum autem negatis: magna insipientia, ut quod singulare dei est, confiteamini: quod commune est hominum, denegetis. Et ideo bene uobis dicit quod Iudaeis dictum est: Si terrena uobis dixi, & nō creditis: quomodo si dixerō uobis caelestia credetis? Sed tamen utrumq; locum ita scriptum inuenimus in Græco, ut non per spiritum dixerit, sed de spiritu. Deniq; sic habet: ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μὴ τις γεννηθῆ ἢ ὕδατος καὶ πνεύματος, hoc est, de aqua & spiritu. Ergo cū dubitari nō debeat de sancto scriptum esse spiritu, quod natum est de spiritu, non est dubium, quia deus sit & sanctus spiritus, secundum quod scriptum est, quia deus spiritus. Alibi quoq; ut hoc de sancto spiritu scripsisse se idem Euangelista referat, per aquam, inquit, & spiritum uenit Christus Iesus. Non solum in aqua, sed per aquam & sanguinem & spiritus testimonium: quoniam spiritus est ueritatis: quia tres sunt testes, spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt in Christo Iesu. Audi quomodo testes spiritus mentem renouat, aqua proficit ad lauacrū, sanguis spectat ad precium. Spiritus enim nos per adoptionem filios dei fecit, sacri fontis unda nos abluit, sanguis domini nos redemit. Alterum igitur inuisibile, alterum uisibile testimonium sacramento consequimur spiritali, quia spiritus testimonium reddit spiritui nostro. Et si in utroq; plenitudo sit sacramenti, distinctio tamen muneris est. Ergo ubi distinctio muneris, non est utique testificationis aequalitas.

Quia adoratur spiritus sanctus sicut pater & filius, & cum patre & filio adoratur in maiestate dei. Cap. XII

Ed fortasse referatur, quia in posterioribus istius ipsius libri iterum dominus deum spiritum dixit, sed de patre deo sensit. Sic enim habes in Euangelio: Cap. XII
 Nunc est quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Cap. XII
 Nam & pater tales quærīt, qui adorēt eum. Spiritus est deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet adorare. Non solū enim hoc exēplo diuinitatē sancti spiritus uultis negare, sed etiam in spiritu adorare deum, tanquam ad subiectionem spiritus deriuatis. Cui loco respondebo breuiter, quia spiritus plerumq; ponitur pro gratia spiritali, sicut

sicut & Apostolus dixit: Quia ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hoc est gratia spiritalis. nisi forte gemitus uos sancti spiritus audire potuistis. Ergo & hic adoratur deus, non in malitia cordis, sed in gratia spiritali. In animam enim male-
Sap. 1
 uolam non intrat sapientia, quia nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Statimq; subdidit: Diuisiones uero gratiarum sunt. Non igitur hoc ad plenitudinem
1. Cor. 12
 nec ad portionem spiritus potest pertinere: quia neq; humana mens eius plenitudinem capit, neq; in ulla sui diuiditur sectione, sed donum gratiae spiritalis infundit, in quo adoratur deus, sicut adoratur etiam in ueritate. Non enim adorat, nisi qui ueritatem diuinitatis eius pio haurit affectu. Nec utiq; uelut personaliter Christum, aut sanctum personaliter spiritum comprehendit. Aut si putat quod uelut personaliter dictum de spiritu uideatur & de Christo: ergo deus similiter adoratur in ueritate, sicut adoratur in spiritu. Aut similis igitur subiectio, quod absit ut credas, & nec filius adoratur: aut quod uerum est, similis unitatis gratia & spiritus adoratur. Colligamus hinc ergo & concludamus Arrianorum impias quaestiones. Si enim ideo negant adorandum spiritum, quia deus adoratur in spiritu, negent ergo adorandam ueritatem, quia deus adoratur in ueritate. Nam licet plurimae ueritates sint, quia scriptum est: Diminutae sunt ueritates a filiis hominum,
Psal. 111
Ioan. 14
 donatae tamen sunt a ueritate diuina quae est Christus, qui ait: Ego sum uia, ueritas, & uita. Ergo si hoc loco ueritatem ex usu intelligunt, intelligant etiam gratiam spiritalem, & nihil est offensionis: aut si ueritatem Christum accipiunt, adorandum negent. Sed refelluntur factis priorum, serie scripturarum. Adorauit enim Christum Maria, & ideo praenuntia resurrectionis ad Apostolos destinatur, soluens hereditarium nexum & foemine generis immane delictum. Hoc enim operatus est in mysterio dominus, ut ubi superabundauerat delictum, superabundaret & gratia. Meritoq; ad uiros foemina destinatur: ut quae culpam uiro prima nunciauerat, prima domini gratiam nunciaret. Adorauerunt & Apostoli. Et ideo quia detulerunt fidei testimonium, acceperunt fidei magisterium. Adorauerunt & Angeli, de quibus scriptum est: Et adorent eum omnes Angeli eius. Adorat autem non solum diuinitatem eius, sed etiam scabellum pedum eius: quia scriptum est: Et adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est. Aut si negant quia in Christo etiam incarnationis adoranda mysteria sint, in quibus uelut uestigia quaedam diuinitatis expressa sunt, & uias quasdam uerbi coelestis aduertimus, legant quia & Apostoli adorabant eum in carnis gloria resurgentem. Ergo si nihil derogat Christo, quod deus adoratur in Christo, quia adoratur & Christus: nihil utiq; derogat etiam spiritui, quia deus adoratur in spiritu, quia adoratur & spiritus, sicut Apostolus dixit: Spiritui deo seruiamus. Qui enim
Philip. 3
 seruit, & adorat, sicut supra dictum est: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruias.
Matt. 4
 Sed ne forte propositum aliquos praeterfugere uideatur exemplum, qua ratione ad incarnationis dominice sacramentum spectare uideatur quod ait Propheta: Adorate scabellum pedum eius, consideremus. Non enim ex usu hominum aestimare debemus scabellum. Neq; enim corporalis deus, aut non immensus, aut tanquam fulcrum pedibus eius scabellum subiectum putemus. Neq; adorandum quicquam praeter deum legimus, quia scriptum est: Dominum deum tuum adorabis, & ipsi soli seruias. Quomodo ergo aduersus legem prophetae praeciperet, sub lege nutritus, & eruditus in lege: Non medioeris igitur quaestio, & ideo diligentius consideremus quid sit scabellum. Legimus enim alibi: Coelum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum. Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est dei. Videamus tamen ne terram illam dicat adoranda Propheta quam dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaq; per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodieq; in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in domino Iesu (ut supra diximus) adorauerunt. Neq; enim diuisus Christus, sed unus. Neq; cum adoraretur tanquam dei filius, natus ex uirgine negabatur. Cum igitur incarnationis adorandum sit sacramentum, incarnatio autem opus spiritus sit, sicut scriptum est: Spiritus sanctus superueniet in te, et uirtus altissimi obumbrabit tibi: & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius dei: haud dubie etiam sanctus spiritus adorandus est, quando adoratur ille qui secundum carnem natus ex spiritu est. Ac ne quis hoc deriuet ad Mariam uirginem: Maria erat templum dei, non deus templi. Et ideo ille solus adorandus qui operabatur in templo. Nihil ergo officit, quod deus adoratur in spiritu, quia & spiritus adoratur: quanquam si ipsa uerba
Luc. 1

consideremus, quid aliud in patre & filio, & spiritu sancto, nisi eiusdem potestatis unitatem intelligere debemus: Quid est enim, in spiritu & ueritate adorare oportet: si tamen hoc non ad gratiam spiritalem referas, nec ad ueræ conscientiae fidem, sed (ut diximus) personaliter (si tamen dignum hoc uerbum est maiestatis expressione diuinæ) de Christo accipias & de spiritu. Quid est ergo, adorat in Christo pater, nisi quod est in Christo pater, & loquitur in Christo pater, & manet in Christo pater: Nō utiq; quasi corpus in corpore. Non enim deus corpus, nec quasi confusus in cōfuso, sed quasi uerus in uero, deus in deo, lumen in lumine, quasi pater sempiternus in filio coæterno. Nō ergo insertio corporis intelligitur, sed unitas potestatis. Ergo per unitatē potestatis coadoratur in patre Christus, cum deus adoratur in Christo. Similiter itaq; per unitatem potestatis eiusdem coadoratur in deo spiritus, dum deus adoratur in spiritu. Adhuc uerbi istius uim atq; sermonis diligentius pertractemus, & proprietatē eius ex alijs colligamus. Omnia, inquit, in sapientia fecisti. Quid hic igitur intelligimus exortem factorum esse sapientiam? Sed omnia per ipsum facta sunt. Et Dauid ait: Verbo domini cœli firmati sunt. Ergo ipse qui dei filium etiam cœlestium dicit authorē, ita utiq; dixit in filio facta omnia, ut in operū

Psal. 103 Col. 1

instauratione filium à patre minime separaret, sed patri iungeret. Paulus quoq; ait: Quoniam in ipso condita sunt omnia in cœlis & in terra, uisibilia & inuisibilia. Nūquid cum dicit, in ipso, negauit per ipsum? Non negauit utiq; sed asseruit. Deniq; & alibi dixit: Verus dominus Iesus per quem omnia. Ergo cum dicit per ipsum, negauit in ipso condita esse omnia, per quē dicit esse omnia? Hanc uim habent uerba hæc, in ipso & cum ipso, ut unum in his atq; consimile, non contrariū intelligatur. Quod etiā in inferioribus manifestauit, dicens: Omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Hæc enim tria in Christo unū esse: eum ipso, & per ipsum, & in ipso, sicut supra diximus scriptura testatur. Habes enim per ipsum & in ipso condita esse omnia. Accipe etiam, quia cum ipso pater & ipse cum patre erat, cum omnia conderentur. Sapientia dicit: Cum pararet cœlum, cum illo erā, cum faceret fontes aquarum. Et in ueteri testamento dicendo pater, faciamus: ostēdit filium coadorandum quasi omnium conditorem. Sicut ergo in filio creata dicuntur, quorum filius creator accipitur: ita etiā cum in ueritate adorari deus dicitur, uerbi ipsius proprietate in eundem modum frequenter expressa debet intelligi, quod & filius adoretur. Similiter itaq; adoratur & spiritus, quia deus adoratur in spiritu. Ergo pater & cum filio adoratur, & cum spiritu: quia trinitas adoratur. An uerò negat aliquis adorandam diuinam trinitatis æternæ, cum & scripturæ diuinæ inexplicabilem maiestatem exprimant trinitatis: sicut alibi Apostolus dicit: Quoniam deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis dei in facie Christi Iesu. Nepe hanc claritatem uiderunt Apostoli, cum dominus Iesus diuinitatis suæ luce in morte fulgeret. Uiderunt, inquit, Apostoli, & in facie prociderunt. Putas ne illos uel cum prociderent adorasse, cum fulgorē diuini luminis corporalibus oculis sustinere nō possent, & splendor lucis æternæ aciem uisus mortalis obduceret? Aut quid aliud tūc temporis dixerunt illi uidentes gloriam eius, nisi uenite adoremus & procidamus ante eum?

Quia deus spiritus sanctus est secundum Apostolum, & quia templum sumus spiritus sancti sicut & dei patris & domini Iesu Christi.

Cap. XIII

Illuxit enim deus in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis dei in faciem Christi Iesu. Quis est ergo qui illuxit, ut cognoscamus deum in faciem Christi Iesu? Dixit enim, illuxit deus ut cognoscatur claritas dei in faciem Christi Iesu. Quem putamus alium præter spiritum declaratum? Aut quis est alius præter spiritum sanctum cui diuinitatis potentia deferatur? Qui enim spiritum excludit, necesse est inducant alium qui cum patre & filio gloriam diuinitatis accipiat. Eadē igitur uerba repetamus: Deus est qui illuxit ad illuminationem claritatis dei in faciem Christi Iesu. Habes Christum euidenter expressum. Cuius ergo claritas illuminare dicitur, nisi spiritus? Ipsum ergo deum expressit qui claritatem dei dixit. Si patris, superest ut qui dixit de tenebris lumen splendescere, & illuxit in cordibus nostris, spiritus sanctus intelligat. Alium enim nō possumus cum patre filioq; uenerari. Si igitur spiritum intelligis & hūc Apostolus deum dixit: Necesse est igitur deitatem spiritus etiam uos fateamini qui negatis. Sed quā impudenter negatis, cum legeritis quia templū habet spiritus? Scriptū est enim:

enim: Templum dei uos estis, & spiritus sanctus habitat in uobis. Deus ergo templū ha-
bet, creatura templum non habet uerum: spiritus autem habet templum, qui habitat in
nobis. Nam scriptum est: Quia membra uestra templum est spiritus sancti. In tēplo autē
non quasi sacerdos, nec quasi minister, sed quasi deus inhabitat, quoniam ipse dominus
Iesus dixit: Inhabitabo in illis & inter eos ambulabo: & ero illorum deus, & ipsi erūt mi-
hi populus. Et Dauid dicit: Dominus in templo sancto suo. Ergo spiritus habitat in tem-
plo sancto suo: sicut habitat pater, habitat & filius qui ait: Ego & pater ueniemus, & mā-
tionē apud eū faciemus. Manet autē in nobis pater per spiritū quē dedit nobis. Quomo-
do igitur potest simul dispar manere natura? Vtq; nō potest. Manet autē cum patre & fi-
lio spiritus sanctus. Vnde & Apostolus eū gratia Iesu Christi & charitate dei cōmunica-
tionē sancti spiritus copulauit, dicens: Gratia domini nostri Iesu Christi & charitas dei
& cōmunicatio spiritus sancti cum omnibus uobis. Aduertimus igitur quod pater & fi-
lius & spiritus sanctus in uno eodemq; per naturā eiusdē maneant unitatē. Ergo diuinā
est potestatis qui habitat in tēplo. Sicut enim patris & filij, ita & spiritus sancti sumus tē-
plum: non multa templa, sed unum templum, quia unius templum est potestatis.

Quia non tres dii, sed unus deus.

Cap. XIII

Ed quid ueremini? an illud quod oblatrare consuectis, ne tres faciatis deos?

Ablit. Vbi enim una deitas intelligitur, unius deus dicitur. Neq; enim cūm fi-
lium deum dicimus, duos deos dicimus. Nam si cūm deitate spiritus confite-
mur, putatis nos tres deos dicere, ergo & cūm deitate filij dicitis, quia non potestis eam
negare, duos inducitis deos. Necesse est igitur iuxta sententiam uestram, si deum perso-
nā unius nō unius naturā nomen putatis, aut duos deos dicatis, aut deū filium denegate-
tis. Sed excusemus uos ab inscientia, etsi nō excusamus à culpa. Etenim secundū nostrā
sententiam, quia unus deus, una diuinitas, & unitas intelligitur potestatis. Sicut unum
deum dicimus & patrem uerum deitatis nomine confitentes, nec filium denegantes: ita
etiam spiritum sanctum à deitatis nōn excludimus unitate, & tres deos nō asserimus, sed
negamus: quia pluralitatem non unitas facit, sed diuisio potestatis. Quomodo enim plu-
ralitatem recipit unitas diuinitatis, cum pluralitas numeri sit, numerum autem non reci-
piat diuina natura?

Quia dominus spiritus sanctus, sicut pater & filius.

Cap. XV

Nus ergo deus, salua maiestate trinitatis æternæ, sicut proposito declaratur
exemplo. Nec eo tamē solo loco trinitatem uidemus nomine diuinitatis ex-
pressam, sed cum plerisq; locis, sicut & supra diximus, tum maxime in his epi-
stolis quas ad Thessalonicenses Apostolus scripsit, diuinitatem atq; dominatum patris
& filij & spiritus sancti euidentissime declarauit. Sic enim habes: Vos autem dominus
multiplicet & abundare faciat charitatē in inuicem & in omnes, sicut & nos in uobis, ad
confirmanda corda uestra sine querela in sanctificatione coram deo & patre nostro in
aduentu domini Iesu. Quis est igitur dominus, qui multiplicet nos & abundare faciat co-
ram deo & patre nostro in aduentu domini Iesu? Patrem dixit, filium dixit: quem ergo cū
patre & filio præter spiritum iunxit? Quis est dominus qui corda nostra in sanctificatio-
ne confirmet? Sanctificatio enim gratia spiritalis est, sicut & infra dixit: In sanctificatio-
ne spiritus & fide ueritatis. Quem putatis ergo hic dominum, præter spiritum nuncupa-
tum? Hoc deus pater docere uos potuit, qui ait: Super quem uideris spiritum descendē-
tem & manentem super eum: hic est qui baptizat in spiritu sancto. Descendit enim spiri-
tus in specie columbæ: ut & sapientiæ testimonium ferret, & sacramentum lauacri spiri-
talis impleret, & unius se cū patre & filio operationis ostenderet. Ac ne per impruden-
tiam aliquid excidisse Apostolo iudicetis, sed scientem prudentemq; & sancto infusum
spiritu significasse dominū quē deum sentiebat, etiam in secunda ad Thessalonicenses
epistola hoc idem reperiuit dicens: Dominus autem dirigat corda uestra in dilectione
dei & patiētia Christi. Si dilectio dei est, & Christi patiētia, quis est dominus qui dirigat,
debet ostendī, si directionem sancti spiritus denegamus. Sed negare nō possumus, quo-
niam de ipso dominus dixit: Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis illa por-
tare modo. Cum autem uenerit spiritus ille ueritatis, deducet uos in omnem ueritatem.

Ambr. to. 2

o 2

Quia

Quia bonus spiritus dei, & spiritus ueritatis & omnem insinuat ueritatem. Cap. xvi
 T Dauid de ipso dicit: Spiritus tuus bonus deducet me in uiam rectam. Vi-
 de quid de spiritu sancto uox dominica resultet. Filius dei uenit, et quia non-
 dum infuderat spiritum, paruulos quosdam nos degere sine spiritu declara-
 uit. Spiritum dixit esse uenturum, qui faceret ex paruulis fortiores, incremento uideli-
 cet spiritualis aetatis. Quod ideo posuit, non quo uirtutem spiritus anteferet, sed ut in cog-
 nitione trinitatis ostenderet plenitudinem esse uirtutis. Necessesse est igitur aut quartum ali-
 quem dicatis, quem sentire praeter spiritum debeatis, aut certe non alium dominum iu-
 dicetis, nisi spiritum designatum. Quod si euidentem conceptionem uerborum exigi-
 ptum est: Dominus autem spiritus est. quod utique dictum de spiritu sancto, totius series
 2. Cor. 3 lectionis ostendit. Et ideo Apostolica consideremus eloquia. Quotiens legitur Moy-
 ses, inquit, uelamen positum est super cor eorum: Cum uero conuersi fuerint ad dominum,
 auferetur uelamen. Dominus autem spiritus est. Vbi autem spiritus domini, ibi libertas.
 Non solum itaque spiritum dominum dixit, sed etiam addidit: Vbi autem spiritus domi-
 ni, ibi libertas. Nos itaque omnes reuelata facie gloriam domini speculantes, ad eandem
 imaginem reformamur a gloria in gloriam, sicut a domini spiritu: hoc est qui ad dominum
 sumus ante conuersi ut spirituali intellectu quasi in quodam speculo scripturarum domi-
 ni gloriam uideremus, nunc ab hac gloria qua nos conuertit ad dominum, in illam coe-
 lestem gloriam reformamur. Ergo cum dominus sit ad quem conuertimur, dominus au-
 tem spiritus sit a quo reformamur, qui conuersi ad dominum sumus, dominus utique spiri-
 tus sanctus est designatus. Ipse enim conuersos suscipit qui reformat. Nam quomodo
 quos non susceperat reformet? Quanquam quid expressionem quaerimus uocis, ubi ex-
 pressionem cernimus unitatis? Nam & si dominum spiritumque distinguas, negare tamen
 non potes, quia ubi dominus, ibi & spiritus. Et qui fuerit conuersus ad dominum, erit con-
 uersus ad spiritum. Si literam calumniaris, unitatem non inficies. Si unitatem uis secer-
 nere, potestatis dominum ipsum spiritum confiteris.

Quia non tres domini sed unus dominus. Cap. xvii

Ed fortassis iterum dicas: Si dominum spiritum dixeris, tres dominos decla-
 rabo. Numquid cum dominum filium dicis, aut filium negas, aut duos dominos
 confiteris? Absit. Ipse enim filius dixit: Nolite duobus dominis seruire. Sed
 non utique aut se, aut patrem dominum denegauit. nam & patrem dominum dixit, sicut
 Mar. 6 habes: Confiteor tibi pater domine caeli & terra. Et se memorauit dominum, sicut in E-
 uangelio legimus: Vocatis me dominum & magistrum, & bene facitis, sum etenim. Sed
 non duos dominos dixit: imo ostendit se non duos dominos dixisse, cum premonet. No-
 lite duobus dominis seruire. Non sunt enim duo domini ubi dominus unus est, quia pa-
 ter in filio, filius in patre, & ideo dominus unus. Sic & lex docuit: Audi Israel, dominus
 deus tuus dominus unus est, hoc est, immutabilis semper, in unitate permanens potesta-
 tis, semper idem: nulla accessione, nulla diminutione mutatur. Ergo unum dixit Moyses,
 & idem tamen dominum a domino pluisse memorauit. Apostolus quoque: Det, inquit, do-
 minus misericordiam inuenire a domino. Dominus pluit a domino, dominus dat a do-
 mino misericordiam: dominus nec ibi discernitur ubi pluit a domino, nec hic separatur u-
 bi miseretur a domino, sed utroque in loco unitas dominationis exprimitur. In Psalmo quo
 que habes: Dixit dominus domino meo. Nec ideo patrem suum dominum denegauit,
 quia filium dominum suum esse memorauit: sed ideo filium dominum suum dixit, ne cre-
 deres filium prophetae fuisse sed dominum, quod in Euangelio ipse dominus manifesta-
 uit dicens: Si enim Dauid in spiritu uocat eum dominum, quomodo filius eius est? In spi-
 ritu dicit Dauid dominum, non spiritus dicit. Aut si hinc calumniantur, quia dominum
 spiritus dixit, necesse est pari sacrilegio filium dei etiam spiritus sancti filium uideantur
 asserere. Ergo quemadmodum duos non dicimus dominos, cum & patrem & filium de-
 signamus: ita nec tres dominos dicimus, cum dominum spiritum confitemur. Sicut enim
 tres sacrilegium est dominos aut deos dicere: ita etiam hoc plenum sacrilegium est, duos do-
 minos aut deos dicere. Quia unus deus, unus dominus, unus est spiritus sanctus: & qui
 deus, dominus: & qui dominus, deus: quia & in dominatione diuinitas, & in diuinitate domi-

dominatus est. Deniq; & dominum & deum legisti patrem: Domine deus meus clama-
bo ad te, exaudi me. Et dominum & deum habes filium, sicut in Euangelio legisti, quia
cum tetigisset Thomas latus Christi ait: Dominus meus & deus meus. Ergo sicut pater Ioan. 20
deus & filius dominus: ita & filius deus & pater dominus: alternatur p̄a significatio, nō
alternat̄ diuina natura, sed immutabilis manet gratia. Non enim largitatis collatiua, sed
naturalis placita charitatis sunt: quia & unitas proprietatē habet, & proprietates unitatē.

Quia sicut pater sanctus, ita filius sanctus, ita & spiritus dei sanctus. Cap. XVIII

Ergo sanctus pater, sanctus filius, sanctus & spiritus: sed non tres sancti, quia
unus est deus sanctus, unus est dominus. Vna est ergo uera sanctitas, sicut u-
na uera est diuinitas, una illa sanctitas naturalis. Ideo omnia hæc quæ sancta
nos credimus, illam solam prædicant sanctitatem Cherubim & Seraphim indefessis uo-
cibus laudant & dicunt, Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus Sabaoth. Non semel di-
cunt, ne singularitatem credas: non bis dicunt, ne spiritum excludas: non sanctos dicunt,
ne pluralitatem æstimes: sed ter repetunt & idem dicunt, ut etiam in hymno distinctio-
nem trinitatis, & diuinitatis intelligas unitatem. hoc cum dicunt, deum prædicant. Nos
quoq; nihil preciosius inuenimus quo deum prædicare possimus, nisi ut sanctum appel-
lemus. Quodlibet aliud inferius deo, inferius est domino. Ergo hinc quoq; considerate,
urum aliquid sancto spiritui derogandum sit, cuius nomen dei laus est. Sic enim laudat̄
pater, sic laudatur & filius, quemadmodū spiritus nominatur & laudatur. Seraphim lau-
dat, omnis beatorum chorus laudat, ut sanctum deum dicat, sanctū filium, sanctū spiritū.

Quomodo igitur non omnia habet quæ dei sunt, qui cū patre & filio a sacerdotibus &
in baptisate nominatur, & in oblationibus inuocatur, cū patre & filio a Seraphim in
celestibus prædicat̄, cum patre & filio habitat in sanctis, infundit̄ iustis, inspiratur pro-
phetis: Vnde & scriptura diuina *θεοπνευτός* dicitur, quod deus inspiret, quod locutus est
spiritus. Aut si nolunt omnia habere quæ dei sunt, & posse omnia spiritum sanctū, dicat̄
quid non habeat, quid uē nō possit. Nam sicut omnia habet filius, nec inuidet pater quo-
minus omnia naturaliter det filio qui dedit quod maius est omnibus, quemadmodū scri-
ptura testatur dicens: Pater quod dedit mihi, maius est omnibus: ita etiam spiritus Chri-
sti habet quod maius est omnibus, quia iustitia nescit inuidiā. Itaq; si diligenter aduertā-
mus, etiam hic diuinæ potestatis comprehendimus unitatem: Pater, inquit, quod dedit Ibid. 10
mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere ea de manu patris mei. Ego & pater u-

num sumus. Nam si recte supra ostendimus manum esse dei spiritum sanctum, eadem uti-
q; manus patris est quæ filij est manus, quoniam idem spiritus patris qui spiritus filij est.
Ideo sicut non rapitur patri, ita non rapitur filio, ita non rapitur & spiritui, quicūq; de no-
bis in hoc nomine trinitatis uitam accipit æternam: ex ipso utiq; quod & dedisse filio pa-
ter, & accepisse a filio spiritus dicitur, quia scriptum est: Ille me clarificabit, quia de meo Ioan. 10
accipiet, & annuntiabit uobis. Quod de munere magis dispensationis uidetur quàm de
potestatis diuinæ iure dixisse: quia quos filius redimit, spiritus quoq; sanctificaturus acci-
pit. Ex istis ipsis inquam uerbis de quibus calumniam struunt, unitas diuinitatis aduertit̄
tur, non indigentia largitatis. Dedit pater per generationem, non per adoptionem: de-
dit quasi id quod esset in ipso diuinæ iure naturæ, non quasi liberalitatis gratia, quod de-
esset. Et ideo quia sic acquirit filius populos ut pater, sic uiuificat filius ut pater: æqualita-
tem suam ad patrem unitate potestatis expressit, dicens: Ego & pater unum sumus. Cū
enim dicit, ego & pater, reuelatur æqualitas: cum dicit, unum sumus, unitas declaratur.
Æqualitas confusionem excludit, unitas separationem: æqualitas patrem filiumq; di-
stinguit, unitas patrem filiumq; non separat. Ergo cum dicit: Ego & pater, Sabellianum
repellit: quia alium se, alium patrem dixit. Repellit Fotinianum: quia se cum deo patre
iunxit. Illos superioribus repellit: quia dixit, Ego & pater: inferioribus Arrianos, quia di-
cit: unum sumus, tamen & in superioribus & in inferioribus hæreticam iugulat seuitatē:
Sabellianorum, quia unum dixit sumus, non unus sumus: Arrianorū, quia ego & pater,
non pater & ego dixit. Quod utiq; non contumaciæ, sed pietatis & præscientiæ fuit, ne
nos errorem in ordine putaremus. Nescit enim unitas ordinem, gradū nescit æqualitas:
nec cadit in dei filiū, ut per contumaciā pietatem lederet magister ipse pietatis. Refert
itaq; aduertere, quo loci hæc dominus disputauerit. Frequenter enim eius oracula ex

locorum in quibus diuersatus est qualitatibus aestimantur. Ieiunaturus, ab spiritu (sicut legimus) ducitur in desertum, ut euacuaret diaboli tentamenta. Nam & si in abundantia copiarum continenter uixisse, laudandum est: tamen in diuitijs & amoenitatibus frequentior tentationis illecebra est. Denique tentator ut tentet, copias pollicetur: & dominus ut uincat, famem nutrit. Nec ego diffiteor in diuitijs esse posse continetiam. Sed & qui mare nauigat, frequenter euadit, magis tamen obnoxius est periculo, quam qui nauigare noluerit. Videamus caetera. Promissurus regnum caelorum montem ascendit. Alibi per facta ducit discipulos, seminaturus in eorum affectibus caelestium segetem praceptorum, ut messis animorum foecunda flauesceret. Consummaturus susceptae carnis officia, cum perfectionem in discipulis iam uideret, quos uerborum suorum radice fundauerat, hortum ingreditur, ut olearum nouellas in domo domini plantaret, & iustum palmae florentem modo uitemque foecundam riuo sui sanguinis irrigaret. Hoc quoque loco in porticu Salomonis deambulat, dedicationis ut legimus die, hoc est in pectore sapientis atque pacifici deambulat Christus, eius sibi dedicaturus affectum. Quae ista porticus sit, docet propheta dicens: Deambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meae. Habemus ergo in nobis domum dei, habemus atria, habemus & porticus, habemus & plateas, quia scriptum est: In plateis tuis superfluant aquae tuae. Dilata ergo hanc porticum tui cordis, dei uerbo, qui dicit: Dilata os tuum, & adimplebo illud. Ergo deambulans in corde sapientis atque pacifici dei uerbum, audiamus quid loquatur: Ego & pater unum sumus. Non dicit hoc in pectore perturbatoris & stulti, quia animalis homo non percipit quae sunt spiritus dei, stultitia enim illi est. Non capiunt fidei magnitudinem angusta impiorum pectora. Denique Iudaei audientes: Ego & pater unum sumus, tulerunt lapides ut lapidarent eum. Qui hoc audire non potest, Iudaeus est: qui hoc audire non potest, lapidat Christum asperioribus omni caute perfidiae suae saxis, & si mihi creditis, uulnerat Christum. Nam & si ille iam uulnus sentire non possit, (nunc enim secundum carnem iam non nouimus Christum,) tamen Arrianorum impietate lapidatur, qui Ecclesiae pietate laetatur. Bonum mihi est domine lex oris tui, seruo praecceptum tuum. Vnum te esse cum patre ipse dixisti. Quia hoc credidit Petrus, clauis regni caelorum accepit, & sui securus peccata donauit: quia hoc non credidit Iudas, impietatis suae se laqueo strangulauit. O dura infidelium saxa uerborum. O informem laqueum proditoris, sed deformius precium Iudaeorum. O argentum improbum, quo aut emitur ad necem iustus, aut uenditur. Ioseph uenditus, emptus Christus: alter ad seruitutem, alter ad mortem. Detestabilis haereditas, feralis auctio: quae aut fratrem uendit iniuriae, aut dominum licitatur exitio, salutis omnium redemptorem. Duo igitur quae praestantiora sunt omnibus. Iudaea uiolauit, fidem atque pietatem: sed in utroque Christum fidei & pietatis authorem. Nam & in patriarcha Ioseph typus Christi fuit, & in ueritate sui corporis Christus, qui non rapinam arbitratus est esse se aequalem deo, sed formam serui accepit: propter lapsum uidelicet nostros suscipiens seruitutem, nec refugiens passionem. Alibi uiginti aureis emitur, alibi triginta. Quomodo enim poterat uerum eius precium comprehendere, cuius non potest meritum definiri: Erratur in precio, quia erratur in studio. Viginti aureis in ueteri testamento uenditur, triginta in Euangelio. Preciosior enim typo ueritas: largior gratia, quam disciplina. Opimior lege praesentia: quia lex promissit aduentum, legem aduentus impleuit. Viginti aureis emunt Hismaelitae, triginta Iudaei. Nec hic figura mediocris. Ad sacrilegium perfidi largiores, quam ad salutem fideles sunt. Vtriusque tamen contractus considerare conuenit qualitate. Viginti aurei, precium seruitutis: triginta aurei crucis sunt. Quauis enim simili modo assumptionis & passionis sint admiranda mysteria, plenitudo tamen fidei in sacramento est passionis. Non minoris quidem aestimo sanctae uirginis partum, sed gratius fumo benedicti corporis sacramentum. Quid clementius, quam quod mihi suas donauit iniurias? Plenius tamen est, quod tantum contulit nobis: ut qui moriturus non erat, quia deus erat, nostra ille morte moreretur, ut nos eius spiritu uiueremus. Denique non ociose & Iudas Scharioth unguentum illud trecentis denarijs aestimauit: quod utique ipsius precij definitione crucem uidere dei declarare. Vnde & dominus ait: Haec enim mittens hoc unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Cur igitur Iudas hoc carius aestimauit? Quia peccatoribus plaris constat remissio peccatorum, & indulgentia uidetur

uidetur esse preciosior. Deniq; habes scriptum: Quia cui multū dimittitur, plus diligit. *Luc. 7*
 Ergo & ipsi peccatores dominicæ passionis quam perdiderunt gratiam confitentur, &
 testimonium ferunt Christo, qui Christum sunt persecuti. Aut quia in maleuolam animā
 non intrat sapientia, etiam hoc loquebatur proditoris affectus: carius æstimabat domi-
 nici corporis passionem, ut omnes à fide precij enormitate reuocaret. Ideoq; dominus
 gratis se obtulit, ne quem reuocaret à Christo pauperratis necessitas. Patriarchæ eum ui-
 uendiderunt, ut omnes emerent. *Esa. 55*
 emite, & bibite, manducate sine argento, ut eum acquireret qui non habebat argētum.
 O Iuda proditor, unguentum passionis eius trecentis denarijs æstimas, & passionē eius
 triginta denarijs uēdis: Diues in æstimatione, uilis in scelere. Ergo nō omnes eodē pre-
 cio emunt Christum. Alio emit Fotinus qui ad mortem emit, alio Arrianus qui emit ad
 iniuriam, alio catholicus, qui emit ad gloriam. Sed emit sine precio, secundum quod scri-
 ptum est: Qui non habet pecuniam, emat sine precio. Non omnes, inquit, qui dicunt mi-
 hi domine domine, intrabunt in regnum cœlorum. Et si multi se nominēt Christianos,
 nomen usurpant, non omnes mercedem habent. Et Cain obtulit sacrificium, & Iudas ac-
 cepit osculum, sed audiuit: Iuda osculo filiū hominis tradis: hoc est amoris pignore sce-
 lus implet, & pacis instrumento odia seris, & charitatis officio mortē irrogas. Ergo nec
 Arriani sibi usurpato nomine blandiantur, quia Christianos se esse dicunt. Respondet
 eis dominus: Nomen meum prætenditis, & substantiam denegatis, sed non agnosco no-
 men meum, ubi non est mea sempiterna diuinitas. Non est nomen meum quod a patre
 diuiditur, ab spiritu separatur: non agnosco nomen meum ubi non agnosco doctrinam
 meam: non agnosco nomen meum, ubi non agnosco spiritum meum. Nescit enim se spi-
 ritus patris comparare seruitijs quæ creauit. De quo multa iam diximus.

Collectio, quia spiritus deus, quoniam & sine peccato est, & peccata donat, &
 creator est, & seruimus ei, & adoratur. Hęc enim omnia dei sunt, & quia à mor-
 te suscitatur.

Cap. XIX.

A D summam tamen, ut in fine quę disperse dicta sunt, expressius colligamus:
 cum ex cæteris, tum ex quatuor istis præ cæteris manifesta diuinitatis gloria
 comprobatur. Deus enim ex eo cognoscitur: aut quia sine peccato est, aut
 quia peccata condonat: aut quia creatura non est, sed creator est: aut quia nō adorat, sed
 adoratur. Sine peccato itaq; nemo est: quia nemo sine peccato, nisi unus deus. Peccata *Luc. 5*
 quoq; nemo condonat, nisi unus deus, quia æquē scriptū est: Quis potest peccata dona-
 re nisi solus deus? Creator quoq; omnium non potest esse, nisi qui creatura non est: qui
 creatura aut non est, sine dubio deus est, quia scriptum est: Seruierunt creaturæ potius *Rom. 1*
 quam creatori, qui est deus benedictus in secula. Deus quoq; non adorat, sed adoratur,
 quia scriptum est: Dominum deum tuum adorabis et illi soli serues. Cōsideremus ergo,
 utrum horum aliquid habeat spiritus sanctus, quæ testimonium afferant diuinitatis. Pri-
 mū igitur de eo tractemus, quia nemo sine peccato, nisi unus deus. Exigamus ut doceāt,
 quod peccatū habeat spiritus sanctus. Sed docere non possunt, & authoritatē requirunt,
 ut lectione doceamus, quia non peccauit spiritus sanctus, sicut de filio lectum est, quia
 peccatū non fecit. Et hoc accipiant scripturarū authoritate nos docere. Scriptum est e-
 nim: Quia in sapiētia est spiritus intelligētis, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, benemo-
 bilis, disertus, immaculatus. Immaculatum dicit scriptura: Nunquid mentita est de filio,
 ut de spiritu credas esse mētitam? Dixit enim Propheta in eodem loco de Sapiētia, quia
 nihil maculosum in illam incurrit. Ipsa immaculata est, & immaculatus eius est spiritus.
 Ergo si peccatum nō habet spiritus, deus est. Sed quomodo reus potest esse peccati qui
 donat ipse peccata? Ergo peccatum non fecit. Et quia sine peccato est, creatura non est.
 Omnis enim creatura peccatorum capacitati obnoxia est: sola autem est à peccato im-
 munis & immaculata sempiterna diuinitas. Nunc uideamus utrum peccata donet spiri-
 tus. Sed hinc dubitari nō potest, cū ipse dominus dixerit: Accipite spiritum sanctū: quo-
 rum remiseritis peccata, remissa erunt. Ecce quia per spiritum sanctum peccata donan-
 tur. Homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non ius
 alicuius potestatis exercent. Neq; enim in suo, sed in patris & filij & spiritus sancti nomi-
 ne peccata dimittuntur. Isti rogant, diuinitas donat: humanum enim obsequium, sed
 munifi-

munificentia superna est potestatis. In baptismo quoque peccata donari, non est ambiguum. In baptismo autem operatio patris & filii & spiritus sancti est. Ergo si peccatum non habet spiritus, cum scriptum sit: Quis potest dimittere peccata nisi unus deus: utique qui non potest ab unitate naturalis nominis separari, non potest etiam a dei potestate secerni. Si autem a dei non secernitur potestate, quomodo a dei appellatione secernitur? Videamus nunc utrum creatura sit, an creator. Sed cum supra creatorem evidentissime probauerimus, quia scriptum est: Spiritus diuinus qui fecit me: & innouari faciem terrae per spiritum, & sine spiritu fathiscere omnia declaratum sit: apparet spiritum esse creatorem. Sed quis hoc dubitet, quando sicut supra ostendimus, ne domini quidem ex Virgine assumpta generatio, quae praestantior omnibus creaturis est, operatiois exors sit spiritalis: Non ergo creatura spiritus, sed creator est: qui autem creator, non utique creatura. Et quia creatura non est, sine dubio creator est omnium, qui patri & filio cooperator est in omnibus. Si autem creator, utique dicendo Apostolus, in condemnationem gentilitatis, quia seruiunt creaturae potius quam creatori qui est deus benedictus in secula: suadendo quoque ut supra docuimus: seruiendum esse spiritui sancto, & creatorem ostendit, & quia creator est, deum appellari debere monstrauit. Quod etiam in epistola quae ad Hebraeos scripta est, comprehendit dicens: Quoniam qui omnia creauit, deus est. Aut dicant igitur quid sit quod sine patre & filio & spiritu sit creatum, aut spiritum quoque unius cum patre & filio deitatis esse fateantur. Adorandum quoque docuit, quem dominum & deum dixit. Qui enim deus uniuersitatis & dominus, utique ab omnibus adorandus est. Sic enim scriptum est: Dominum deum tuum adorabis, & ipsi soli seruias. Aut dicant ubi legerint, quia adoratur spiritus. Dicitum est enim de dei filio: Adorent eum omnes Angeli eius. Non legetum est, adoret spiritus. Quomodo enim potest adorare, qui non inter famulos & ministros est, sed cum patre & filio seruitia habet subiecta iustorum, quia scriptum est: Spiritui deo seruiamus. Adorandus igitur est nobis, cui seruiendum a nobis Apostolus docuit. Cui autem seruiamus, hunc & adoramus. Iuxta quod scriptum est, ut eadem saepe repetimus: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Quanquam nec hoc praetermisit Apostolus, quin & spiritum diceret adorandum. Cum enim docuerimus quia spiritus in prophetis est, nec hoc quisquam possit ambigere, quia per spiritum prophetia datur, utique cum adoratur qui in prophetis est, idem spiritus adoratur. Itaque sic habes: Si conueniat uniuersa Ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intret autem idiota aut infidelis, non ne dicent, quid insanitis? Sin autem prophetent omnes, intret autem quis idiota aut infidelis, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus. Occulta etiam cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit deum, pronuncians quod uere deus sit in uobis. Deus est ergo qui adoratur, deus qui manet & qui loquitur in prophetis: manet autem & loquitur spiritus, ergo & spiritus adoratur. Itaque sicut pater & filius unum sunt, quia filius omnia habet quae pater habet: ita & spiritus unum est cum patre & filio, quia & ipse omnia dei nouit. Non enim extorsit, ne sit amittentis iniuria: non rapuit, ne damnum sit eius, cui uideretur ereptum. Neque enim aut per indigentiam rapuit, aut per excellentiam uirtutis ualidioris extorsit, sed per unitatem possidet potestatis. Ergo si haec omnia operatur, quia omnia operatur unus atque idem spiritus: quomodo non deus, qui omnia habet quae deus habet? Aut consideremus quid habeat deus, quod non habeat spiritus sanctus. Habet deus pater diuinitatem, habet & filius, in quo habitat plenitudo diuinitatis: habet & spiritus, quia scriptum est: Spiritus diuinus qui est in naribus meis. Habet deus ut seruetur corda & renes, quia scriptum est: Deus scrutans corda & renes: habet & filius qui dicebat: Quid cogitatis in cordibus uestris mala? Sciebat enim Iesus cogitationes eorum. Habet & spiritus, qui etiam prophetis alieni cordis occulta manifestat, sicut supra diximus, quia occulta cordis eius manifesta fiunt. Et quid miramur si hominum scrutatur occulta, qui scrutatur etiam alta dei? Habet deus ut uerax sit, quia scriptum est: Sit autem deus uerax, omnis autem homo mendax. Et alibi scriptum est: Fidelis deus, qui non mentitur. Nunquid mentitur spiritus, qui est spiritus ueritatis, imo quem docuimus ueritatem dicentem, quia & ipsum Ioannes ueritatem sicut filium nuncupauit? Et in Psalmo ait David: Emitte lucem tuam, & ueritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Si lucem hic filium putas, ergo spiritus ueritas est: aut si filium putas

putas ueritatem, ergo spiritus lux est. Habet deus nomen super omne nomen, & dedit filio nomen, sicut legimus, ut omnes in nomine Iesu genua flectant. Hoc nomen utrū habet spiritus consideremus. Sed scriptum est: Ite baptizate gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Habet ergo nomen super omne nomen. Quod ergo habet pater & filius: habet & spiritus per naturalis nominis unitatem. Philip. 2

Quia sicut pater & filius, ita & spiritus sanctus suscitatur mortuos. Cap. xx

Habet deus quod suscitatur mortuos. Sicut enim pater suscitatur mortuos, & uiuificat: sic & filius quos uult uiuificat. Suscitatur autem etiā spiritus per quē deus suscitatur: quia scriptum est: Viuificabit & mortalia corpora uestra propter inhabitantē spiritū eius in uobis. Tamēne infirmā gratiā putes, audi quia & spiritus suscitatur. Dicit enim propheta Ezechiel: Veni spiritus & insuffla in mortuos istos & uiuēt, & prophetaui sicut mandauit mihi, & intrauit in eos spiritus uitae, & uixerunt & stererunt in pedibus suis cōgregatio nimis multa. Et infra deus dicit: Scietis quod ego sum dominus cū aperit sepulchra uestra, & educā de sepulchris populū meū, & dabo spiritū meum in uos, & uiuetis. Vtq; cū spiritū suū dixerit, nunquid aliū prāter spiritū sanctum nuncupauit? Neq; enim flatilē spiritū suū diceret, nec hic spiritus à quatuor mūdi posset uenire cardinibus, quia uentorum flatus hic quem uidemus, partis nō uniuersitatis est, & hic spiritus quo uiuimus, singulorum non uniuersorum est: spiritus autem sancti est, ut & super omnes, & in omnibus sit. Itaq; ex uerbis prophetis spectare licet, quemadmodum ossa dudum resolutorū mēbrorum compage dispersa, in formam rediuiui corporis uiuificante spiritu reuertantur, & in suos artus fauilla concresecat: sensu prius animata coeundi, quā specie reformata uiuendi. Non ne in facti similitudine unitatem diuinā recognoscimus potestatis? Sic suscitatur spiritus sicut et dominus in passione propria suscitauit, cum subito in momēto oculi defunctorum sepulchra patuerunt, et rediuiua corpora surrexere de tumulis, mortisq; foetore deterso ac uitae odore reparato, expirantium fauillae spirantium faciem receperunt. Habet ergo spiritus, quod habet Christus. Habet igitur quod habet deus, quia omnia quae habet pater, habet filius. Ideoq; dixit: Omnia quae habet pater, mea sunt. Ioan. 16

Quia spiritus in dei sede, & unum regnum patris, & filij & spiritus sancti indiuisum. Cap. xxi

Ecce illud mediocre, quod de throno dei exire fluuiū legimus. Sic enim habes dicente Ioanne Euangelista: Et ostendit mihi flumen aquae uitae, splēdidum tanquam crystallum, procedens de sede dei & agni: in medio plateae eius, & ex utraq; parte lignum uitae, faciens fructus duodecim, per singulos menses reddens fructum suum, & folia ligni ad medicinam omnium Gentium. Hic est utiq; fluuius de dei sede procedens, hoc est spiritus sanctus: quem bibit qui credit in Christū, sicut ipse ait: Qui sitit ueniat ad me, & bibat: qui credit in me, sicut dicit scriptura, Flumina de uentre eius fluent aquae uitae. Hoc autem dicebat de spiritu. Ergo flumen est spiritus. Hic igitur est in dei sede. Neq; enim aqua abluit dei sedem. Deniq; Dauid non supra sedem dei dixit, sed supra caelos esse, quamlibet illam intelligas aquam. Quia scriptum est: Et aquae quae super caelos sunt, laudent nomen domini. Laudent dixit, non laudet. Nam si aquae elementum uoluisset intelligi, laudet utiq; dixisset. Dicendo autem pluraliter, uirtutes uoluit aestimari. Et quid mirum, si in sede dei spiritus sanctus est, cum ipsum regnū dei operatio spiritus sit: sicut scriptum est: Quia non est regnum dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto. Et ipse cum dicit saluator: Omne regnum in seipsum diuisum destruetur: Deinde subiiciendo: Quod si in spiritu dei eiicio demonia, profecto peruenit in uos regnum dei, ostendit regnum sibi indiuiduum esse cum spiritu. Quid autē dementius, quam ut neget quisquam Christo conregnare spiritum sanctum, cum etiam nos in Christi regno conregnuros Christo Apostolus dicat? Si enim commortui sumus, & conuiuemus: si sustinemus & conregnabimus. Sed nos per adoptionem, ille per potestatem: nos gratia, ille natura. Habet igitur consortium regni cum patre, & filio etiam spiritus sanctus, qui unius naturae, unius dominationis, unius etiam potestatis est. Apo. 22
Ioan. 7
Psal. 148
Rom. 14
Luc. 11
2. Tim. 3

Quia

Quia dominus Sabaoth etiam spiritus sanctus.

Act. 28

I Taq; cum habeat consortium regni, quid obstat, quo minus spiritum sanctum intelligamus, à quo Esaias missus est? Neq; enim Paulo possumus authore dubitare, cuius sententiam in Actibus Apostolorum Lucas Evangelista sic probauit ut scriberet. Deniq; sic habes dicente Paulo: Bene locutus est spiritus sanctus per Esaiam ad patres nostros dicens: Vade ad plebem istam, & dic: Aure audietis, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & non aspicientis. Spiritus ergo est qui misit Esaiam. Si spiritus misit, spiritus est utiq; quem mortuo Ozia rege uidit Esaias quando dixit: Vidi dominum sedentem super thronum excelsum & eleuatum, & plena erat domus maiestatis eius, & Seraphim stabant in circuitu eius, sex alae uni, & sex alae alteri: & duabus uelabant pedes, & duabus uelabant faciem, & duabus uolabant & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, dominus deus Sabaoth, plena est uniuersa terra maiestate eius. Si stabant seraphim, quomodo uolabant? Si uolabant, quomodo stabant? Si hoc non possumus comprehendere, quomodo deum comprehendere uolumus, quem non uidemus? Sed sicut rotam intra rotam uidit prophetam currentem, quod utiq; non ad corporalis refertur speciem uisionis, sed ad utriusq; gratiam testamenti: eo quod teres uita sanctorum sit, & ita sibi concinens, ut superioribus posteriora respondeant. Rota igitur intra rotam, uita sub lege, uita sub gratia: eo quod Iudaea intra Ecclesiam sit, lex intra gratiam. Nam intra Ecclesiam est qui Iudaeus est in occulto, & circūcisio cordis intra Ecclesiam sacramentum. Sed illa Iudaea intra Ecclesiam, de qua scriptum est: Notus in Iudaea deus. Ergo si eum rota intra rotam currit, similiter alae stabant, & alae uolabant. Similiter & seraphim duabus alis faciem, & duabus pedes uelabant, & duabus uolabant. Nam hic quoq; spiritualis sapientiae sacramentum est. Stant tempora, uolant tempora: stant praeterita, uolant futura. Et quasi alae seraphim, ita faciem dei uel pedes uelant: eo quod in deum qui nec principium nec finem habet, omnis ab hac cognitione principij eius & finis cursus temporum feratur. Stant ergo praeterita uel futura, praesentia uolant. Ne quare principij eius uel finis arcana quae non sunt. Habes praesentia, sed laudato, non discute. Seraphim indefessis uocibus laudant, & tu discutis? Quod utiq; cum faciunt, ostendunt nobis non aliquando discutiendum deum, sed semper esse laudandum. Ergo dominus Sabaoth, & spiritus sanctus est.

Quia omnipotens etiam spiritus dei.

N Ili forte displicet impijs doctor, quem Christus elegit, aut dominum uirtutum negare possunt spiritum sanctum, qui donet quas uoluerit ipse uirtutes. Nunc unitatem maiestatis & regni licet in patre filioq; & sancto spiritu cognoscere. Nam pleriq; dicunt patrem deum ab Esaiam hoc tempore uisum, Paulus spiritum cognoscere. Lucas probauit, Ioannes Euangelista ad filium retulit. Sic enim scriptum est de filio: Haec locutus est Iesus & abiit & abscondit se ab his. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Esaiam impleretur quem dixit: Domine quis credidit autiditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excacauit oculos eorum & indurauit cor eorum: ut non uideant oculis, & corde intelligant & conuertantur, & sanem eos. Haec dixit Esaias, quando uidit maiestatem eius, & locutus est de eo. Ipsa uerba dixit Ioannes dixisse Esaiam, et maiestatem ei filij apparuisse euidentissime reuelauit. Paulus autem spiritum haec dixisse memorauit. Vnde igitur ista diuersitas? Diuersitas quidem uerborum non sensuum est. Nam licet diuersa dixerint, nullus errauit: quia & pater uidetur in filio qui dixit: Qui me uidit, uidit & patrem. Et filius uidet in spiritu, quia sicut nemo dicit dominum Iesum nisi in spiritu sancto, ita non carnali oculo, sed spiritali gratia Christus uidet. Vnde et scriptura ait: Surge qui dormis et exurge a mortuis, et illucescet tibi Christus. Et Paulus cum oculos perdidisset, quomodo nisi in spiritu Christum uidebat? Vnde et dominus ait: Ad hoc enim tibi uisus sum, ut constituerem te ministrum et testem quibus uidisti me, et in quibus uisurus es. Nam et prophetae spiritum accipiebant, et Christum uidebant. Vna igitur uisio, una praecipio, una maiestas. An negas etiam dominum maiestatis esse spiritum sanctum, cum dominus maiestatis sit crucifixus, qui natus est de spiritu sancto et uirgine Maria: quia non alter Christus, sed unus est, et ante secula ex patre ut dei filius natus &

& in seculo ut homo carnis assumptione generatus. Quid autem dicam, quia sicut pater & filius, ita etiam spiritus immaculatus est & omnipotēs: quia Græcè *πᾶν ὄντων*, ὡς ἔνδοξον, Salomon dixit, eo quod omnipotens & speculator sit omnium, sicut lectū esse in libro Sapientia, supra est demonstratum. Ergo & spiritus in honore est & in maiestate. Intuere nunc, ne quid eum forte non deceat: aut si tibi displicet Arriane, detrahe eum de patris filijque consortio. Si detrahere uolueris, celos supra te uerti uidebis, quia uirtus eorum omnis ab spiritu est. Si detrahere uolueris, in deum tibi prius mittēda est manus, quia deus spiritus. Sed quomodo detrahes eum, qui alta scrutatur deus?

Sapient. 7

FINIS.

CAPITA LIBRI DE FIDE ORTHODOXA CONTRA ARRIANOS.

Quod nihil periculosius ijs hæreticis esse possit, quibus multa nobiscum paria sunt: qui cum integre per omnia decurrere uideantur, uno tamē uerbo meram ac simplicem fidem inficiunt. Quodque sublato nomine substantia, quod isti de Euangelica & Apostolica fide patrumque traditione auferre uolunt, subtiliter Arriana hæresis intromittatur. Et qua ratione istud nomen tollere laborauerint.

Cap. I

De confutatione hæresis Arrianorum per firmissimas rationes, & euidentia sacra scripturae testimonia, eo quod ita deum filium de deo ponant, ut ex deo factus sit, non ex deo natus, & quod homouision, id est, unius substantia uocabulum auferant, illamque sapientiam quæ dei filius est, creaturam intelligant.

Cap. II

De destructione rationum, quibus Arriani errorem suum defendere conantur, præcipue dicentes ideo homouision nominari non oportere, quia in scripturis diuinis non contineatur.

Cap. III

Quo argumento Arriani deum non esse substantiam probare contendant, & de subtili illius dissolutione.

Cap. IIII

Quod cum unitas substantia in patre & filio non solum prophetica, sed & Euangelica autoritate comprobetur, non possit dici in scripturis diuinis homouision non inueniri. Et quæ sit ratio nominis. Quod præterea si ad aliquam similitudinem uelit Arrianus in deo comparationem facere, non possit expressus comparatum diffinire, nisi cum dicat lumen ex lumine.

Cap. V

Quid sit deus, & utrum ei aliquid possit comparari. Quemadmodum etiã ratio quædam sit quæ apud Græcos logos nominatur, quæ inter patrem & filiū personas uel uocabula distinguit. Et quod illa ratio multis nominibus appelletur, ac qua de causa singula de filio dicantur.

Cap. VI

De remotione occasionis erroris quæ hereticus Arrianus ex hoc capere posset, quod duo nomina uel duæ personæ, id est patris & filij statuunt, quasi duo dii dicantur.

Cap. VII

De apertione totius mysterij hæresis Arrianae cur noluerit filium de substantia patris credi, & de responsione ad motiua Arrianorum, quodque multum intersit inter ea quæ facta sunt, & eum qui omnia fecit. Et quemadmodum in multis ac uarijs figuris deus se patribus præostenderit, qui tamen secundum deitatem uideri non potuit.

Cap. VIII

DIVI AMBROSII ME- DIOLANENSIS EPISCOPI DE FIDE

ORTHODOXA CONTRA ARRIANOS LI-
BER VNVS.

Quod nihil periculosius ijs hæreticis esse possit, quibus multa nobiscū paria sunt, qui cū integre per omnia decurrere uideantur, uno tamen uerbo merā ac simplicē fidem inficiunt. Quodq; sublato nomine substantiæ quod isti de Euangelica & Apostolica fide patrumq; traditione auferre uolunt, subtiliter Arriana hæresis intro-
mittatur. Et qua ratione istud nomen tollere laborauerint. Cap. I



MULTAS quidem & graues hæreses nouimus à plurimis ebullire, & ueneni uice ad intimū pectus canceris sui uirus infundere. Sed uinci illi uel facile possunt, uel facile uitari, quorū prima propositio omne consiliū pectoris proditur. At uero hi quibus multa nobiscū paria sunt, facile possunt innoxias mentes, & soli deo deditas, fraudulenta societate percutere, dum malorum suorum uirus per bona nostra defendunt. Nihil enim periculosius his hæreticis esse potest, quam qui cum integre per omnia decurrant, uno tamen uerbo, ac si ueneni gutta meram illam ac simplicem fidem dominicā, & exinde Apostolicā traditionis inficiant. Vnde uehementer nobis cauendum est, ne se uel sensibus uel auribus nostris huiusmodi aliquid latenter insinuet: quia nihil tam cogit in mortem quam sub obtentu fidei fidem uiolare. Ut enim gypsum aqua permixtum, lac colore mentitur: ita hic per uerisimilem confessionem traditio inimica suggeritur. Qua de re non similitudo confessionis, sed sensus mentis est ponderandus quo confessio ipsa firmatur. Deniq; si diligentius & accuratius attendatis, cur uoluerint de Euangelica & Apostolica fide, & de patrum traditione substantiæ nomen auferri, proculdubio probatis hæresim Arrianā subtili compendio breuiatam, sublato hoc nomine intromissam. Nec hoc quidem ego suspicione aut opinione collectum affirmo. Nec uti ipsi purant Academicus disputator afflito, ut simplices sensus uerborum subtilitate contorqueam, sed ut contortos, & prauos tenui argumento compositos in lucem cognitionis exponā, quo facilius possit cognita, & comperta iniquitas ab hominibus euitari. Quæ etenim causā, quæ ueratio extitit, ut quod docendum & quod credendum cunctis Ecclesiis fuerat traditum, quodq; patres nostri Apostolici uiri contra uniuersas hæreses, & maxime Arrianam, quasi quædam obicem ueritatis, quo omnes aditus pestiferæ doctrinæ obstruerent, sancto spiritu mundati, catholica ratione posuerunt, non sine magno nisu ab his qui tunc elogio Arrianæ labis addicti sunt, laboretur auferri, nisi ut filium dei mirabilem, & conuertibilem, utpote non de propria patris substantia constituisse confingant: cui & initium ex tempore, & ortum ex nihilo, nomen ex altero, ut semper docuerunt, propter quod & saepe damnati sunt, nunc iam libere, & secure incunctanterq; Ecclesiis tradere, & insinuare possint.

De confutatione hæresis Arrianorum per firmissimas rationes & euidentia sacrae scripturae testimonia, eo quod ita deum filium de deo ponat, ut ex deo factus sit, non ex deo natus. Et quod homouision, id est, unius substantiæ uocabulum auferant, illamq; sapientiam quæ dei filius est, creaturā intelligat. Cap. II

Videtis ergo omnia eos in tractatu ipsorum, non Euangelica fide, sed subdola malignitate ad seducēdos simplices quosq; posuisse. Non iam tam suspectū quam manifestum omnibus esse debet, ita eos deum de deo posuisse, ut Arrius tradere solebat, ut ex deo factus sit, non ex deo natus. Qui si natus est, unius substantiæ est. Si factus est, uerus filius nō est. Et si uerus filius non est, nec uerus deus est. Aut si uerus deus est, & de patre non est, duo sunt habentes singuli & uolūtates proprias, & imperia diuersa. Vel si concordia tantū & societate unū sunt, nō tamen et substantia: uerus, ut

ut iam dixi, deus non est. Sic erit deus ut Moyses Pharaoni, potestate, non genere. Filius quoque ita credendus erit, ut per Esaïam populo dictum est: Filios genui & exaltaui. *Esa. 1*
 Et alibi: Dñi estis & filij altissimi omnes. Sed & primogenitus ita habebitur, quomodo *Psal. 18*
 & Israel à deo primogenitus filius appellatus est. Nec non & primogenitus totius creaturæ, quasi in ordine factorum primogenitus habeatur, ut ex eo seriem quandam creaturis mundi rebus assignent. Denique sublato homouision, id est unius substantiæ uocabulo, similem gestori suo posuerunt, cum aliud sit similitudo, aliud ueritas. Nam & homo ad imaginem & similitudinē dei factus est, nec ramen Deus est. Nec quod deus est, homo extitisse credendus est. Ita & filium dei similem uolunt, ut eum aliunde simile non de ipsa una sancta & beata patris substantia dicant. Qui si de patris substantia non est, *ioan. 10*
 is *ὁὐτος* est, id est de nullis extantibus ut idem Arrius tradidit. Sublato enim eo quod pater est, undecumq; fuerit filius, necesse est ut & initium ex nihilo & ortum ex tempore habeat. Nihil enim sine initio nisi solus deus. Vnde & filius siue ipse dominus ait: Ego & pater unum sumus, Quod ideo dixit, ut duarum personarum uocabula in unius deitatis maiestate monstraret. sicut & Propheta ex uoce dei: Eructauit, inquit, cor meum uerbum bonum, dico opera mea regi. Vides ergo hoc uerbum bonū filium dei esse, quem non aliunde nisi de paterno pectore (& ut ita dixerim) de utero cordis dei credimus natum. Et proinde eum regem appellat, quia ipse est rex regum. Deum dominum cui omnia diuina opera succumbunt, qui dixit: Omnia quæ pater habet mea sunt. De hoc & Euangelista: In principio, inquit, erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Igitur quod in principio erat, semper fuisse credendum est. Sed nec aliunde esse quam ex eo qui principium non habet, id est de corde patris qui eructauit, inquit, cor meum uerbum bonum. Non enim dixit: In principio factum est uerbum, sed in principio, inquit, erat uerbum. Quod *ioan. 1*
 cumque principium uerbi assignare uolueris, præiudicatum habebis, quia in principio, inquit, erat. Non quod duo principia ex rerum diuersitate dicamus, sed quia sermo filius semper cum patre est, & de patre natus est. Ac proinde cuius origo principium non habet, sempiternus cum patre credendus est, quia nec pater potest unquam sine filio nominari, nec filius sine patre uocari, ac per hoc semper filius, quia semper pater. Et deus, inquit, erat uerbum. Quod deus est, semper est, ne si semper non fuerit, uerus deus semper esse non possit: sicuti & in sophiæ nomine, quia secundum Apostolum ipse est sapientia patris. Ego, inquit, ex ore altissimi prodiui. Nō ergo aliunde quam de patre, quia semper cum patre. Et ideo sapientia dei appellatur, ut nunquam pater sine sapiētia, hoc est sine filio suo fuisse credatur. Hæc est illa sapientia ineffabilis, quæ initio uiarum dei apud Salomonem uel condita uel genita uel creata describitur, quam tamen sic conditā dicit ut semper eam cum deo fuisse ostendat, Quid enim deo dabis, ut initium possis sapientiæ ipsius consignare? Non enim ita deus sapientiam suā condidit, quasi aliquando sine sapientia fuerit. Sed cum initio uiarum suarum dicat, initium motus operis alicuius ostendit, ut hoc initium habeat sapientia dei, quod de deo processit ad creanda omnia, tam cœlestia quam terrestria, nō quo cœperit esse in deo. Creata est ergo sapientia, imō genita, non sibi quæ semper erat, sed his quæ ab ea fieri oportebat, ut quia quanta & qualis esset sciri non poterat, de effectu operum suorum uirtus eius, & potentia nosceretur, ut quod de conditis estimamus, tunc magis timeremus cum facta miramur. Cæterum si tu ita creatam sapientiam dicas, ut filium dei creaturam intelligas, occurrit tibi apostolus *Roma. 1*
 cōdēnans eos qui creaturā colunt dicēs: Propter quod tradidit illos deus in desiderium cordis eorum in immunditiā, ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis: qui cōmutauerunt ueritatem dei in mendacium, & coluerunt & seruiuerunt creature potius, quam creatori, qui est benedictus deus in secula. Hæc est inquam illa sapiētia dei, quæ dicit: Ego ex ore altissimi prodiui, uniuersitatis cōditrix, & effectrix id est, filius dei per quē omnia, & in quo omnia, quia ut Apostolus dixit: In ipso cōstituta sunt uniuersa in cœlis, & in terra, uisibilia & inuisibilia, siue throni siue dominationes, siue uirtutes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso condita sunt, & ipse est ante omnia, & omnia in ipso constant. Hæc & Salomon: Cum sit, inquit, una, omnia potens & permānens in se, *Sapient. 7*
 omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert. Quod confirmans Apo- *p* *stolus*

stolus ait, in interiore homine habitare Christum, ut per quem à principio omnia facta sunt, per ipsum & in fine cuncta saluentur.

De destructione rationum, quibus Arriani errorem suum defendere conantur, præcipue dicentes ideo homouision nominari non oportere, quia in scripturis diuinis non contineatur.

Cap. III

Psalm. 71

Rom. 10

Ioann. 16

Ioan. 1

Ioan. 8

Ed dicis mihi, homouision unius substantiæ nomē ob hoc potius quā creaturam adorant seruantes eadem utiq; quæ Apostolus dixit: Vt in nomine Iesu omnes genu flectant, cœlestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur. Et Moyses: Adorent, inquit eum omnes angeli dei. Et Dauid: Omnes reges adorabunt eum. Quod quidem in scripturis non diceretur, sed quia ipse est sermo filius omnium opifex. Sed dicis homouision nominari non oportere, quia in scripturis diuinis non contineatur. Quæro & ego, homo qui hoc prohibes, si ideo nominari non debet, quia scriptum non est, an quia ita credi liceat? Quod si ita credendum est, cur non ita profitendum? Corde enim, inquit, Apostolus, creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Aut si ideo nominandum nō est, quia nec ita credendum: obtinuit Arrianae labis assertio, quæ ideo patrem & filium unius substantiæ denegauit, quia filium dei, modo ex nihilo, modo ex patre, sed alia substantia quando uoluit, & quomodo uoluit, & unde uoluit factum inducit, dummodo aliunde eum, & non de eo quod pater est extitisse confingat. Quæ & si natū dicit, sed hoc dicto genus: quia rursus omne quod natum est, factum intelligit, eo quod & nos à deo geniti appellemur, quos constat esse facturam. Vel si Arrianus non es, & uerum filium de uero patre natum non factum agnoscis, cur non eum cum patre unam substantiam dicis? Frustra times homoprofiteri quod credis, & frustra credis si ita non credis, & merito hæreticus denotaris. Et quam immutaueris dictum, quo putaris prohibuisse dei filium nuncupari facturam, sed cum subiungis, sicuti aliquid horū quod factū est: ex aperto ostendis non ob hoc facturam dici uoluisse, quasi non debeat factus intelligi, sed non ita factū uis sicut aliquid horum quod factū est, sed tamen factum. Aliter enim dicis factum, utpote perfectam creaturam, per quem facta sunt omnia, dummodo & ipsum factum intelligas, licet non ita ut cætera. Sed ut ad id reuertar, quod dicis in scripturis diuinis homouision, id est, unius substantiæ uocabulum nō inueniri, finge hoc interim sic sit, eo quod ubicunq; substantia legitur, res dei non deus accipiatur, quanquam & aliud quod scriptū nō pariter profitearis, id est, deū ex deo, lumen ex lumine: quid ad hæc dicis? Aut totum mecum tene, aut totum omitte. Si enim unius substantiæ uocabulum inde times dicere, quia scriptum non est: timere identidem debes deum ex deo, & lumē ex lumine profiteri. Sed ego probo deum de deo, & lumen de lumine, & unius substantiæ uocabulū in diuinis scripturis contineri. Cum enim ipse dei filius qui deus est, in Euangelio suo dicat: Ego de patre exiui: iure & merito deū de deo profitemur, quia de deo patre filium dei, deum uerū de deo uero natum esse cognoscimus. Sed nō eo genere ut nos dii sumus appellati, uel ut Moyses Pharaonis deus est dictus. Sed quia uerus est filius: de uero patre natus est: uere & confidenter deus de deo dicendus est, sic & lumen ex lumine. Quod scriptū non est, mecum quidem dicis, sed mecum omnino non sentis, ut quia scriptum est de patre: Deus lux est, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, Et lux lucet in tenebris, id est, Christus in cœlo, & tenebræ eam non sunt asscutæ. Hi scilicet homines quorum cor ignorantia tenebris obcæcatum est, Christum uerum deum, & uerum dei filium non agnouerunt, sed ipse dominus: Ego sum, inquit, lux mundi, qui me secutus fuerit non ibit in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Ergo quia lumē pater, & lux filius, recte lumen de lumine. Sed lumen ex lumine ita asseris quasi à patre qui uerum lumen est, aliud lumen sit factum, quod de ipsa patris substantia non sit, sed sicuti aliud quodlibet lumē, quanquam à deo sit factū, longe tamen aliud sit ab eo qui fecerit, & ideo lumen ex lumine non de lumine dicis. Cum ergo hæc prælocutus sum, licet mecum non intelligas, tamen quomodocunq; ipsa pronuncias, cum scripta non sint: An non & unius substantiæ uocabulum, quod in scripturis non putas contineri, mecum pariter profiteris, nisi quia illuc habuisti quomodo malignos sensus tuos occulta fraude in utroq; contegeres, sed mecum hoc ipsum sono uocis exprimeres, sed tamen longe dicti intelligentiā separares sicuti

sicuti & illi hæretici qui resurrectionem carnis negant, ad decipiendas animas simpliciū dicunt his quia in carne non resurgant. Sed si discutias eos cur hoc dixerint, cum scias illos carnis resurrectionem omnino negare, dicent tibi: Vtiq̄ illē erit qui in carne baptizatus non fuerit, ut anima ipsius dum in corpore est, de morte delictōrum suōrum, ut de sepulchro criminum per baptisma in eadem resurgat. Solius enim animæ per lauacri uitalis gratiam resurrectionem in carne defendent, nam & ipsius carnis salutem excludūt. Et hi per uerissimilem confessionem innocentium mentes occulta fraude seducunt. Et ut solet letale poculum mellis dulcedine temperatum suauitate fallente perimere, sic & hoc malum per blandimentum aurium audientium sensus quadam labe contaminans, contagione uitij adhaerentis inficit.

Quo argumento Arriani deum non esse substantiam probare contendant, & de subtili illius dissolutione.

Cap. IIII

Eniq̄ & nunc possent homouision sicuti & cætera uerbotenus nominare, si habent quomodo illud ad aliam intelligentiam sæuo sensu peruerterent.

D Sed cum uiderent se in hoc uerbo concludi, nullam omnino mentionem

huius fieri uoluerunt, ne aut profitendo hoc crederent, aut credentes professi uiderentur: subtili ingenio excusantes, quod aut scriptum non esset, aut deum in substantia dici non oportere, ne corporeus uideretur. Deus etenim, inquiunt, efficit ut sit substantia, non tamen ut ipse deus in substantia deputetur, quippe aiunt cum omnis substantia contraria recipiat, deus uero qui nihil diuersum admittere potest, in substantia dici non debet. Ignoscerem tibi si hoc simpliciter diceres, si rationem rei uelles scire, si rudis ad hanc questionem accederes, si non ipse esses qui semper uel de alia substantia uel de nullis ex tantibus dei filium asserebas. At cum idem ipse sis, qui hinc sæpe cōuictus, sæpe confessus, sæpe negasti, sæpe aliter immutando damnatus es, qui etiam nunc in ambitione exagitantibus turbas omnia, quomodo putas me ignoscere tibi posse frequentius eadem retractanti? Sed ne uideatur hæc peruersitas præiudicata magis quam examinata damnari, breuiter tibi de hac oppositione respondeam. Prohibes itaq̄ ideo substantiam nominari, quasi omne quod substantia dicitur, res ipsa unius generis habeatur. An ignoras aliter cœlestia, aliter terrena constare, sed & in ipsis cœlestibus rebus atq̄ mundanis magnam differentiam interesset? Aliter enim angeli, aliter singulæ uirtutes constitutionum suarū substantias acceperunt, sicuti Apostolus ait: Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Sic & in hoc mundo, ut diuersa genera rerum, ita & diuersa corpora animalium, & omnibus sui cuiusq̄ generis substantia, sicut Apostolus dicit: Non omnis caro eadem caro. Si ergo ea quæ a deo facta sunt diuersas qualitates substantiarū suarum habent, tu putas in deo talem esse substantiam, qualem habet aliquid horum quod factum est, ut possit contraria recipere? Absit. Quæ est enim substantia dei? Ipsum quod deus est simplex, singulare, purum, nulla concretionem permixtum, lymphidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum, totum. An tu putas inane aliquid esse & uacuum quod est deus? Hoc enim dici blasphemia est, ut inane putetur per quem cuncta constiterunt, qui omnia uerbo edidit, ratione composuit, uirtute perfecit, cuius nutu & imperio uniuersa reguntur, cuncta deseruiunt. Et bene de deo legis scriptum: Ego sum qui sum, Et, Qui est, misit me. Et ipse saluator dominus: Hæc est, inquit, uita æterna ut cognoscant te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christum. Est ergo in substantia essentia sua deus cuius cognitio uita æterna est, qui & tantus est quantus dici non potest. Qui tunc digne æstimatur cum inæstimabilis dicitur, utique uelis ac nolis. Ergo ipsum quod est, hoc est substantiæ eius rei quæ esse defenditur: quod tamen iam dictum est, quantum & quale sit, nec mente concipi, nec sensu æstimari, nec animo definiri potest, dummodo constet esse quod esse creditur, ut de eo ipso quod deus est, inde sit filius, ut uerus sit filius, & uerus sit pater in filio, & filius in patre. Hoc erit homouision, id est, unius substantiæ cum patre. Sicut ipse dominus ait: Ego in patre & pater in me. Ego & pater unum sumus: & Ego de patre exiui: & Qui me uidet, uidet & patrem. Non immerito, quia filius dei de deo patre natus est, & ideo de unitate substantiæ, & de maiestate deitatis unum sunt, sicuti & Hieremias prophetauit: Quis stabit in substantia domini, & uidebit uerbum domini: Et iterum: Si stetissent in substantia mea, & si audissent

2. Cor. 15

Exod. 3
Ioann. 17

Ioan. 14
Ioan. 10

uerba mea, auertissem eos ab studijs eorum pessimis. Et apud Salomonem: Substantia mea, dulcedo mea est.

Quod cum unitas substantiæ in patre & filio non solū prophetica sed & euangelica auctoritate comprobetur, non possit dici in scripturis diuinis homouision non inueniri. Et quæ sit ratio nominis. Quod præterea si ad aliquam similitudinem uelit Arrianus in deo comparationem facere, non possit expressius comparatum definire, nisi cum dicat, lumen ex lumine. Cap. V

Cum ergo hanc unitatem substantiæ in patre & filio non solum prophetica, sed & euangelica auctoritate cognoscas, quomodo dicis in scripturis diuinis homouision non inueniri, quasi aliud sit homouision quam quod dicit: Ego de deo patre exiui: et, Ego & pater unum sumus: Vel quod propheta ex aperto substantiam dei intimabant: Hæc est autem nominis ratio, ut in patre & filio unitatem substantiæ credas, licet rem ipsam (quæ est inenarrabilis) definire non possis, ut siue lumen de lumine dicas, siue uerbum de uerbo, siue spiritum de spiritu, siue dominum de domino, quodcumque de eo dixeris, unus tamen essentiæ patrem & filium credas, & de eo ipso quod pater est, filium intelligas. Nam si aliquam comparationem de rebus his quæ uidentur in eo facias, ipsa dissimilitudine rerum non rationem ostendes, sed altercationem disputationis induces, ut cuius uoce descriptum est, Cui me comparabitis: ac proinde deus cui assimilari nihil potest, sufficiat credi quod ipse sentitur, quem ipse credi se uoluit, non indicari. Denique si de hoc ipso quod tecum profiteris, ad aliquam similitudinem uelis in deo conferre, nescio an quod comparaueris possis expressius definire: ut puta cum dicis lumen ex lumine, si ad explanandum illud scrupulosa narratione cogaris quæro quomodo lumen ex lumine credas? Vtrum quasi lucernam ex lucerna, uel quasi solem ex sole, ut aut duas lucernas, aut duos soles quasi duos deos sub hoc exemplo inducas: Aut splendorem luminis eiusdem lucernæ, uel claritatem solis de eodē sole fulgente, lumen de lumine consignes, ut in matricem luminis patris figurā assimiles, filiū uero in splendore claritatis ostēdas quod de eo propheta dixit: Apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. Vel Salomon cum dicit: Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Vel Apostolus hic prædicauerit saluatorem nostrū imaginē esse inuisibilis dei, eo quod imago lux sua sit quæ de eodem sole procedit. Sed quæta ad hæc responderi possunt, quæ lites generant, quod Apostolus prohibet, longū est dicere: Quippe cum constet lumē illud quod deus est estimari, cōprehendi & definiri non posse. Nec uere aliquid ex his quæ in hoc mundo sunt, maiestati diuinæ comparari, quia nihil de omnibus istis quæ uidentur aut dicuntur secundū id quod deus est, cōdigna similitudine æstimari potest, quippe cū ipsis intellectibus & sensibus maior sit. Idem præmonuit ut diuinitatem substantiæ crederes, & uerum filium de uero patre cognosceres. De qualitate autem rei requirere non deberes, quia quale aut quantum sit, scire non possis. Hoc enim propheta, hoc apostoli prædicarunt.

Quid sit deus, & utrum ei aliquid possit comparari. Quemadmodum etiā ratio quædam sit quæ apud Græcos logos nominatur, quæ inter patrem & filiū personas uel uocabula distinguit. Et quod illa ratio multis nominibus appellatur, ac qua de causa singula de filio dicantur. Cap. VI

Denique pro captu, pro uiribus, pro fide nostra intueamur, deus quid sit, & uideamus an ei aliquid possit comparari. Certe hic est de quo & cum dicitur, non potest dici: Cum æstimatur, non potest æstimari: Cum comparatur, non potest comparari: Cum definitur, ipsa sua definitione crescit. Qui cœlum manu sua operit, pugno omnem ambitum mundi claudit. Quem totum omnia nesciunt, et metuendo sciunt. Cuius nomini & uirtuti famulatur hic orbis, & ipsa elementorum sibi succedentium momentanea uicissitudo testatur. Vide ergo si potest aliquid esse cui possit pater comparari & filius, quia talis est filius qualis & pater. Non enim ipse se unum cum patre diceret, nisi talem se qualis est pater sciret. Ratio quædam est quæ apud Græcos logos nuncupatur, quæ inter patrem & filium personas uel uocabula distinguit, quia & ipse filius ratio dicitur. Quæ tamen ratio multis nominibus appellatur. Modo uerbum, modo uirtus, modo sapiētia, modo dextera, modo brachiū, modo margarita, modo thesaurus, modo

modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo agnus, modo homo, modo vitulus, modo aquila, modo leo, modo uia, modo ueritas. Et ita cū sit deus omnia in omnibus, ut per hæc uocabula diuinarum dispositionum mysteria cognoscantur, nō ut ipsa maiestas filij dei proprie definita monstretur. Quid est enim filius de eo quod pater est? Alius idem. Nam & hoc uerbum nuncupatur, quia ex proprio diuino ore processit, & nihil pater sine eo aut iussit aut fecit. Virtus dicitur, quia uere de deo & semper cum deo est, & omnis potestas patris in eo consistit. Sapientia appellatur, quia de corde patris adueniens, arcana cœlestia credentibus referauit. Dextera nuncupatur, quia per eū omnia opera diuina perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur, ut nihil illo preciosius habeatur. Thesaurus dicitur, ut in ipso omnes opes & diuitiæ regnorum cœlestium conditæ agnoscantur. Retia dicitur, quia per ipsum, & in ipso de mari seculi diuersa Gentium multitudo sicut piscium per aquam baptismatis in ecclesia congregatur, ubi honorum malorumq; discrimen agnoscitur. Aratrum nuncupatur, quia signo crucis suæ dura pectora subiiciuntur, ut necessaria in ipsa præparentur. Fons aquæ uitæ appellatur, quia ex eo sitientia corda cœlestis aquæ gratia irrigentur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duriciam præstat. Lapis angularis dicitur, quia utrosq; parietes noui & ueteris testamenti unus & mediator in semetipso continens copulauit. Agnus dicitur, ut innocentia Christi & passio demonstretur. Homo dicitur, quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur, quia propter nostram salutē pati sustinuit. Aquila dicitur, quia post uenerabilem resurrectionem, ut rex altam ad patris peruolat sedem. Leo dicitur, quia ipse est rex regum, qui mortem ac zabulum uirtutis suæ potestate comminuit. Via est quia per ipsum ascensus est. Veritas, quia mendaciū nescit. Vita est, quia ipse uniuersa uiuificat. Vides ergo per hæc uocabula significationes dispositionum & operum diuinorum præostensas, non tamen ipsum deum proprie definitū. Est ergo pater deus immensus, æternus, incōprehensibilis, inæstimabilis. Est & filius eius deus & dominus noster, tantus quantus est & pater, sed non aliunde quā de patre, quia ego, inquit, de patre exiui, hoc est lumen de lumine.

Ioh. 16

De remotione occasionis erroris quam hæreticus ex hoc capere posset, quod duo nomina uel duæ personæ, id est, patris & filij statuuntur, quasi duo dii dicantur.

Cap. VII

Ed ne ex eo occasionem aliquā hæreticus capiat, cum duo nomina uel duas personas, id est, patris & filij statuo, quasi duos deos dicam, ut illi duos ex diuersitate confingunt: Nos autem patrem & filium ita nominamus, ut unum

deum in his personis & nominibus consignemus. Viderint philosophi, uiderint hæretici discipuli eorum, qui potestatum diuersitate uariantur. Nobis tamen unus deus est pater, ut Apostolus dixit, ex quo omnia, & nos ex ipso: & unus dominus Iesus Christus deus dei filius per quē omnia, & nos per ipsum. Nam duo, quid aliud intelligatur quā duorum per partes diuisa substantia, & cum omnibus ipsi dissociata natura agendi ac iubendi tam uoluntas quā imperia diuisa: Porro pater ac filius & si duę personæ creduntur, ratione tamen & substantia unius sunt. Nam inæqualiū societas, melioris offensa est, & in iniuriam eius qui uerus deus est, non uerus alius comparatur. Cum autem ego patrem & filium statuo, unitatē generis assigno. Et si illam in personis diuido, discretionēs tamen personarum rursus eadem nomina in unitatē sui naturali legis fœdere consignāt. Vnde & tantus est filius quantus uidebitur pater, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecta consummataq; uirtute, sicut Apostolus dicit: In quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitat. Nam & Hieremias receptissimus prophetarum, hanc unitatem diuinitatis in patre & filio sciens ait: Hic est deus noster, & non deputabitur alius absq; illo, qui inuenit omnē uiam prudentiæ & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est. Et Esaias hoc ipsum prædicat dicens: Hæc dicit dominus deus: Fatigata est Aegyptus, & negociatio Aethiopum, & Sabain uiri excelsi ad te transiunt, tui erunt serui & post te ambulabunt uincti compedibus, & te deprecabuntur quoniā in te deus est, & non est alius deus præter te, tu es enim deus. Quod ne putes me eo supercilio dixisse, quo Sabellius fertur, qui

2. Cor. 8

Colos. 2
Baruch. 3

Esa. 45

ipsum patrem ipsum filium profitetur, non ita nos totum in unam sententiam cogimus, ut aliorum hæreticorum fraude capiamur. Sed quia in ipso nomine personarum authoritas indiscreta cognoscitur, & filius non genere sed personaliter à patre nominatur, proinde totum patri adscribimus quod est filius, & totum filio quod pater est. Nihil non uidebitur patris quod iudicabitur filij, nec filij quod defenditur patri: quia unitas maiestatis non sinit deos plurali uocabulo appellari, quippe cū cōstet patrem & filium unius esse substantiæ. unde uterq; unus deus est dictus. Illud ante cuncta metuentes, quod ubi pater & filius unū nō sint, inuidia recurat authoris interpolata natiuitas. Hoc enim placuit hæreticis, ut deus ille omnipotēs inuisibilis immēsus degeneraret in filio. Nō modo potest esse de cōditiōe mutata quasi nō potuerit pater de semetipso talē habere qualis & ipse est. Proinde nos uerū filiū de uero patre qui semper fuit, & est unius substantiæ cū patre defendimus. Et hoc est quod Græci homouisiō appellāt, id est, cū uno aliud ipsum, ut personæ audientis nominatim fierent, non ut substantiam uocabula separarent.

De apertione totius mysterij hæresis Arrianae, cur noluerint filium de substantia patris credi, & de responsione ad motiua Arrianorū, quodq; multum interfit inter ea quæ facta sunt, et eum qui omnia fecit. Et quemadmodum in multis ac uarijs figuris deus se patribus præostenderit, qui tamen secundum deitatem uideri non potuit.

Cap. VIII

Ed ut omne mysterium hæresis Arrianae traducam, cur nolint filium de patris substantia credi, breuiter intinabo. Aiunt enim: Cū sit deus pater omnipotens, inuisibilis, inconuertibilis, immutabilis, perfectus, semper idem, æternus: filius uero uisibilis, quia sæpe patribus uisus, & conuertibilis atq; mutabilis, quia in uarijs figuris quibusq; sese monstrauit. Qui si de patris, inquit, esset substantia, nunquam fieri posset ut ante carnis assumptionem aut uisibilis aut mutabilis cerneretur: quā potius in æqualitate qua pater est, permansisset, ex cuius substantia erat: quia quod de patre est, nec uideri, nec mutari, nec cōuerti posse credendū est. Accedit ad causam cū illapsus est in Mariā, cū uirginis uterū oppleuit, aliud utiq; ex illa quā uenerat, natū est. Vnde iam inquit corrupta substantia statim uertit ordinē, perdit continuo immutationē: ipsa formādo de deo in hominē, de spiritu in carnē. Et utiq; translatio omnis interēptio est pristini. Ac per hoc aiunt: Si filius de patris substantia esset, iam & patrem minorē uideri substantiæ suæ uel traditione uel fine, & proinde filium ex alia substantia credere maluerunt, quod conuerti, & mutari, & uideri possit, quia hoc de patris substantia credi nō liceat. Hæc est causa erroris, hæc origo hæresis Arrianae, dum nō intelligunt uirtutem dei, neq; tanti sacramenti dispositionem agnosunt, cur deū humanis conditionibus comparent. Quibus primo respondendum: In loco filium dei non ita uisum ut deus erat, sed ut homo capere poterat de deo. Deinde uarijs figuris non immutabilem & conuertibilem ipsum esse, sed hoc esse, potentiæ dei, ut cū se singulis prout uult reuelare dignatur, habitum mutet, non substantiam uertat, nec proprietatem qualitatis amittat, sed iuxta meritum uidentis temperamentum maiestatis adhibeat, ipse tamen idem ut semper est in substantiæ suæ proprietate permaneat. Sicut scriptū est: Mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui nō deficient. Nā & si multa sunt ex his quæ in hoc mūdo uidentur, quæ ex alio cōuertantur in aliud, ut desinant esse quod erant, & hoc sint quod retro non fuerant: ut limus cū in hominem figuratur, limus esse iam desinit: aut pisces aut aues cū de aqua procedunt, ex eo iam non aqua, quia aliud, ut lutum figuli cū solidatur in testam: ut lapis, cū dissoluitur decoctus in calcē: ut arena cū mutatur in uitrum & cætera, quæ longum est recensere. Sed multum interest stulte hæretice inter ea quæ facta sunt, & eum qui omnia quemadmodum uoluit fecit. Quæ facta sunt, ascriptæ conditioni deseruiunt: qui uerò fecit, suæ uoluntatis & proprii iuris est. Neq; potest in aliud quā quod est aliquo cogente mutari, sed prout uult, et cui uult se demonstrat. Nam si angeli in figura hominum sæpe sunt uisi, & tamen aliud non sunt quā quod se esse norunt, neq; substantiam mutāt cū formā humani corporis sumunt quanto magis ipse dominus noster qui omnia fecit, qui ipsis angelis ut hoc possent sua institutione concessit: Huc accedit quod sic filium dei, ut iam dictum est, uisum à patribus approbamus, ut non totum in illo quod deus est, uideretur: sed dispositiones re-

rum

rum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complenda erant, in illo per imaginem cernerentur. Nam quis filium dei uidere potuit antequam conspicabilem materiam sicut ei placuit assumpsit, uel ipsum hominem induere dignatus est: Qui & si Abraham uisus est, sed in forma humani corporis uisus est, quo scilicet postremis temporibus in homine uenturus esse demonstraret. Iacob etiã alibi in angelo, alibi eque uidei in homine. Qui ideo se in angelo demonstrauit, ut nuncium se magni consilij indicaret. In homine uero, cum quo & colluctatus fuisse describitur, ut imaginem future colluctationis quam cum Israel habiturus erat, cum secundum hominem aduenisset, indicaret. Sed ut dominum crederet, cum quo tanto certamine sub figura hominis luctabatur Israel, id est homo uidens deum, nomen accepit. Vidi, inquit, deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Et ut qui figuram hominis uiderat, quam deus dei filius induerat, Moyse in rubo in flamma ignis apparuit, ut lumen credentibus, incredulis iudicium demonstraret, quia Christus credentibus salus est, non credentibus poena, ut Apostolus ait: Alijs odor eius uitæ in uitam, alijs odor mortis in mortem. Populum Israel in columna nubis per diem, & per noctem in columna ignis quasi dux itineris precedebat, ut baptismi gratiam per nubem & donum sancti spiritus per ignem ostenderet: quia Apostolus Paulus in nube patres baptizatos scribit. Et spiritum sicut ignem esse, Apostolorum Acta declarant. Vides ergo per omnia hæretice characteres diuinarum scripturarum in honore dei patribus prestantes, non tamẽ ipsum deum, ut est, proprie reuelatum. Denique dum Moyse oraret ut faciem dei pure uideret, quid ad illum continuo deus: Non poteris, inquit, uidere faciem meam. Non enim uidebit homo faciem meam, & uiuet. Hoc ipso quod negatur aspectus, claritas assignatur, quæ scilicet tanta est, quanta credenda est quæ inuisibilis indicatur. Cum ergo Moyse & situm cæli, & ordines mundi, & elementorum uices, totius denique orbis ornamenta digesserit, indicarit, expresserit, cui ipse dominus testimonium perhibuit dicens: Nemo erit ex prophetis ut seruus meus Moyse, cui facie ad faciem, ore ad os locutus sum: Deum tamen pure uidere non potuit. Merito quidem prophetia omnium dignus, sed non usque adeo ut intueri deum ualeret, quia homo tantummodo esset. Et utique hæc omnia filij uerba defendimus, quem in monte Syna cum Moyse locutum esse scimus, qui agendis explicandisque rebus a patre aduenerat, quia omnia a principio per ipsum & ordinari, & explicari & manere conuenerat, ut habendi filij hæc præcipua ratio constaret. Et tamen sic uisus accipitur, ut alicuius conspicabilis, ut dixi, materie dispositione assumpta uideretur, salua scilicet inuisibilitate eius, quam a conspectu omnium maiestas interfusa seposuit. Non enim sic humanis aspectibus reuelatus est, ut tota in illo deitas appareret, sed ad uicem speculi cum conceptos intra lucem suam uultus quasi ad plenam effigiem hominis includit, ita maiestas eius præeunte fulgore intra id uisum esset, quod imaginem ueritatis, non ipsum deum proprie demonstraret. Sic & cum hominem induere dignatus est, non labem eternitati intulit, ut spiritum in carnem mutaret, sed ut suscepto homini immortalitatem atque æternitatem coelestis uitæ præstaret. Nam & si Apostolus semetipsum exinanisse dicit, formam serui suscipiendo, non utique sic exinanitum accipimus, ut aliud quam quod fuerat idẽ Christus fieret, sed ut seposito interim maiestatis suæ honore, humanum corpus indueret, quo suscepto, salus gentium fieret. Ut enim sol cum nube tegitur, claritas eius comprimitur non cecat, & lumen illud quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, paruo admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur: sic & homo ille quem dominus Iesus saluatorque noster, id est deus deique filius induit, deum tamen in illo non interceptum, sed abscondit. Denique cum se in monte paululum extra ipsum hominem extulisset, fulgore luminis eius penè obcecatis Apostoli, in terram quippe homines ceciderunt, periclitati uitam nisi eis dominus compresso rursus maiestatis suæ honore ut misericors subuenisset, secundum illam sententiam: Nemo uidit deum, & uixit. Ut ergo claritas solis cum usque ad nostros emicat uisus sibi salua est, quia quod non uidetur, infirmitatis est nostræ, quorum oculos nubium texit obscuritas: ita probat se non suo detrimento proprii latuisse fulgoris, sed carnis, ut dixi, beneficio, cuius causa filius dei, filius hominis esse sustinuit. Nepe enim de spiritu dei Virgo concepit, & quod concepit, hoc peperit, id est deum homini suo (ut iam dixi,) sociatum: sicut ipse dixit: Quod nascitur de carne, caro est: & quod nascitur de spiritu, spiritus est, quia deus

Gene. 32

2. Corin. 2

Exod. 13

Exod. 33

Num. 12

Ioan. 1

LUC. I spiritus est, & de deo natus est. Sicut & angelus ad Mariam uirginē dicit: Spiritus dei ueniet in te, et uirtus altissimi obumbrabit te. Propterea quod nascet ex te sanctū, uocabitur filius dei. Vides ergo ipsum spiritū, id est filiū dei uenisse ad uirginē, & inde dei & hominis filium processisse. Nec tamen ipso indumēto carnis dei filium esse mutatū, sed eundem ipsum esse in homine qui fuerat ante mundum cum patre, per quem facta sunt omnia, & sine quo factū est nihil, sicut Euāgelista ait: Mūdos per ipsum factus est, & mūdos eum non cognouit. Caterū amētis est credere ab eo posse liberari, qui ut liberaret, amissus est: ut nascere, oppressus est: ut immortalitatē redigeret, transiuit ad mortē. Sed absit hæretice ut sensus tuę iniquitatis à catholicis admittatur. Nos enim credimus immutabilem & inconvertibilem, uerbū & spiritū, id est filiū dei: qui cum hominē induit, nō statum uertit, nō ordinē perdidit, non substantiā immutauit, sed illuuias eiusdē corporis eterno claritatis suæ lumine illustrauit, ut ad nos per tramitem corporis eius lux sancti spiritus, & æternæ uitæ gratia redundaret. Quem & si passum credimus & sepultum, sed homo ille passus est quem filius dei suscepit, quem induit, quē portauit. Sed quia totum ad auctorem referebatur quicquid homo ille patiebatur, ideo mors & passio domini iudicatur. Nam constat immortale esse quod dei est, hominis quod caducum. Tertia quoque die resurrexit, non deus in hominem, sed homo potius in deum. Ascendit in coelos, obtulit patri suo hominem illum gratissimum munus, consedit ad dexteram patris, secundum quod scriptum est: Dixit dominus domino meo, sede ad dexterā meam. Misit nobis spiritum sanctū de propria sua et ipsa una substantia sua protectorem, sanctificatorē, & ductorem in uitam æternam, sicut scriptum est ex uoce dei: Effundam de spiritu meo super seruos meos & ancillas meas. Et iterum: Spiritus ex me prodijt. Et ipse dominus saluatorque noster: De meo, inquit, accipiet, ex eo utique quod est filius, quia & filius de eo quod pater est. Exinde præfinito tempore uerturus uiuos mortuosque iudicaturus, ut reddat credentibus præmia, non credentibus uero supplicia. Cuius regnum æternum, immortale, nec initium habet nec terminum: cui est honor & gloria in secula seculorum.

Psal. 109

Iohel. 2

F I N I S.

CAPITA LIBRI DE INCARNATIONIS DOMINICAE SACRAMENTO.

- Quomodo intelligi debeat, quod dictum est ad Cain. Si recte offeras, non autem recte diuidas, peccasti: quiesce. Cap. I
- De enumeratione hæreticorū in quos superior sententiā cōprobatur esse lata. Cap. II
- Christum cum patre esse æternum. Cap. III
- Aliam diuinitatis, aliam corporis Christi esse naturam. Cap. IIII
- Incarnationis sacramenta non obstare, quo minus dei filius sit æternus. Cap. V
- Diuinitatem & carnem domini, non esse eiusdem naturæ. Cap. VI
- Refellit eorum sententiā, qui carnem Christū non suscepisse putant. Cap. VII
- Dei esse substantiam atque naturam. Cap. VIII
- De confutatione & destructione obiectionis præmemoratorum hæreticorum, qua arguunt quod non possint ingenitus & genitus unius esse naturæ atque substantiæ, & de exemplari approbatione, cum dicitur, genitum, non proprietatem naturæ, sed significationem generationis exprimi. Quodque appellatione ingeniti & geniti species uideatur esse diuersa, sed tamen indistincta diuinitas. Cap. IX
- De disputatione contra quosdam superiores sectam sequentes, disputationis tamen genere discordare se putantes, qui filium simile dicunt, sed non unius substantiæ cum patre, & quod cum sit unius naturæ filius cum patre, etiam unius sit potentiæ, & ita omnipotens sicut & pater, quemadmodum etiam spiritum sanctum omnipotentem scriptura testatur. Cap. X

DIVI

DIVI AMBROSII ME- DIOLANENSIS EPISCOPI LIBER DE INCARNATIONIS DOMINICAE SACRAMENTO.

Quomodo intelligi debeat, quod dictum est ad Cain: Si recte offeras, non au-
tem recte diuidas, peccasti: quiesce.

Cap. I



DEBITVM curo soluendum, sed hesternos meos non inuenio cre-
ditores, nisi forte improviso conuentu putauerint nos esse turban-
dos: sed nūquam fides uera turbatur. Itaq; dum illi forsitan ueniunt,
ad istos qui propositi sunt deflectamus agricolas: quorū alter, hoc
est Cain, a fructibus terrā, alter autem Abel uidelicet, ex primitiuis
ouium suarum hostiam domino obtulit. Nihil inuenio quod in spe-
cie munerum reprehendā, nisi quod & Cain munera sua displicuisse
se cognouit, & dominus dixit: Si recte offeras, recte autem non diui-

das, peccasti. Vbi igitur est crimen: ubi culpa? Non in oblatione muneris, sed in oblatio-
nis affectu. Sunt quidem qui recte arbitrentur, quia alius que offerret elegerat, alius que
uiliora habuit offerebat. Sed non est ita inops spiritaliū sensus in nobis, ut putemus quia
dominus corporale sacrificium, non spiritale quærebat. Et ideo addidit: Quiesce, tolera-
bilis significans, abstinere a muneribus deferēdis, quam infideli studio munus offerre.
Qui enim nescit diuidere, nescit diiudicare. Spiritalis autē diiudicat omnia. Et ideo Abra-
ham sacrificium quod offerebat, diuisit. Sciuit etiam Abel diuidere, qui ex primitiuis
ouium obtulit sacrificium: docens non terrā munera placitura deo, quæ degeneraue-
rant in peccatores: sed ea in quibus diuini gratia mysterij refulgeret. Prophetauit itaq;
nos per passionem domini a culpa esse redimendos, de quo scriptum est: Ecce agnus
dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Vnde & de primitiuis obtulit, ut primogenitum de-
signaret. Ostendit uerum dei sacrificium nos futuros. De quibus propheta ait: Afferte
domino filios arietum. Meritoq; dei iudicio comprobatur, quam puto generalem in
omnes extra ecclesiam constitutos latam esse sententiam. Multorum enim hic figuram
cerno populorum, quos diuina sententia comprehendit, quorum in illo Cain iam tunc
munera refutauit.

De enumeratione hæreticorum in quos superior sententia comprobatur
esse lata.

Cap. II

GENERALIS enim hæc impios omnes sententia est. Itaq; si Iudæus offerat, qui fi-
lium uirginis Mariæ a patre deo separat, dicitur ei: Si recte offeras, nō autem
recte diuidas, peccasti: quiesce. Si offerat Eunomianus, qui ex impietatis Ar-
rianæ fonte progrediens, redundantī perfidiæ suæ labitur cœno, generationem Christi
quæ super omnia est asserens ex philosophiæ traditionibus colligendam, cum utiq; alia
creaturarum sit ratio, alia secretorum potētia diuinorum: & ipsi dicitur: Si recte offeras,
non recte autem diuidas, peccasti: quiesce. Dicitur hoc Sabelliano, qui patrem filiumq;
confundit. Dicitur hoc Marcionitæ, qui alium putat deum noui, alium ueteris testamen-
ti. Dicitur hoc Manichæo & Valentino, qui non putauerunt ueritatem carnis humanæ
a Christo esse susceptam. Paulus quoq; Samosatenus & Basilides in eadem sententiæ sor-
te numerantur. Similiter quoq; eiusdem sententiæ autoritate damnantur, qui diuinita-
tem sancti spiritus negauerunt. Alij enim quidam uel Arrianorum Iudæi, uel Arriani
sunt Iudæorum: quia sicut illi filium a patre, ita & isti spiritum a deo patre & filio dei se-
parant. Nouato quoq; & Donato & omnibus qui scindere corpus Ecclesie gestierūt, ui-
riū dicitur: Si recte offeras, recte autem non diuidas, peccasti. Ecclesie enim sacrificiū
est quod offertur deo, ad quam Paulus dixit: Obsecro autem uos fratres per misericor-
diam dei, exhibere corpora uestra hostiam uiuam, sanctam, deo placentem. Male ergo
sacrificium diuiserunt, ecclesie membra lacerando. Illos quoque percellit ista senten-
tia, qui

Ioann. 1
Psalm. 28

Gene. 4
Rom. 12

tia, qui animam rationalem ab incarnationis dominicæ segregant sacramento, naturam hominis ab homine separatę cupientes. Et isti fortasse recte offerunt trinitati, sed rationem nesciunt naturę humanę diuinęq; distinguere. Dei enim simplex natura est, homo ex anima rationali constat & corpore. Si alterum tollas, totam naturam hominis sustulisti. Aduersus omnes igitur hæreses ista sententia est, quæ fraterno nomine, non fraterne ecclesiam persequuntur. Siquidem sub opinione nominis Christiani, & quadam nuncu patiuā fidei germanitate, parricidalibus gladijs nos cupiunt uulnerare: quia conuersio nostra ad eos est, & dominatur nobis in seculo peccatores. Peccator enim dominatur in seculo, iustus in dei regno. Caueamus igitur ne quis nos à cubiculo regis æterni, & à secreto matris ecelesię separare conetur, ad quod illa anima in Canticis canticorum uerbum dei se introduxisse significat. Caueamus ne à sinu patris & quodam utero paterno arcanęq; nature, substantiam unigeniti filij separemus, uerbisq; his quibus ueritas susceptę incarnationis adstruitur, diuinę generatiōi præiudicia inferre meditemur, ne & nostrum alicui dicatur: Si recte offeras, recte autem non diuidas, peccasti, quiesce. Hoc est, si nesciamus quæ propria sunt diuinitatis æternę incarnationisq; distinguere, si creatorem cum suis operibus conferamus, si authorem temporum dicamus cœpisse post tempora. Neq; enim potest fieri, ut per quem sunt omnia, sit unus ex omnibus.

Christum cum patre esse æternum.

Cap. III

IOANN. I

N

Olo nobis credatur, scriptura recitetur. Nō ego dico à me, quia in principio erat uerbum: sed audio, non ego affingo, sed lego, quod omnes legimus, sed non omnes intelligimus. Et cum legitur, audimus omnes, & non audiūt omnes. In crassatum est enim cor quorundam, & aures eorum grauitèr audierūt, aures scilicet interioris affectus. Non enim caro peccat, quæ suum seruat officium, & recipit auditum, sed animus puri auditus prauus interpres, qui recusat audire quæ dicuntur, intelligere quæ leguntur. Quid aures tanquam cera & plumbo clauditis? & tamen dominicæ beneficia & officia naturæ nō potestis excludere. Auditis inuiti, auditis fastidietes, auditis ne quod non audieritis excusare possitis. Auditis ergo cum legitur: In principio erat uerbum. Quis hoc dicit? Ioannes utiq; ille piscator: sed non quasi piscator hoc dicit, sed quasi humani piscator affectus, qui iam nō pisces caperet, sed homines uiuificaret. Nō suum est quod dicit, sed eius qui uiuificandi ei tribuit potestatem. Piscator enim ipsis quos ante capiebat piscibus, taciturnior erat, et circa diuina mysteria magis mutus, qui uocis sue nesciebat authorem, sed uiuificatus à Christo uocem audiuit in Ioāne, uerbum agnouit in Christo: & ideo plenus spiritu sancto, qui sciret principium non temporis esse, sed supra tempora, reliquit secula, & ascendēs spiritu super omne principium ait: In principio erat uerbum. Hoc est remaneat cœlum. Nondum enim erat quādo in principio erat uerbum. Nam & si cœlum haber principium, deus nō habet. Deniq; in principio fecit deus cœlum & terram. Aliud est, fecit: aliud est, erat. Quod sit, incipit: quod erat, principium non accepit, sed præuenit. Remaneant etiā tēpora, quia post Cœlū tēpora. Remaneant etiam angeli & archangeli, & si principium eorum non inuenio, erat tamē quando non erant. Non erant enim qui aliquando cœperunt. Si ergo principium eorū inuenire non possum, quos certum est habere principium: quomodo possum uerbi inuenire principium, à quo omne principium non solum creaturarū, sed etiā cogitationū nostrarū omnium præuenitur? Aperte itaq; sempiternam diuinitatē eius expresserat. Sed tamen ne quis à patre diuideret uerbi æternitatem: ut eandē crederemus uerbi esse quæ patris est, bonus ille piscator adiunxit: Et uerbū erat apud deum. Hoc quod dixerat, sic estimandū est. Erat uerbum, quomodo erat pater: quoniam cum patre erat, & in patre erat, & apud patrē erat semper. Nēpe quomodo de patre legimus, erat: ita & de uerbo legimus, erat. Quid discernis intellectū, qui non discernis auditū? Verbi esse, apud patrem est: patris esse, cum uerbo est. Legimus enim, quia uerbum erat apud deum. Itaq; si secundum tuam opinionem aliquando non erat, ergo secundum tuam opinionem et is in principio non erat, a quō quem erat uerbum. Per uerbum enim audio, per uerbum intelligo, quia deus erat. Nā si sempiternū uerbū esse credidero, quod credo, nō possum de patris eternitate dubitare, cuius æternus est filius. Si temporalem generationē eius existimo, incipit communiter habere nobiscum, ut uideatur pater esse cœpisse. Sed si de patre nō ambigis, quia

IOANN. I

quia incipere esse, dei non est de patre non ambigis, quia dei est sempiterna habere perfectionem: ne forte usu sermonis labereris humani, dum uerbum dicis & filium, ideo addidit: Et deus erat uerbum: Habet utique quod pater, quia deus erat. Quomodo huius negas aeternitatem, cui unum cum patre dei nomen est? Non te sonus capiat, similitudoque sermonis. Aliud uerbum est quod tempora habet, quod syllabis colligitur, literisque componitur: non tale uerbum filius, quia non talis est pater uerbi. Cauendum ergo, ne & illi quaestionem uocis corporalis uideamur ingerere. Incorporeus est deus. Vocem utique incorporeus corporalem non habet. Si uox corporalis non est in patre, nec filius uerbum est corporale. Si corpus in patre non est, nec tempus in patre est. Si tempus in patre non est, utique nec in uerbo est. Quod si nullum principij tempus in uerbo, nec numerus utique nec gradus uerbi est. Quia si numerus in uerbo, ergo multa uerba. Si multa uerba, multi & filij. Sed unum uerbum est, quod & gradum excludit & numerum. Vnum, secundum naturam. Ne quaerite huiusmodi naturam. Nescio multo melius hoc quam scio. Hoc solum bene scio, quod nescio quae scire non possum. Quod uidimus, inquit, & quod audiimus, Ioannes dicit, hoc solum bene scire se dixit quod audiuit & quod uidit, qui in Christi pectore recumbebat. Ergo illi satis est audisse, mihi non est satis? Sed quod ille audiuit, hoc mihi dixit: & quod audiuit a Christo, hoc ego possum negare uerum esse de Christo: Ergo quod audiuit, audio: & quod uidit, uideo. Ille enim uidit, quod uidit: non utique diuinitatem quae secundum naturam suam uideri non potest. Sed quia secundum naturam suam eum uidere non poterat, suscepit quod erat praeter naturam diuinitatis, ut secundum naturam corporis uideretur. Denique & spiritus sanctus in specie uisus est sicut columba, quia uideri diuinitas in suae claritatis ueritate non poterat.

1. Ioann. 1

Luc. 3

Aliam diuinitatis, aliam corporis Christi esse naturam.

Cap. IIII

Oli igitur & tu secundum naturam interpretari, quod praeter diuinitatis naturam est. Nam & si credas a Christo carnem esse susceptam, & offeras transfigurandum corpus altaribus, non distinguas tamen naturam diuinitatis & corporis, & tibi dicitur: Si recte offeras, non recte autem diuidas, peccasti: quiesce. Diuide quod meum, diuide quod suum uerbi est. Ego quod erat illius, non habebam: & ille quod meum est, non habebat. Suscepit, quod meum est: ut impartiret, quod suum est. Suscepit, non ut confunderet: sed ut repletet. Si credas susceptionem, affingas confusionem: Manichaeus esse desisti, nec tamen ecclesiae filius esse coepisti. Si credas susceptionem corporis, adiungas diuinitatis compassionem: portionem utique perfidiae, non perfidiam declinasti. Credis enim quod tibi prodesse praesumis: non credis quod deo dignum est. Rursus si credas quia idem deus & noui & ueteris testamenti est, tempora autem uerbo eius & momenta praemittas, tolerabilior Valentinus est, qui non secula ante deum, sed deos putat esse quod secula sunt. Minoris enim sacrilegij est, copulari diuinitati secula quam praeferi. Si credas iterum quia Christus principium non sumpsit ex Virgine, sed tamen aliquod ante Christum aestimes esse principium, in tempore distantia, de impietate contentio est. Virginis enim supparem negasti esse, non temporis. Ego autem & supparem Virginis secundum susceptionem corporis non negabo, & creatorem temporis cofitebor. Quid enim proficis si dicas, quia Christus haec an illa sit creatura? Creatura mutat, diuinitas adoratur. Noluit se sic Christus agnosci, nec his tantum quae supra hominem sunt meritis aestimari. Denique cum interrogasset, quem me dicunt esse homines: cum alij dicerent Heliam, alij Hieremiam, aut unum ex prophetis: nullius sententiam praedicauit. Cum Petrus dixisset, Tu es filius dei uiui: huc solum non immerito laudauit. Ergo Ioannes dicit, Petrus dicit, Christus probauit, & tu non probas Arriane? Nec Ioanni & Petro putas esse credendum, quos uel solos pro testimonio gloriae suae dominus noster Iesus Christus ad omnium fidem credidit abundare? Denique quasi ad testimonium ueteris & noui testamenti, Moyses cum Helia asciscitur: cum Ioanne Petrus frequenter adhibetur. Petrus dicit, Tu es: non dicit, tu esse coepisti. Petrus dicit, Tu es filius dei: non dicit, tu es creatura. Dixit hoc Ioannes. Si adhuc non credidisti, quia non intellexisti mysterium supra sapientiam recumbentis, repetiuit Petrus, commendauit utrumque Christus: alterum iudicio, alterum mysterio. Id enim addidit, ut legeres quod in Christi pectore recubebat, & intelligeres quod eius caput, in quo principale omnium sensuum est, arcano quodam sapientiae repleba-

Matth. 16

replebatur. Si non putas intelligendum esse mysterium, saltē noli impugnare iudicium. Laudatur Petrus, quia dei filium credidit, quem uidebat: quia se ab imperitā plebis rudibus adhuc opinionibus separabat. Deniq; cum interrogasset dominus, quid homines de filio hominis aestimarent, cum diceretur uulgi sententia, Petrus tacebat. Taces ergo Simon, & respondentibus alijs adhuc taces, cum ipse sis primus, qui etiam non interrogatus interrogas: nec times, ne reprehendaris à domino, quia nō respondes interroganti: Ideo, inquit, non respondeo, quia nō interrogor meā, sed alienā sententiā. Legi enim: *Psal. 116* Ut non loquar os meū opera hominū. Opus autē est perfidorū, perfidias predicare. Ergo taceo adhuc, quia nondum id quod sentio interrogor: non proferam labijs, quod animus non probauit. Erit tempus quādo respondeā. Interrogabor & ipse quid sentiam, tunc demum respōdebo quod meum est. Meum est enim fidem loqui, pietatē asserere, gratiam predicare. Non igit; quasi pigrior sensu, uoce tardior tacet, nec quasi fastidiosus differt uocis obsequium: sed quasi cautus periculū uulgaris opinionis euitat, qui periculum non euitabat salutis. Deniq; in posterioribus habes, quia exiliuit ē nauī ut occurreret domino: nō gloriā cupidus, sed obediētia prēmaturus. Hic ergo qui antē reticebat, ut doceret nos quod impiorū nec uerbū debeamus iterare: hic, inquā, ubi audiuit, Vos autem quid me dicitis? statim loci nō immemor sui primatū egit. Primatum cōfessionis utiq; non honoris: primatū fidei, nō ordinis: hoc est dicere: Nūc nemo me uincat. Nunc meae partes sunt. Debeo compērare quod tacui, debet prodesse quod silui. Lingua mea non habet spinas, sine impedimento fides debet exire. Dum alij cōnū, alienā licet prolata tamen impietatis euacuant, qui aut Heliā aut Hieremiā aut unū ex prophetis Christum esse dixerūt (habuit enim ista uox cōnū, habuit ista uox spinas) dum alij inquam in hoc lauant cōnū, dum in alijs enodantur spinas, uox nostra filium dei Christum resultet. mihi purus est sermo, cui nullas spinas expressa reliquit impietas. Hic est ergo Petrus qui respondit prae ceteris Apostolis, imō pro ceteris, & ideo fundamentum dicitur: quia nouit non solum propriū, sed etiam cōmune seruare. Huic astipulatus est Christus, reuelauit pater. Nam qui ueram generationem loquitur patris, à patre assumpsit, non sumpsit ex carne.

Incarnationis sacramenta non obstare, quo minus dei filius sit aeternus. Cap. v

Psal. 118 Ides ergo est Ecclesiae fundamentum. Non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portae mortis ei non preualebunt, sed confessio uincit infernum. Et haec confessio non unam haeresim excludit. Nam cum Ecclesia multis tanquā bona nauis fluctibus saepe tundat, aduersus omnes haereses debet ualere Ecclesiae fundamentū. Dies me citius defecerit, quam nomina hereticorū diuersarumq; sectarū. Aduersum omnes tamen generalis ista est fides, quia Christus est dei filius, & sempiternus ex patre, & natus ex uirgine. Quem quasi gigantem sanctus Dauid propheta describit, eo quod biformis geminataq; naturae unus sit cōsors diuinitatis & corporis, qui tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit tanquā gigas ad currendā uiam. *Psal. 118* Sponsus animae secundum uerbum: gigas terrae, quia usus nostri officia percurrens, cum deus semper esset aeternus, incarnationis sacramenta suscepit, non diuisus sed unus: quia utrumq; unus, & unus in utroque, hoc est uel diuinitate uel corpore. Non enim alter ex patre, alter ex uirgine: sed idem aliter ex patre, aliter ex uirgine. Generatio generationi non prauidicat, nec caro diuinitati: quia nec pignus patri, nec uoluntas passioni, nec passio uoluntati. Idem enim patiebatur, & non patiebatur: moriebatur, & non moriebatur: sepeliebatur, & non sepeliebatur: resurgebat, & non resurgebat: quia corpus propriū suscitabat: quia quod cecidit, hoc resurgit: quod non cecidit, non resurgit. Resurgebat igitur secundum carnem, quae mortua resurrexit: non resurgebat secundum uerbum, quod non resolutum fuerat in terram, sed apud deū semper manebat. Ergo & moriebatur secundum nostrae susceptionem naturae, & nō moriebatur secundū eterne substantiam uitae: & patiebatur secundū corporis susceptionem, ut suscepti corporis ueritas crederetur: & non patiebatur secundum uerbi impassibilem diuinitatem, quo totius exors doloris est. Deniq; idem dicebat: Deus deus meus respice in me, quare me dereliquisti? quia secundum carnem relictus est, qui secundum diuinitatē nec deserui potuit nec relinqui. Idem etiam dicit: Longe à salute mea, uerba delictorum meorum: hoc est, non capiatur

capiatur qui audit, quare me dereliquisti, sed intelligat quod secundum carnem ista dicantur, quæ longe à plenitudine diuinitatis aliena sunt. Aliena sunt enim à deo uerba delictorū, quia aliena sunt & delicta uerborum. Sed quoniā delicta aliena suscepi, etiam delictorum alienorum uerba suscepi: ut derelictū me à patre deo esse dicā, qui apud deum semper sum. Erat igitur immortalis in morte, impassibilis in passione. Etenim quasi deū non cepit mortis arumna, & eundem quasi hominem inferna uiderunt. Deniq; emisit spiritum, & tamen quasi arbiter exuendi suscipiendiq; corporis, emisit spiritū, nō amisit. Pendebat in cruce, & omnia commouebat. Tremebat in ligno, quē totus tremebat hic mūdus. Erat inter supplicia, excipiebat uulnera, & regnum cœlestē donabat. Peccatum omniū factus, peccata generis abluēbat humani. Postremo mortuus est, & secundò, & tertio exultās atq; uiuans dico, mortuus est: ut illius mors uita fieret mortuorum. Sed nec sepultura quidē eius miraculo caret. Nam cū esset unctus à Ioseph, & in eius monumento sepultus, nouo opere quodā ipse defunctus defunctorum sepulchra referabat. Et corpus quidē eius iacebat in tumulo: ipse autē inter mortuos liber, remissionem in inferno positus, soluta mortis lege donabat. Erat ergo caro eius in monumento, sed uirtus eius operabatur è cœlo. Ostendebatur omnibus per corporis ueritatem, quia non caro erat uerbū, sed caro erat uerbi. Caro quidē gustauit mortem: sed impassibilis dei uirtus, & si exiit corpus, nullū tamen de corpore deo damnum. Cur diuinitati attribuis erumas corporis, & infirmum doloris humani diuinæ cōnectis naturæ? Nūc anima, inquit, mea turbata est. Anima turbata est, non sapientia. immutabilis enim manebat sapientia, & si circundaretur amictu carnis. Nā in illa serui forma erat uerū luminis plenitudo: & cū se exinaniuit, lumen erat. Deniq; dicebat: Ambulate dum lumen habetis. Et quando in morte fuit, in umbra non erat. Deniq; etiam in inferno positus, uitæ lumen fundebat æternę. Radiabat etiam illic lux uera sapientiæ, illuminabat infernum, sed inferno nō claudabatur. Quis enim locus est sapientiæ? Deniq; dicit iustus: Sapientia autem unde inuenta est? Quis autem locus est disciplinæ? Nescit homo uiam eius, nec inuenta est inter homines. Ergo nec tempore, nec in loco sapientia est. Vnde tempus significat? Sed quomodo in tempore, quæ in principio erat? quomodo in loco, quæ apud deū erat? Unigenitus filius si queritur, in sinu patris euangelico spiritu reperitur. Nunquid sinū patris locū putatis? Et queritis quomodo nata sit, cū dicat propheticus uir: Nescit homo uiam eius? Et secundum homines ortum eius estimatis, cum Iob dicat, quod inter homines non sit inuenta? Et mortē tribuitis sapientiæ, de qua abyssus dicit: Nō est in me, & mare dicit: Non est mecum? Nō dicit cœlū, nō est in me: sed abyssus dicit, nō est in me. Nō enim abyssus sed patri dixit: In manus tuas commendo spiritum meū. Ipsa anima & si fuit in abyſso, iam non est, quia scriptū est: Quoniam nō relinques animā meam in inferno, nec dabis sanctū tuum uidere corruptionē. Mare ergo dicit: non est mecum, hoc est uita nostra dicit fluctibus seculi in quietā. Non est enim inter homines caro eius, quia secundum carnem iam non nouimus Christum. Terra dicit, nō est mecum, quia resurrexit. Deniq; angelus ait: Quid queritis uiuentem cū mortuis? Et bene mare dixit: non est mecum, quia super mare erat. Deniq; in mari & corporeis uestigijs ambulabat, quando & subiectū mari super mare Petrū ambulare præcepit: qui licet titubauerit, titubauit tamē nō per imbecillitatem iuuentis, sed per infirmitatē obedientis. Ergo splendori gloriæ, nō permisceas nostrā amentū naturæ, non luci nebulā humanæ carnis offundas. Rursus passionē prædicās, si nequaquā id quod est passibile recognoscas, pietatem domini refellisti, salutē tuam negasti. Vnde amentes eos estimare debemus, qui audientes dicentē deī filiū: Quid me cedis? secundū naturā diuinitatis subiectū iniuriæ putauerūt. Dixit enim: Quid me cedis? sed eadem diuina natura nō sensit. Dixit: Dorsum meū dedi in flagella, & maxillas meas in palmas: uultum autem meū non auerti à confusione sputorum. Dorsum & maxillas dixit & uultum, hoc est humani corporis portiones. Quod enim caro uerbi patiebatur, uel manens in carne dei uerbum patiebatur carne, sicut scriptū est: Christo in carne passus: in se utiq; pro corporis assumptione referebat, ut quæ nostra sunt, ipse susciperet, & suis circumuestiret humana. Recte igitur secundum naturam suam & caro passa est, nec ea corporis passione uerbi natura mutata est. In ueritate enim nostra est resurrectio, & ideo in ueritate Christi passio prædicatur.

Diuinitatem & carnem domini non esse eiusdem naturæ.

Matth. 14
Ioann. 7

N

Ecce enim quod quidam dicunt, in phantasmate passus est, quia nec in phantasmate super mare ambulauit, quod discipuli in Euangelio opinati esse produntur: sed excusantur, quia nondum erat spiritus datus, nondum enim Iesus fuerat honorificatus. Nobis iam crucifixus est Christus & resurrexit: nobis iam spiritus datus est, qui assertor est ueritatis. Et discipuli quidem aliquando errauerunt, ne nos postea errare possemus. Ergo illorum error nobis proficit. Quasi homines errarunt, quasi discipuli crediderunt. Et hos igitur qui in phantasmate uenisse Iesum predicant, & illos condemnare debemus qui aduersa erroris linea, non unum eundemque filium dei dicunt sed alium esse qui ex deo patre natus sit, alium qui sit generatus ex uirgine, cum Euangelista dicat: Quia uerbum caro factum est, ut unum dominum Iesum, non duos crederes. Nonnulli etiam aliud dei uerbum, aliud dei filium crediderunt, cum ipsum qui in principio erat uerbum apud deum patrem, in sua propria uenisse Euangelista testetur. Sunt autem qui tanquam ad unum prophetarum, ita ad Christum factum esse uerbum arbitrati sunt, non ipsum esse dei uerbum. Sed de nullo prophetarum dictum est, quia uerbum caro factum est, nullus prophetarum abstulit peccata mundi. De nullo alio dictum est: Hic est filius meus dilectus, in quo complacui. De nullo prophetarum legimus quod sit dominus maiestatis, quod de Christo Apostolus dixit: Quia Iudæi dominum maiestatis crucifixerunt. Sed dum hos redarguimus, emergunt alij qui carnem domini dicant & diuinitatem unius esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna uomuerunt: iam tolerabiliores sunt Arriani, quorum per istos perfidiæ robur adolescit, ut maiore contentione afferant patrem & filium & spiritum sanctum unius non esse substantiæ, quia isti diuinitatem domini & carnem substantiæ unius dicere tentauerunt. Deinde cum isti dicant, quia uerbum in carnem, capillos, sanguinem & ossa conuersum est, & à natura propria mutatum est, datur illis locus ut infirmitatem carnis ad infirmitatem diuinitatis, quadam facta diuine nature mutatione detorqueant. Sunt etiam qui in tantum impietatis prodierint, ut putent quia diuinitas domini circuncisa est, & imperfecta de perfecta facta est, & in ligno non caro, sed illa operatrix omnium substantia diuina, in carnis specie coagulata pendebat: Quis autem non horrescat? Quis audiat quia non ex Maria uirgine, sed ex diuina substantia passibilem sibi carnem fecerit dei uerbum? Quod asserendo, eo prolabantur, ut non ex tempore corpus domini esse susceptum sed coeternum dei uerbo semper fuisse contendant. Horum omnium auctores sunt, qui diuinitatem & carnem domini unius naturæ fuisse dixerunt. Legi enim, quod non credere nisi ipse legissem: legi inquam in cuiusdam libris sic positum, & organum & eum à quo mouebatur organum, unius in Christo fuisse naturæ. Quod ideo posui, ut ex scriptis nomen deprehendatur authoris, & aduertant, quam uis exquisitissimis argumentis, & phaleratis sermonibus non posse uim ueritatis obduci. Et hic mihi frequenter Niceni concilij tractatum se tenere commemorat. Sed in illo tractatu patres nostri, non carnem, sed dei uerbum unius substantiæ cum patre esse dixerunt: Et uerbum quidem ex paterna processisse substantia, carnem autem ex uirgine esse confessi sunt. Quomodo igitur Niceni concilij nomen obtenditur, & noua inducuntur, quæ nunquam nostri sensere maiores? Cum utique scripturæ dicant, quia Christus secundum carnem passus est, non secundum diuinitatem: scripturæ dicant, quia uirgo in utero accipiet & pariet filium: Accipit enim uirtutem & peperit filium, quem & ipsa suscepit. Denique hoc etiam Gabriel proprio sermone declarat dicens: Et quod nascetur ex te sanctum, uocabitur dei filius. Ex te, inquit, ut secundum hominem quod ex ipsa nasceretur aduerteres. Ex se enim genuit Maria, ut quod generaretur ex ipsa, in eo salua generationis dominicæ prerogatiua, corporis esset uera natura. Sed & Paulus dicit se predestinatum esse in Euangelium dei, quod antè, inquit, promiserat per prophetas de filio suo, qui factus est ex semine David secundum carnem. Et ad Galatas: Postquam autem uenit plenitudo temporis misit deus filium suum factum ex muliere. Et ad Timotheum dixit: Memor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine David. Ergo ex nobis accepit, quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex nostro: & quod nostrum non erat, ex suo nobis diuina sua largitate conferret. Secundum naturam igitur se obtulit nostram, ut ultra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium, de suo

de suo præmiũ est. Multaq; in eodem & secundum naturam inuenies, & ultra naturã. Secundum conditionem etenim corporis in utero fuit, natus est, lactatus est, in præsepi est collocatus. Sed supra conditionem uirgo concepit, uirgo generauit, ut crederes quia deus erat qui nouabat naturam, & homo erat qui secundum naturam nascebatur ex homine. Neq; enim, ut quidam interpretati sunt, natura ipsa mutata uerbi est, quæ immutabilis semper est, sicut ipse dixit: Videte me, quia ego sum & non sum mutatus. Sed etiam Paulus dixit, quia Iesus Christus heri & hodie, ipse est & in secula: hoc est, quia non secundum naturam mutatus est carnis, sed immutabilis etiam in ipsa mutabili conditionis humanæ qualitate permansit. Didicistis igitur, quia sacrificium de nostro obtulit. Nam quæ erat causa incarnationis, nisi ut caro quæ peccauerat, per se redimeretur? Quod peccauerat igitur, hoc redemptum est. Non est ergo immolata diuinitas uerbi, quia non peccauerat diuinitas uerbi: & ideo non est uerbi natura in carnis cõuersa naturam: quia immunis peccati diuinitas, pro peccato quod non fecerat, se non debebat offerre. Hoc enim in se obtulit Christus quod induit: & induit, quod ante non habuit. Non igitur diuinitatis suæ diuinitatem induit, in quo erat plenitudo diuinitatis æternæ: sed carnem assumpsit, ut spoliũ carnis exueret, atq; in semetipso & manubias diaboli crucifigeret, & trophæa uirtutis erigeret. Ergo si caro omni & in Christo subiucuit iniuriæ, quomodo unius illam cum diuinitate dicitis esse substantiæ? Si enim unius substantiæ uerbum & caro, quæ de terra habet uaturam: cur unius substantiæ asseratur uerbum atq; anima, quam perfectam naturæ suscepit humanæ? Unius autem substantiæ est uerbum cum deo secundum paternam professionem, & ipsius domini assertionem, qui ait: Ego & pater unum sumus. Unius ergo substantiæ pater cum terreno corpore prædicatur, & adhuc indignamini Arrianis, quia hi dicunt filium dei creaturam esse, cum ipsi dicatis patrem unius cum creaturis esse substantiæ? Quid autem aliud agitis ista dicendo, nisi ut aut limum Adæ, terramq; nostrã diuinæ substantiæ comparetis, aut certe diuinitatem in terrenæ corruptelæ iniuriam transferatis? Dicendo enim quod uerbũ caro & ossa factum est, in terrã utiq; dicitis esse conuersum, quoniam caro & ossa de terris sunt. Scriptum est inquit, quia uerbum caro factum est. Scriptum est, non nego: sed considera, quid sequatur. Sequitur enim: Et habitauit in nobis, hoc est, illud uerbum, quod carnem suscepit, hoc habitauit in nobis, hoc est, in carne habitauit humanã, et ideo Emmanuel dictus est, hoc est, nobiscum deus. Hoc ergo uerbum caro factum est, pro eo quod est, homo factus est. Sicut etiam Ioel dixit: Effundam de spiritu meo super omnem carnẽ. Non enim super irrationabilem carnem, sed in homines futura promittitur gratiæ spiritalis effusio. Quod si secundum literam uos tenetis, ut putetis ex eo quod scriptum est, quod uerbum caro factum est, uerbum dei in carnem esse conuersum: nunquid negatis scriptum esse de domino, quia peccatum nõ fecit, sed peccatum factus est? Ergo in peccatum conuersus est dominus? Non ita: sed quia peccata nostra suscepit, peccatũ dictus est. Nam & maledictũ dictus est dominus: nõ quia in maledictũ cõuersus est dominus, sed quia nostrũ suscepit ipse maledictũ. Maledictus enim, inquit, qui pendet in ligno. Miraris ergo, quia scriptum est: Verbum caro factum est, cum caro assumpta sit à dei uerbo, quando de peccato quod non habuit scriptum est, Quia peccatum factus est? Hoc est non naturam operationemq; peccati, utpote in similitudinem carnis peccati factus, sed ut peccatũ nostrum in sua carne crucifigeret, susceptionem pro nobis, infirmitatem obnoxij iam corporis peccati carnalis assumpsit. Desinant ergo dicere naturam uerbi, in corporis naturam esse mutatam, ne pari interpretatione uideatur natura uerbi in contagium mutata peccati. Aliud est enim quod assumpsit, & aliud quod assumptũ est. Virtus uenit in uirginem, sicut & Angelus ad eam dixit: Quia uirtus altissimi obumbrabit te. Sed natum est corpus ex uirgine, & ideo cœlestis quidem descensio, sed humana conceptio est. Nõ ergo eadem carnis potuit esse diuinitatisq; natura.

Refellit eorum sententiam, qui carnem Christum non suscepisse putant. Cap. vii

Offem latius persequi, sed uereor ne hæc ipsa aliquibus aut superflua aut prolixia uideantur. Fortassis enim dicat aliquis: Nonne de patris & filij diuinitate quinque illis quos scripsisti libris, conclusurum te esse promiseras? Sed quid faciam cum quotidie nouas seminent quæstiones? Non præterijt sponsio, sed ad-

stringit obiectio. Nam quemadmodum potest finis esse responsi, si modus nullus obiecti sit: Et tamen de patris & filii divinitate consummaturum responsum in superioribus me sponderam: hoc autem libro de Incarnationis dominicæ sacramento, plenior sicut debuit facta digestio est. Nam cum illud quod ait dominus: Tristis est anima mea usque ad mortem, Et infra: Pater meus si possibile est, transfer à me calicem hunc: sed tamen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis: non ad spiritus sancti compassionem, sed ad rationalis assumptionem animæ & naturæ humanæ refertur affectum, consequens est, ut per assertionem dominici sacramenti & plenitudinem naturæ humanæ fuisse astruamus in Christo, & ab infirmitatis præiudicio spiritum sanctum separemus. Non est enim obnoxius infirmitati, qui non est obnoxius passioni. Quæro igitur quæ ratione animam putent quidam à domino Iesu non esse susceptam: an quia metus est ne sensu Christus laberetur humano: Dicunt quippe quia concupiscentia carnis legi mentis repugnet. Sed qui hoc ait, tantum abest ut Christum putauerit lege carnis in peccati uincula fuisse deducendum, ut ipse in æstu positus fragilitatis humanæ, per Christum sibi subueniri posse crediderit dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Qui ergo alios à carnis lubrico uindicabat, nunquid formidare poterat, ne etiam ipse dominatu quodam carnis istius uinceretur? Sed carnis istius, sicut uolunt, formidabat illecebras. Ergo & carnis susceptionem declinare debuerat, ne ad lubricum traheretur erroris. Sed quomodo lubricum poterat timere peccati, qui peccatum remissurus aduenerat: Et ideo cum suscepit carnem hominis, consequens est ut perfectionem incarnationis plenitudinemque suscepit, nihil enim in Christo imperfectum. Suscepit itaque carnem, ut resuscitaret. Assumpsit animam, sed animam perfectam, rationalem, humanam assumpsit atque suscepit. Nam quis potest negare quod suscepit animam, cum ipse dicat: Animam meam pono pro omnibus meis? Et iterum propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam illam. Non per parabolam hoc dicitur, nec perfunctoria significatione, in qua aliud dicitur, & aliud intelligitur. Sicut illud: Neomenias & sabbata uestra odit anima mea. Licet etiam illud ad Christi animam possit referri, quæ ideo posita est ut aboleret Iudaicæ superstitionis errorem, & unius sacrificij institueret ueritatē. Sed de hoc dubitent prophæta, euangelicum hoc refutare non possunt de animæ proprietate dictum, cum de morte domini & resurrectione sit dictum. Denique addidit: Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso: potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Eandem igitur ponit quam suscepit. Suscepit dico. Non enim uerbum ipsum dei uiuum in sua carne ad nostræ animæ uicem factum est, sed sicut carnem nostram, ita & animam nostram perfectam naturæ humanæ assumptione suscepit. Assumpsit inquam animam, ut incarnationis suæ benediceret sacramento: suscepit affectum meum, ut emendaret. Quid autem opus fuit carnem suscipere, sine anima, cum utique insensibilis caro & irrationabilis anima nec peccato sit obnoxia nec digna præmio: Illud ergo pro nobis suscepit, quod in nobis amplius periclitabatur. Quid autem mihi prodest, si totum me non redemit? Sed totum me redemit, qui ait: Mihi indignamini, qui totum hominem sanum feci sabbato? Totum redemit: quia in uirum perfectum fidelis non ex parte sed totus resurgit. Desinant ergo isti misericordes timere, ne Christus carnem suam uel animam perfectam sensumque hominis non potuerit gubernare, qui etiam illum asinæ pullum quem ante nemo sederat gubernauit. Qui plantauit aurem, non audiet? Qui alios regebat, se regere ipse non poterat? Qui peccata donabat, peccatum ipse faciebat? Desinant nimium solliciti isti tanquam pædagogum Christi uereri, ne etiam in ipso concupiscentia carnis legem mentis oppresserit, quæ nunc oppressit in Paulo, sed tantummodo repugnauit. Athleta Christi uictorias mentis numerat suæ: hi trepidant ne caro titubauerit in domino, quæ uicit in seruulo? Non uult pro se timere nos Christus, non uult pro se flere nos dominus. Denique dicit: Filia Hierusalē nolite me flere, uos ipsas flete. Et istis dicit: nolite mihi timere, uobis timete. An non audistis dicentem Dauid: Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus defensor uitæ meæ, à quo trepidabo? Et alibi: Non timebo quid faciat mihi homo. Et alibi: Non timebo quid faciat mihi caro. Ego ergo lapsum naturæ humanæ timere potui, quem homo ipse non timuit? Deus igitur ante carnem, deus in carne, perfectionem naturæ ac-

turæ assumpſi humanæ, ſuſcepi ſenſum hominis, ſed non ſum ſenſu carnis inflatus. Senſu hominis animam meã dixi eſſe turbatã, ſenſu hominis eſuriui, ſenſu hominis rogavi, qui rogantes exaudire cõſueui. Senſu hominis profeci, ſicut ſcriptũ eſt: Et Ieſus proficiebat Luc. 4 ætate & ſapiẽtia & gratia apud deũ & homines. Quomodo proficiebat ſapiẽtia dei? Doceat te ordo uerborum. Profectus eſt ætatis, & profectus ſapiẽtiæ, ſed humanæ eſt. Ideo ætatẽ ante præmiſit, ut ſecundũ hominem crederes dictũ. Aetas enim nõ diuinitatis, ſed corporis eſt. Ergo ſi proficiebat ætate hominis, proficiebat ſapientia hominis. Sapientia autem ſenſu proficit, quia à ſenſu ſapientia. Ieſus autẽ proficiebat ætate & ſapiẽtia. Quis ſenſus proficiebat? Si humanus, ergo & ipſe ſuſceptus eſt: ſi diuinus, ergo mutabilis per profectum. Quod enim proficit, utiq; mutatur in melius. Sed quod diuinum eſt, nõ mutatur. Quod ergo mutatur, non utiq; diuinũ. Senſus igitur proficiebat humanus, ſenſum ergo ſuſcepit humanum. Et ut ſciamus quia ſecundũ hominem loquebatur, præmiſit, dicens: Puer autem creſcebat & confortabatur, & implebatur ſapientia, & gratia dei erat cum illo. Et puer, noſtræ nomen ætatis eſt: nec confortari uirtus poterat dei, nec creſcere deus, nec altitudo ſapientia dei, nec plenitudo diuinitatis impleri. Quæ igitur implebatur, erat non dei ſed noſtra ſapientia. Nam quomodo implebatur, qui ut omnia impleret, descendit? Per quem autem ſenſum Eſaiæ. 8 Eſaias dixit, patrem puer nesciebat aut matrem? Scriptũ eſt enim: Priuſquam ſciat puer patrem aut matrem, accipiet uirtutem Damaſci & ſpolia Samariæ. Sapientia enim dei futura & occulta nõ fallunt. Expers autem agnitionis infantia, per humanam utiq; imprudentiam quod adhuc nõ didicit, ignorat. Sed uerendum eſt, inquam, ne ſi duos principales ſenſus aut geminam ſapientiam Chriſto tribuimus, Chriſtum diuidamus. Nunquid cum & diuinitatẽ eius adoramus & carnẽ, Chriſtum diuidimus? Nunquid cum in eo imaginẽ dei crucemq; ueneramus, diuidimus eum? 2. Cor. 13 1. Corin. 1 Apoſtolus certe qui de eo dixit: Quoniam & ſi crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, uiuit tamen ex uirtute dei: ipſe dixit, quia non diuiſus eſt Chriſtus. Nunquid etiam cum dicimus, quia animam rationalem & intellectus noſtri ſuſcepit capacẽ, diuidimus eum? Non enim ipſe deus uerbum, pro anima rationali et intellectus capaci in carne ſua fuit, ſed animam rationalem & intellectus capacẽ, & ipſam humanã, & eiufdem ſubſtantia cuius noſtræ ſunt animæ, & carnem noſtrã ſimilem eiufdemq; cuius caro eſt noſtra ſubſtantia ſuſcipiens deus uerbum, perfectus etiam homo fuit, ſine ulla tamen labe peccati: quia peccatum ipſe non fecit, ſed pro nobis peccatum factus eſt, ut nos eſſemus iuſtitia dei in ipſo. Caro ergo ipſius & anima, eiufdem cuius anima noſtra caroq; ſubſtantia eſt. Nec timeo ne tetrada uidear inducere. Nos enim uere ſolã qui hoc aſſerimus, colimus trinitatẽ. Non enim Chriſtum diuido, cum carnis eius diuinitatisq; diſtinguo ſubſtantiam, ſed unum Chriſtum cum patre & ſpiritu dei prædico, & illos magis qui carnẽ Chriſti unius cum diuinitate eius dicunt eſſe ſubſtantia, tetrada inducere demonſtrabo. Non enim quod eiufdem ſubſtantia eſt, unus, ſed unum eſt. Nam utiq; filium eiufdem cum patre ſubſtantia conſistentes in tractatu concilij Niceni, non unam perſonam, ſed unam diuinitatem in patre & filio crediderunt. Ergo cum dicunt eiufdem carnem, cuius & filius dei erat fuiſſe ſubſtantia, ipſi quod nobis obijciunt ineptijs uanæ aſſertionis incurrun, ut diuidant Chriſtum. Itaq; quartum increatum quod adoremus inducunt, cum ſola increata ſit diuinitas trinitatis.

Dei eſſe ſubſtantiam atq; naturam.

Cap. VIII

Oncluſeram librum, ſed religionis fuit, ne preteruecti uideremur, quod ſolueri nequiremus. Nam cum dudũ audierint quidam dicentibus nobis: c Filium dei qui generatus ſit, patri qui generauit, inæqualẽ eſſe non poſſe, quamuis ille generatus ſit, iſte generauerit, quia generatio nõ poſteſtatis eſt, ſed naturæ aduerſus illam quidẽ quaẽſtionem uocẽ ſibi arbitrantur ocluſam, ſed tergiuerſatione damnabili in eodem loco ueſtigium uertunt, ut putent mutationem fieri quaẽſtionis, mutatione ſermonis, dicentes: Quomodo poſſunt ingenuus & genitus eſſe unius naturę atque ſubſtantia? Ergo ut respondeam clementiſſime Imperator per te mihi propoſita quaẽſtionẽ, primum omnium ingenuũ in ſcripturis diuinis nuſquam inuenio: non legi, nõ audiui. Cuius igitur mutabilitatis ſunt homines iſtiuſmodi, ut nos dicant ea uſurpare quæ non ſunt ſcripta, cum ea quę ſunt ſcripta dicamus, & ipſi obijciant quod ſcriptũ non ſit?

nōne ipsi sibi aduersantur, & autoritatē calumniā suā derogant? Dicunt etenim non esse scriptum, deī esse substantiam atq; naturam, cū utiq; filium deī patris esse splendorem gloriā & characterem substantiā eius, scriptura testetur, & multos alios de diuina dixisse substantia, in alio libro plenissime ostenderimus. Naturam quoq; diuinam quis abnuat, cū Petrus Apostolus in epistola sua scripserit, id operatā domini misericordiā per passionē crucis, ut nos, inquit, faceret diuinā consortes naturā? Sed etiam alibi Paulus scripsit: Sed tunc quidem ignorantes deum, his qui natura non sunt dii, seruisistis. Ita enim & in Græcis codicibus inuenimus, quorū potior autoritas est. Quid igitur agunt qui negant naturam esse diuinam, nisi ut iam non solum filio calumniarentur, sed etiam patri? Si enim negatur natura deus esse, ergo per gratiam est, ut homines, aut certe falso creditur, ut daemones, quorum simulacra deī appellatione donantur. Sed Apostolicam autoritatem sequamur, ut dicamus in simulachris naturam non esse diuinam. Si ergo in simulachris non est, nō est in demonijs: superest, ut in deo diuina sit natura atq; substantia. Docuimus igitur Apostolica autoritate recte de deo patre dici, quod natura sit deus: Accipiant nunc quod eadē deī patris sit natura, quā filij est, eadē sit & spiritus sancti, ne forte dicant: Naturam quidem legimus esse diuinam, naturę autem diuinę non legimus unitatem. Sed cū ipse filius dixerit: Ego & pater unū sumus, unitatem diuinitatis probauit. Cū dixerit: Omnia quę pater habet mea sunt, Et infra: Pater omnia mea tua sunt, & tua mea, asseruit unitatē. Cū dixerit: Pater qui in me manet ipse loquitur, & Opera quę ego facio ipse facit, unitatem euidentissime declarauit. Deinde Petrus unam naturam ostendit esse diuinam: Vt nos, inquit, faceret diuinę consortes naturā. Potuit enim sic dicere, si aliter aestimasset, potuit, inquam sic dicere, ut nos faceret diuinarum consortes naturarum, maxime cū per filium in naturā diuinā consortium transeamus: Nunquid potest donare quod non habet? Ergo non est dubium, quia de eo quod habet donat, & ideo habet naturam diuinam, qui consortia diuinā donat naturā. Apostolus quoque Paulus, dicendo: Qui natura non sunt dii, ostendit unam uerū deī esse naturā. Namq; & ipse potuit dicere: Qui naturis non sunt dii, si sciret pluralitatem diuinā esse naturā, ut alia esset in patre, alia in filio, alia in spiritu sancto. Dicendo ergo: Natura non sunt dii, unitatem naturā expressit diuinā. Quid est autem natura deum esse, nisi uerum deū esse? Sicut ad Thessalonicenses dicit: Quomodo conuersi estis ad deum a simulacris seruire deo uiuo & uero: Illi enim dii esse simulantur, natura autem deus uiuus & uerus est. Nam & in ipso usu nostro est adoptiuus filius & uerus filius. Adoptiuum filium non dicimus filium esse naturā, sed eum dicimus naturā esse, qui uerus est filius. Ergo & naturam & substantiam esse diuinam probauimus lectione: Vnitatem quoq; non pluralitatem diuinā esse naturā, Apostolica autoritas demonstrauit.

De confutatione & destructione obiectionis præmemoratorum hereticorū, qua arguunt quod non possint ingenitus & genitus unius esse naturā atq; substantię, & de exemplari approbatione, cū dicitur genitū, non proprietatem naturā, sed significationem generationis exprimi. Quodq; appellatione ingeni & geniti species uideatur esse diuersa, sed tamen indistincta diuinitas. Cap. 18

Nunc illi asserant, ubi ingenitum patrem legerint. Sed si dialectico more concedi sibi id postulant, ut quod lectum non sit, pro lecto usurpent: produunt se contentiōnis studia adferre, non cognitionem querere ueritatis. Namq; in ipsa dialectica si non concedatur quod concedi sibi postulant, qui aditum contentiōnis inuenire desiderant, principium inuenire nequeunt disputandi. Et hoc ibi, ubi contentiō est magis de disputationis argutijs, quā de examine ueritatis. Hęc est enim dialecticorum gloria, si uideantur expugnare uerbis & refellere ueritatem: Contra, definitio fidei est, ut ueritas non uerba pendantur. Deniq; uerba philosophorum excludit simplex ueritas piscatorum. Quę igitur ista assertio est, ubi si non donauero eis uerbum ingeni, assertionis principium inuenire non possunt? Vbi ergo legerint demonstrant. Exciderat animo. Nunc redeo in memoriam. Lectum est, inquit. Nam Arrius dixit ingeni patrem, & genitum & creatum filium. En quo authore, cōtra Apostolica scripta contendat. Contendant tamen, si modo se Arrii discipulos esse fateantur. Nam quomodo negant magistrum, cuius inuentum sequuntur? Sed si illi hoc dicunt quod Arrius iustus

iustus ego debeo dicere quod Apostolus dixit: Patrem enim dixit, non ingentum nominavit: filium dixit, & genitum filium nominavit. Quod legi, non nego, imò libenter usurpo: quod non legi, usurpare non debeo. Sed tamen quod in dialectica non faceremus usurpent, ne forte dicant, quia genitum non legimus patrem sicut filium, ideo ingentum aestimare debemus. Intelligitur hoc, ergo non legitur. Sed si intelligitur, nec spiritum sanctum genitum legi. Ergo & spiritus quia genitus non est, ingentus utique secundum uestram sententiam nominandus est. Si igitur ingentum dicitis & genitum non posse unius esse substantiae, superest ut de patre & spiritu sancto, quia nec patrem genitum legimus, nec spiritum sanctum, unitatem diuinæ naturæ & substantiæ non negetis. Si enim in eo est uis omnis uestræ disputationis, quod ingentus & genitus non possunt esse unius naturæ: ergo qui non est genitus, cum eo qui non sit genitus, unius naturæ atque substantiæ est. Et si ideo putatis patrem maiorem esse, quia genitus non est, nunquid & spiritus sanctus maior est filio? Multa possunt & innumera exempla suppetere, ut de eo quod genitum non sit, dicatur ingentum. Nam & mundum plerique ingentum esse dixerunt, & materiam non sit, dicatur ingentum. Nam & mundum plerique ingentum esse dixerunt, & materiam rerum omnium quam Græci hylen dicunt, quasi syluam & materiem ingentam esse memorarunt. Vident igitur in hoc uerbo prærogatiuam quandam potestatis esse non posse, nisi forte hoc uerbo sibi honorare deum uidentur, quo philosophi mundum putauerunt esse donandum. Nunquid ergo sic ingentus pater, sicut mundus? Absit. Aut hic solus deum decet sermo, cum deus ultra sermonum omnium sit ambitum? Nihil igitur preciosum deo in eo sermone, qui communis possit esse cum ceteris. Sed tamen, quemadmodum uultis, inestimabilis sit huius prærogatiua sermonis, quæ non autoritate aliqua designatur, sed uestro aestimatur arbitrio. Quod igitur hoc proficit, ut ex uerbo uelitis facere inter patrem & filium distantiam naturæ, distantiam potestatis? Ingentus, inquit, & genitus non possunt unius esse naturæ atque substantiæ, ut quemadmodum interdum dicunt, inoperatus & factus, non sunt unius naturæ. Neque enim discretionem faciunt ingenti & inoperati, neque distantiam uolunt esse inter genitum uel creatum, modò ut creaturam filium dicant. Dicunt ergo quia pater omnem causam, hoc est *arripit* sicut Græci dicunt supergressus, cum ex alio creatus non sit, non sit filius cum utique substantia sit, non aliunde principium habens & causam ex qua sit: & ideo, inquirunt, alia talis substantia esse non potest, quia omnia ex patre deo habent subsistendi causam. Unde non esse uerisimile dicunt, ut filius quia ex patre est, & ex se causam non habet ut sit, sed ex patre, similis sit patri, cum pater ex alio causam non habeat, filius autem (ut ipsi allegant) esse non potuerit, nisi hoc ipsum ex patre ut esset, acceperit. Ideoque ingentum et genitum dicunt esse dissimilem, quasi uero (quod alibi sæpe iam dixi) generatio potestatis sit, non naturæ. Cum enim dico genitum, non proprietatem naturæ, sed significationem generationis expressi: & hoc exemplis euidentioribus approbabo. Nam si generaliter dicam filium, nec addam cuius, potest intelligi, & filius hominis, & filius iniquitatis, & filius pestilentiae, & filius diaboli, sicut de Iudæis scriptura testatur: & quod in usu est, & foetus pecudis, & pulli columbarum. Et ideo in appellatione filiorum non est expressio significata naturæ. At uero si naturam designare desidero, aut hominem nuncupabo, aut equum nominabo, aut auem dicam, ut natura possit intelligi. Ita ergo si naturam cupio designare diuinam, deum uerum debeo nominare. Cum autem filium dico, generatum significo. Cum patrem quoque dico, generasse declaro. Non ergo hinc naturæ discretionem facias, cum sit hoc significatorium generantis & geniti. Significatoria autem huiusmodi exprimunt substantiæ qualitatem. Multi enim, ut dixi filij, sed diuersitas filiorum. Alius per naturam, alius per gratiam. Multæ creature inuisibiles et uisibiles. Inuisibiles, ut principatus et potestates, throni & dominationes: Visibiles, ut sol, luna, stellæ, homo, terra. Ergo diuersæ species & diuersæ creaturarum substantiæ sunt. Itaque si uelis proprietatem creaturæ alicuius exprimere, aut solem aut lunam nominabis aut stellam. Et sic intelligitur quid sit quod significandum putaueris. Ceterum si factum dicas aut creatum, quod interdum filium dicunt, quia multa facta & creata sunt, non proprietatem substantiæ uideris significasse, sed speciem qualitatis. Aliud enim substantia, aliud qualitas est. Denique diximus & alibi, uisitationem interpretatos Latinos, ut substantiam dicerent. Usia autem dei cum dicitur, quid aliud significatur, nisi deum semper esse? Quod literæ ipsæ exprimunt: quoniam uis diuina

usai, hoc est, cum sit semper, usia dicit, unius literę mutato ordine propter sonum et com-
pendium de coremque sermonis. Ergo usia, quod semper sit deus significat. In geniti autē,
ut tu uis, uel geniti appellatio quid sit, declarat: hoc est quod non ex alio sit pater, nec ex
se filius. Species hic uidet esse diuersa. Species utique distincta, sed indistincta diuinitas.
Quæris quomodo hoc probari possit: Etiam in creaturis ostendam diuersam speciem,
diuersa in itia in plerisque, & unam esse substantiam, & de scripturis exempla proferā. Ita-
que si in his quæ mortalia sunt hoc potest cōuenire: quemadmodum patris & filij & spi-
ritus diuinitati legem cuiusdā necessitatis imponunt: Omnia nempe uolatilia quę eius-
dem generis uidentur, eiusdem utique & nature sunt, ut aquilarum unum genus & una na-
tura est, uulturum similiter, & cæterorum secundum genus suum uolatilium. Quemad-
modum autem cœperint esse uolatilia, tres species reperimus, & ortus eorum causas le-
gimus esse diuersas. Scriptum est enim dixisse deum: Producant aquæ repentiā anima-
rum uiuentium & uolatilia uolantium. Et paulo post, cum paradysum fecisset deus, & po-
suisset in eo hominem, scriptum est: Quia figurauit deus de terra bestias agri, & uolatilia
cœli. Significantur ergo uolatilia hoc loco figurata de terra. Supra quoque legisti, quia di-
xit deus aribus: Crescite & multiplicamini, Vtique ex coitu maris & fœminæ generatio-
nis incrementa præcipiens. Itaque aduertimus etiam quæ unius generis sunt, diuerso mo-
do esse cœpisse: alia de terra, alia de maris & fœminæ generatione, & unius tamen hæc
esse nature, dissimilitudinemque substantiæ non habere. Quid uerò tam unius nature
quam caro nostra cum dominici corporis ueritate? Diuersis tamen utraque ducta causis,
orta principijs est. Caro enim domini spiritu in uirginem superueniente generata, non
expectauit uirilis fœmineique coitus solenne commercium. Caro uerò nostra, nisi uirilis
iuxta fœmineusque sexus, genitalia sulcis naturalibus obducatur semina, intra uiscera ne-
scit materna formari: & tamē cum generationis fuerit causa diuersa, carnis tamē in Chri-
sti cum hominibus omnibus una natura est. Partus enim uirginis, non naturā mutauit,
sed generandi usum nouauit. Denique caro de carne nata est. Habuit ergo de suo Virgo
quod traderet. Non enim alienum dedit mater, sed proprium ē uisceribus suis contulit,
inuisitato modo, sed usitato munere. Habuit igitur carnem uirgo, quam nature solennis
iure transcripsit in foetum. Eadem igitur secundum carnem generantis Mariæ, geniti-
que natura, nec dissimilis fratribus, quia dicit scriptura, ut per omnia similis fratribus fieret.
Similis utique dei filius nostri, non secundum diuinitatis plenitudinem, sed secundum ani-
mę rationalis, & ut expressius dicamus, humane nostrique corporis ueritatē. Quid autem
de ipso loquamur Adā, qui cum sit formatus ē limo terræ, generauit utique filios suæ con-
sortes nature, participes generis, successionis heredes? Diuersa quidem in filiis & pa-
rente principia, sed humane conditionis una natura. Nec tamen dissimilitudo ortus, si-
militudini substantiæ præiudicauit. Similis ergo filius patri etiam in his quæ propter hu-
manæ conditionis fragilitatem similitudinē plenitudinē habere non possunt. Quo-
modo ergo dei patris dissimilis filius uerus?

Hebr. 2

De disputatione contra quosdam superiorem sectam sequentes, disputationis
tamen genere discordare se putantes, qui filium similem dicunt, sed non unius
substantiæ cum patre, & quod cum sit unius nature filius cum patre, etiam unius
sit potentiæ, & ita omnipotens sicut & pater, quemadmodum etiam spiritum
sanctum omnipotentem scriptura testatur.

Cap. X

Ed plerique eandem sectam sequentes, disputationis genere discordare se pu-
tant, ab his qui dissimilem patri per omnia filium dicunt. Ideo horum quoque
qui similem dicunt filium, sed non unius substantiæ cum patre, ineptias di-
scutiamus. Sed quæ non unius nature sunt, diuersæ sunt utique atque distantes: & quę distan-
tis nature, consequens est, ut similia esse non possint: nisi forte secundum speciem simi-
lia dicas, dissimilia secundum ueritatem. Nam & lactis & niuis & cygni albensis, conco-
lor species est, sed discrepantiā seruat distantis nature: nec differentia naturarum, spe-
cierum similitudine coloratur. Quomodo ergo isti similem dicunt patrem & filium, qui
unitatem substantiæ negant? An secundum formam & figuram & colorem similem pu-
tant? Sed hæc corporis sunt, hæc compositionem quandam indicant. Quomodo autem
inuisibili similitudinē secundum colorem aptamus aut formam? Aut quomodo creatura
potest

potest esse similis increato? Quomodo splendor gloriæ & character substantiæ eius, si diuersa gloria (ut illi dicunt) diuersa substantia est? Secundum gloriã, inquit, & operationem similis est & propterea imago dei dicitur filius. Ergo si per aliqua non per omnia similis, pro parte similis, pro parte dissimilis. Huic autem propositioni consequens est, ut si ex parte similis non in toto est, pro parte sit dei imago composita: ac per hoc sequitur, ut & ipse compositus uideatur, cuius sit imago composita. Composita autem si ex parte similitudinem seruet imago eius ex parte similis esse nõ possit. Sed qui similem secundum unitatem naturæ negant, similem cæteris arbitratur. Solent enim dicere: Cur putatis, quia multum dedit scriptura filio, quia imaginẽ dixit, cum ipse deus dixerit hominibus: Estote sancti, quoniam ego sanctus sum: Et filius dixerit: Estote perfecti, sicut & pater uester qui in cœlis est, perfectus est: Nec intelligunt eo ipso astrui, quia non secundum partem sed secundum plenitudinẽ diuinitatis & perfectionẽ similis sit filius patri. Deniq; si multi similes, cur solus filius imago inuisibilis dei dicitur, et character substantiæ eius, nisi quia in eo nature eiusdem unitas, & eius maiestatis expressio est: Alia enim secundum imitationem similitudo, alia secundum naturam: quod propositorum exemplorum etiã uerba indicant. Dicit enim scriptura: Estote sancti, ut fiant per imitationẽ. Hominibus ergo dicitur, estote, quia nõ sunt. De se autem dicit deus: quia sanctus sum, non utiq; proficiente processu, sed manẽte natura. Deinde ait sapientia: Estote perfecti, ut incipiant habere quod non habent. De patre autem dicit: Sicut pater uester qui in cœlis est, perfectus est. Est ergo perfectus pater, qui semper est. Ideo uel *V*ia græce quod sit semper, uel Latine, quod in suo maneat, ne ope subsistat aliena, appellatur substantia. Sanctus ergo pater, et perfectus pater, sanctus etiam et perfectus filius, quasi imago dei. Imago autem dei, quia omnia quæ sunt dei uidentur in filio, id est sempiterna diuinitas, omnipotentia atq; maiestas. Talis ergo qualis est deus, sua uidetur in imagine. Vnde oportet ut imaginem eius talem credas, qualis est deus. Nam si imagini detrahas, & utiq; ei cuius imago est uidebitur esse detractum. Si minorem imaginem credas, minor deus apparebit imagine. Qualem enim æstimaueris imaginem, talis tibi uidetur is, cuius inuisibilis est imago. Dixit enim imago: Qui me uidit, uidit & patrem. Et qualem æstimaueris eum cuius imaginem esse filium credis, talis tibi necessario filius æstimandus est. Vnde quia increatus pater, increatus & filius: quia non minor pater, non minor filius: quia omnipotens pater, omnipotens filius. Dictum est igitur etiam si usurpent quod non legunt, ut ingenitũ dicant, eo uerbo tamen nihil impediri, quo minus unius nature atq; substantiæ Christum cum patre esse credamus. Quod si unius nature, utiq; unius potentia. Qui quidem locus haud difficilior est ad refellenda studia perfidorum. Quomodo enim negant omnipotentem Christum, quod scriptum est, qui uoluit usurpare quod non docent scriptum: Omnipotentem etenim Christum supra docuimus: & Ioannis Euangelistæ Apocalypsi, & in Zachariæ prophetia, in Euangelio significatum. Quæ si quis recensenda putat, superiora reuoluat & repetat. Tamen quod ibi propter cõgestionem testimoniorum pene præterij dicant de quo putent dictum quod Amos prophetauit: Sic enim scriptũ est: Dominus qui attigit terrã & mouet eam, & iugebunt omnes commorantes in ea, & ascendet sicut flumen Ægypti. Qui ædificat super cœlũ ascensionem suam, & repromissionem suam super terram, confirmat, qui aduocat aquam maris, & effundit eam super faciem terræ, dominus omnipotens nomen est ei. Nonne hæc omnia in filium intelligunt conuenire? Qui terrã descendens tetigit, in passione commouit, de terris ascendit in cœlum, & super terram descēdit e cœlo, sicut ipse promiserat. Sed quid de filio laboro, cum etiam spiritũ omnipotentem scriptura testetur? Scriptum est enim: Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et de sapientia scriptum est: Quia habeat in se omnipotentem spiritum. Dicit enim Salomon: Quia omnium artifex docuit me sapientia. Est enim in ea spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, bene mobilis, disertus, immaculatus, manifestus, inuiolabilis, bonũ amans, acutus, prouidens, possibilis, munificus, benignus, stabilis, integer, sine sollicitudine; qui omnia potest, omnia spectat, & per omnia penetras spirituum intelligibilium.

Leui. 19
Matth. 3

Ioan. 14

Amos. 9

Psalm. 32
Sapient. 7

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIO-

LANENSIS DE MYSTERIO PASCHAE,

LIBER VNVS.

Vnde sacrum nomen paschæ descenderit, & qua ratione Christus se in passionem paschæ mysterio consecrauerit.

Cap. I



1. Corin. 5

Paschæ mysterium de fide omnibus credentibus in Christo renatis, recidiuatum fidei annuæ felicitatis gaudiū & gloriam subministrat. Quod quidem sacrum nomen ab ipsius domini passione descendit. Pascha enim passio est saluatoris, sicuti beatus Apostolus dicit: Pascha enim nostrum immolatus est Christus. Ad hoc enim humanū corpus Christus accipiens, se in passionem paschæ mysterio consecrauit, ut quisquis huius muneris, per fidem, participationem esset indeptus, consortio dominicæ felicitatis dignus merito censeretur.

De commendatione paschalis temporis, ab ijs quæ eo tempore facta commemorantur.

Cap. II

St enim pascha uere anni principium, primi mensis exordium, nouella germinum reparatio, ac tetræ hyemis nocte discussa, primi ueris restituta iucunditas. Hoc, inquam, tempore uisibilem et inuisibilem conditor deus, defixa humo cœli machinam suspendens, diem solis ardore radiauit, splendorem lunæ solatio noctis attribuit, pendentem cœli cameram splendentium syderum decorauit ornatu, mare certis littorū finibus coercens, concauæ ac stridentis undæ æstū metas statuti limitis haud iussit excedere. Et ut plana mundi facies oculorum eminus subtraheretur aspectui, ad hoc in ornatum mundialis fabricæ, nemorosi colles atq; excelsi constituti sunt montes, ut iterum mortalibus campestris ornatus iucundior adueniret.

Qua ratione homo terrestris creature factus sit dominus, & quomodo gratiam creatoris amiserit, ac mortis sententiam incurrerit. Quodq; ita diabolus mortis fortitus sit imperium, & omnes à deo deuiantes tartari clausos ergastulo possederit.

Cap. III

Ipsc; homo diuini opificij dignatione formatus, ad hoc terrestris creature effectus est dominus, ut diuinis institutionibus parens, eius tantū & uoluntatem seruaret, qui se in tantis rebus dominum prefecisset ex nihilo. Qui in ipso exordio, nō nescius, deprauatus inuidia, dum super indultū dei opificium cupit fieri, quod natura non dederat, amisit gratiam, quam creatoris pietas attribuerat: continuo ob concupiscentiam diabolicę deceptionis, sententiam mortis preuaricator incurrens, etiam ad futuræ ex se stirpis originē propagauit, ut diuina hoc loco recte sententia compleretur. Inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarum. Ita per occasionem delicti, in uniuersis peccatoribus diabolus mortis est fortitus imperium, atq; omnes à deo deuiantes, peccati uinculo obstrictos, squalentis tartari clausos ergastulo possidebat.

Sapient. 2

Quomodo deus humanam carnem assumens, & corpus conditioni mortis addicens, ad tartara descenderit, & seras inferni ianuasq; confringens, uinctos è diaboli faucibus reuocauerit.

Cap. IIII

Quorum interitum dolens diuina censura, non per seruū uatem, nec per angelum inuisibilem sed ad substantiā humanę carnis, in homine deus ueniens habitauit, ut honestam uiuendi formā mortalibus daret, & temporarijs eternam in se credentibus uitam, exemplo suæ mortis ac resurrectionis aperiret. Ut enim in credulitas & simulacrorum cultus, cœli aditum clauserat, ita inferni baratrum preuaricatoribus perfidia procurarat. In quorum supplicijs usq; ad aduentum saluatoris domini Iesu Christi, diabolus per mortem regnauit, donec humanæ carnis ad deum attempata substantia, immaculatum corpus conditioni mortis addixit. Expers peccati Christus, cum ad tartari ima descenderet, seras inferni ianuasq; confringens, uinctas peccato animas mortis dominatione destructa, è diaboli faucibus reuocauit ad uitam, atq; ita diuinum triumphum æternis characteribus est conscriptum, dum dicit: Vbi est mors acutus

Iesus

leus tuus? ubi est mors uictoria tua? Quam felicitatem reparatae salutis, Paulus recolens, clamat: Sicuti per Adam mors intrauit in hunc mundum, ita & per Christum salus restituta est mundo. Et iterum: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis. Et adiciens ait: Sicut portauimus imaginem terreni, id est uetusti hominis in crimine: sic portemus imaginem caelestis, id est suscepti, redempti, reparati, ac purificati hominis salutem teneamus in Christo: quia idem ipse Apostolus ait: Initium Christus, id est author resurrectionis & uitae, deinde hi qui sunt Christi, id est qui in forma puritatis eius uiuentes, de spe resurrectionis eius securi erunt, cum ipso caelestis promissi gloriam possessuri, sicut ipse dominus in Euangelio ait: Qui, inquit, me secutus fuerit, non periet, sed transiet de morte ad uitam. Ita saluatoris passio, uitae humanae salus est. Ad hoc enim pro nobis mori uoluit, ut nos in eum credentes perpetuo uiueremus. Voluit pro tempore fieri quod nos sumus, ut nos aeternitatis eius promissionem indepti, cum eodem perpetuo uiueremus. Ioan. 5

De ingentibus paschalis mysterij, dieiq; illius praconijs. Cap. v

H AEC, inquam, illa est caelestium mysteriorum gratia, hoc paschae donum, haec optabilis anni festiuitas, haec exordia gignentium rerum. Hinc uitalis lauacri sacrae ecclesiae editi puerperio infantes, paruulorum simplicitate renati, baratro innocentis perstrepunt conscientiae. Hinc casti patres, pudicae etiam matres, nouellam per fidem stirpem prosequuntur innumeram. Hinc sub fidei arbore ab utero fontis innocui cereorum splendet ornatus. Hinc caelestis meriti sanctificantur munere, & sacramenti spiritalis celebri mysterio saginantur. Hinc unius plebis gremio beatae ecclesiae nutrita fraternitas, unicae diuinitatis substantiam, ac uirtutis trinum nomen adorantes, Psalmum annuae festiuitatis cum Propheta concelebrant: Hic est dies quem fecit dominus, exultemus & laetemur in eo. Quis, inquam, dies? Nempe ille qui attribuit uiuendi principium, lucis exordium, author luminis, id est, ipse dominus Iesus Christus qui de semetipso ait: Ego sum, inquit, dies: qui per diem ambulat non offendit: id est qui Christum in omnibus sequitur, per eius uestigia usque ad aeternae lucis solium transmeabit, sicut ipse patrem pro nobis adhuc in corpore constitutus, orat, dicens: Pater, uolo ut ubi ego sum, ibi sint & hi qui in me crediderunt, ut sicut tu in me & ego in te, ita & illi manent in nobis. Hic, inquam, exultationis & laetiae dies est, in quo promissum perfectae gloriae consecuti, recte plebs sancta adinstar angelorum futurae laudis mysterium, adhuc in hoc seculo constituti, domino cum Propheta cantamus: Hic est dies quem fecit dominus, exultemus & laetemur in eo, id est author institutionis, redemptionis, & uitae perpetuae dominus Iesus Christus, qui est rex regum, & dominus minorum absque initio, sine fine in patre regnans cum spiritu sancto, nunc & semper & in secula seculorum Amen. Psalm. 117
Ioan. 11
Ioan. 17

